


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Thietmarus

Leibn. Marg.
85

M. d. Not. von


Leibnizens Hand!

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover
Kal. Tafelor 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

CHRONICON MONTIS-SERENI

SIVE LAVTERBERGENSE,

ANTE CCCCXL. ANNOS COLLECTVM,
& jamdudum â

CLARISSIMIS VIRIS

MARQVARDO FREHERO atque
HENRICO MEIBOMIO promissum;

NVNC DEMVM

VNA CVM VETERVM MISNIÆ MARCHIONVM
IN EODEM MONVMENTO ÆRI INCISO, ALIORVMQVE MONASTERIORVM CHRONICIS
VETVSTIS AC FVNDATIONIBVS,
ex CODD. MStis

EDITVM

TABVLISQVE GENEALOGICIS ILLVSTRATVM,

à

JOACHIMO JOHANNE MADERO.



HELMESTADI,
Typis & sumptibus HENNINGI MVLLERI, Acad. Typ.
ANNO CIↃ IↃ C LXV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS

AC DOMINIS,

DN. AVGVSTO,

DN. GEORGIO WILHELMO,

DN. IOHANNI FRIDERICO,

DVCIBVS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM,

PATRIÆ PATRIBVS OPT. MAX.

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS,

EGRE-

Typis & sumptibus HENNINGI MVLLERI, Acad. Typ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

EGREGIA HÆC
ATQVE IAM LONGO TEMPORE DESIDERATA
GERMANICÆ ANTIQVITATIS
MONVMENTA,
GLORIOSISSIMORVM EORVNDEM
MAIORVM,
LOTHARII IMP. II.
HENRICI COGNOMENTO
LEONIS,
OTTONISQVE IMP.
EIVS NOMINIS QVARTI,
VT ET RELIQVORVM EIVS ÆVI
AVGVSTORVM,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

PROPINQVA COGNATIONE ILLOS
ATTINGENTIVM,
CELSISSIMORVMQVE MISNIÆ
MARCHIONVM, SAXONIÆQVE
PALATINORVM,
EX EADEM CVM ILLIS
MAGNI WIDICHINDI
AMPLISSIMA ATQVE EMINEN-
TISSIMA STIRPE
FELICITER DESCENDEN-
TIVM

RES

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

RES DOMI MILITIÆQVE,
INTEGRIS FERME DVOBVS
SECVLIS,
NON SINE
SINCERÆ IN DEVM ET PATRIAM
FIDEI
PRÆCLARISSIMO EXEMPLO
PIISSIME FORTISSIMEQVE
GESTAS
LVCVLENTER REPRÆSENTANTIA,
ANIMO SVBIECTISSIMO
L.M.D.D.D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

IPSORVMQVE SERENI-
TATIBVS
VITAM LONGÆVAM,
IMPERIVM DIVTVRNVM,
ET FELICISSIMA OMNIA PRECATVR,
SEQVE AC STVDIA SVA
HVMILLIME COMMENDAT,
SERENITATVM EARVNDEM
SVBIECTISSIMVS OBSEQVEN-
TISSIMVSQVE

JOACHIMVS JOHAN. MADERVS.

SAL-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

SALLVSTIVS
Iugurthino.

SÆpe audivi ego, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros, ſolitos ita dicere: Cum majorum imagines intuerentur, vehementiſsime ſibi animum ad Virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſe habere: ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere: neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.

INDEX

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX CHRONICORVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

I. CHRONICON MONTIS-SERENI sive LAVTERBERGENSE præter monasterii sui, Veterumque Misniæ Marchionum gesta, etiam alia Rom. Imperii commemorans, ab anno CIↃ CXXIV ad CIↃ CCXXV. Cum monumento dictorum Marchionum æri inciso. à pag. 1. ad 201.

II. Chronicon MONASTERII GOZECENSIS, cumprimis Veterum Saxoniæ & Sommersenburgi Comitum Palatinorum, Thuringiæque Landgraviorum facta enarrans; ab anno Christi CIↃ XLI. ad CIↃ CXXXV. à pag. 207. ad 240.

III. Chronicon MONASTERII PEGAVIENSIS, potißimum Historiam WIPERTI LVSATIAE quondam Marchionis, filiorumque ejus, pertractans. Incipit ab anno Christi CIↃXL. desinit in CIↃ CCXII. à pag. 241. ad 268.

IV. Variorum GERMANIAE MONASTERIORVM FVNDATIONES collectæ olim per Monachum quendam Benedictinum. à pag. 269. ad fin.

V. Præmissa his omnibus sunt ex WOLFGANGO LAZIO, REINERO REINECCIO, DAVIDE CHYTRAEO, VBBONE EMMIO, Genealogica varia, uti & ex his ipsis Chronicis depromptæ aliquot Tabb. Genealogicæ.

INDEX

JOA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

IOACHIMVS IOHAN. MADERVS
BENEVOLO LECTORI
S. P. D.

TAndem aliquando in lucem profero jam ultra sexaginta annos promissum literato orbi LAUTERBERGENSE, sive MONTIS-SERENI, illustris quondam Magdeburgensis diœceseos Monasterij, vulgo **Petersberg** appellati, Chronicon, à Nobilissimo Viro MARQUARDO FREHERO, Consiliario quondam Archi-Palatino, antiquiorum ac rariorum Germaniæ Historicorum vindice celeberrimo, nescio unde, erutum, atque V. Cl. HENRICO MEIBOMIO in vicina Serenissimorum Ducum Brunsvicensium & Lüneburgensium Academia Germanicæ Antiquitatis assertori æque strenuo, edendum datum: ut in Directorio suo Scriptoribus à se evulgatis præfixo, ipsemet *Freherus* voluit indicare. Exhibet vero Tibi Auctor ejus, cœnobij istius monachus, præter integri seculi historiam, ab anno videlicet 1124. ad 1225. cumprimis monasterij sui & adjacentium quorundam primordia quidem sat auspicata, at progressus parum felicices; quod, quanto majore studio, juvandæque pietatis proposito sacræ ædes à pijs Principibus tum temporis extruerentur, amplisque reditibus adaugerentur, tanto major luxus & disciplinæ monasticæ insequeretur corruptela, morumque integritas eo pronius inciperet fatiscere atque collabi. Adeo vero verius est, quod Cyrenensis ille Eremita & Presbyter apud *Sul-*

Monasterium Lauterbergianum seu *divi Petri* situm non procul ab Hali Saxonica in monte. Fabricius Annal. Misn. lib. 1. pag. 97.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [13] - -
PUBLIC DOMAIN

pitium Severum ad quendam aurum sibi offerentem dixit; *a Ecclesiam auro non strui, sed potius destrui!* Primi in Ægypto monachi, unde omnis monasticæ profluxit ratio; *b non alio fine aut proposito in monasteria congregati, humanæ sese obedientiæ mancipabant, quam ut à turbæ strepitu & seculi curis semoti carnem frenare, mores componere,* ABSTINENTIAQUE, *quæ omnium longe pulcherrima virtus est, sese exercere, atq; hac via ceu adminiculo quodam & pædagogio ad ampliorem fructum mysteriorum fidei eluctari contra mundum & Satanam possent; ut re ipsa non aliud cœnobia, quam animorum rebus divinis vacantium, & corporum victum labore quærentium, gymnasia quædam ac veluti scholæ fuerint;* verba sunt ea de re differentis Vadiani. *c Prima apud eos confœderatio est,* inquit B. Hieronymus, *d obedire majoribus, & quicquid iusserint facere. Divisi sunt per decurias ac centurias; ita ut novem hominibus decimus præsit, & rursus decem sub se præpositos centesimus habeat. Manent separati, sed junctis cellulis usq; ad horam nonam, ut institutum est: nemo pergit ad alium, exceptis his Decanus quos diximus; ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisq; residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente tantum silentium fit, ut nemo aliumo respicere, nemo audeat exercare; dicentis laus in fletu est audientium, tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura; videas cunctos moderato suspirio intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. Post hæc concilium solvitur, & unaquæq; decuria cum suo parente pergit ad mensas, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur. Vivitur pane, leguminibus*

a Dialog. 1. num 2. pag 517. edit. Lugd. Bat. 1647.

b De vitæ monasticæ initiis vide Histor. Tripart. lib. 1. cap. xi. Niceph. Callist. Hist. Eccles lib. 8. cap 39.

c Præfat. in Tractat. de Mon. Tom. 3 Script Goldasti.

d Epist. 22. ad Eustochium. Tom. 1 p. 188. edit. Paris. 1602.

minibus & oleribus, quæ sale solo condiuntur: vinum tantum senes accipiunt, quibus, ut & parvulis, sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorũ non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto ad præsepia redeunt; ibi usq; ad vesperã cum suis unusquisq; loquitur & dicit: Vidistis illum & illum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quam moderatus incessus? Si infirmum viderint consolantur: si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Et quia nocte, extra orationes publicas, in suo cubili unusquisq; vigilat, circumeunt cellas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorem deprehenderint non increpant, sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & prius incipientes, provocant magis orare quam cogunt. Opus dici statum est, quod Decano redditum, fertur ad Oeconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem: à quo etiam cibi, cum facti fuerint præguſtantur: & quia non licet dicere cuiquam, tunicam & sagum, textag; juncis strata non habeo: ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de Scripturis discitur. Jejunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius vivere. A Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Quibus consimilia adfert B. Augustinus lib. de moribus Catholicæ Ecclesiæ, cap. XXXI. atque istorum omnium ocularis testis Johannes Cassianus; quippe qui e monasterij in Bethlehem monachus, quod non longe fuit à speleo in quo Dominus noster Jesus Christus ex virgine nasci dignatus est, ut ipse de semet scribit, f majorem perfectionis

e lib. 4. de Instit. Monach. c. 31.

f Collat. 18. c. 1.

nis desiderans gratiam, AEgyptum petiit, ac remotissima etiam Thebaidos eremo penetrata, mores cœnobitarum ibidem accurate inspexit. Atque hic ipse est, qui memorante *g* *Gennadio*, à Johanne Chrysostomo *Diaconus ordinatus, apud Massiliam Presbyter duo condidit monasteria, id est, virorum & mulierum*: In quibus quæ oculis hauserat animoque perceperat, dubio procul, sedulo propagavit. Confluxerat vero ut de reliquis etiam vetustis monachorum collectionibus nonnulla tangam, jam ante Cassiani in illas terras adventum, *Honorato* duce non incelebris eorum cœtus *h* *qui divisis cellulis AEgyptios patres Gallis intulerunt in Lerina*, ad littus inter Liguriam & Massiliam in Italiæ & Galliæ confinio sita insula, ex qua, tanquam ex equo Trojano, innumeri Ecclesiæ principes, hoc est, Episcopi atque Doctores prodiere; quorum præcipuos illustre quondam memoratæ Juliæ sidus *Georgius Calixtus*, Præfatione ad *Vincentij Lerinensis Commonitorium*, *i* recenset; & singulari libro persecutus est *Vincentius Barralis Salernus* *k* istius insulæ hoc nostro seculo monachus. Adhæc etiam dictus jam nobis laudatissimus Hipponensium præsul, adhuc *presbyter monasterium intra Ecclesiam instituit, & cum Dei servis vivere cœpit, secundum modum ac regulam sub sanctis Apostolis institutam; maxime, ut nemo proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur unicuiq; prout cuiq; opus esset:* sicut *Possidonius* Calamensis Episcopus libro de vita & moribus ejusdem refert. *l* Ex quo, *innotescente de die in diem sanctorum servorũ Dei proposito, continentia & paupertate profunda — magno desiderio poscere & accipere deinceps Episcopos cœpere: — qui & ipsi Domini Ecclesiis propagatis, & monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæterũ Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendũ sacerdotium præstiterunt.* Ne interim fileam *Magnum Basilium*, Cæsareæ Cappadociæ Episco-

g pag. 60. edit. Antverp. 1639.

h Eucherius lib. de laude eremi. p 79. edit. Lugd. 1613.

i pag. 21. & seqq. edit. Helmst. 1655 *k* Chronologia S S. istius insulæ, Edit. Lugd. 1613.

l Tom. 1. Operũ August. p. 862.

Episcopum, qui jam medio seculo IV. testante Ruffino, *m Ponti incolas monasteria construere, psalmis, & hymnis & orationibus, docuit vacare, pauperum curam gerere, eisq; habitacula honesta, & quæ ad victum necessaria sunt, præbere, virgines instituere, puditam castamq; vitam omnibus pene desiderabilem facere*. Ex cujus præceptis ac institutis etiamnum pendent, quotquot vel hodie haud exiguo numero supersunt Græcorum monachi: quorum vitam eleganter depingunt *Christoph. Angelus*, libello de statu & ritibus Ecclesiæ Græcæ; *n Metrophanes Critopulus* in Confessione Ecclesiæ Orientalis cap. XIX. *o* ac *Jacobus Goarus*, notis ad Græcorum Euchologion, pag. 120. *p*

Sane perbeato huic Patri tribuitur, quod dispersos tum temporis in Oriente monachos cœperit in cœtus congregare, certisque legibus devincire, sicut integro seculo post; sub finem videlicet quinti & initium sexti *B. Benedictum* in Occidente fecisse constat: ut ita reliquis quasi congregationibus monasticis fere posthabitis, illorum cumprimis regulæ atque instituta, illius quidem in Orientali, hujus in Occidentali Ecclesia inceperint prævalere. Regnavit ea tempestate Justinianus Imperator, is *qui legum multiplicitatem*, ut eum *Gotefrido Viterbiensi q* loquar, *abore viavit*, quando Benedictus, (cum *r in loco qui Sublacus dicitur, & ab urbe Roma quadraginta millibus abest*, prius *sibi pœnitentiæ locum delegisset, ubi vigiliis ac jejuniis se macerans Deo ministraret*,) *in castro Casino, quod Harum*, juxta Paulum Diaconum, *s appellatur, & magnæ vitæ meritis & Apostolicis virtutibus effulsit*. Regulam vero ejus *sermone luculentam, discretione præcipuam*, ut *Gregorij Magni* verbis eam *Otto Frisingensis t* commendat (quam *se descripsisse*, ait, *u ut hanc observantes in monasterijs discant aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis tenere: cæterum posse*

m lib. 2. Hist. Eccles. c. 9.

n cap. 27. & seqq.
o Ed. Helmstad. 1661.
p Edit. Paris. 1647.

q pag. 448. edit. Franc. 1584.
r Joh. Gobellinus Comment. Pij II. lib. 6. p. 167
s lib. 2. de gest. Longobard. c. 26. Regino Chron. lib. 1. ad an. 450.
t lib 5. c 4.
u Citantur hæc Benedicti verba in Apolog. Henrici IV. pag 231 ed. Franc. 1624.

eos, qui ad perfectionem conversationis festinant, per doctrinas SS. Patrum, & per instituta eorum ad celsitudinem perfectionis venire; cum sermo divinus & auctoritas Veteris ac Novi Testamenti rectissima sit norma vitæ humanæ) idem is Papa Gregorius ad Pontificatum anno Christi 590. evectus, atque jam monachus, *& conversatione sua & auctoritate* x adeo probavit, ut juxta illius institutum quamplurima in Italia primum (unde *Platina* y eum *vitæ monasticæ rationem Italis dedisse* ait) & post in regionibus contiguis fundarentur monasteria; ex quo eundem ipsum doctissimus *Tritheimius* z *institutorem & principem Occidentalium monachorum* non dubitavit denominare. Imo vivente adhuc Benedicto, *splendore sanctitatis ejus etiam remotas provincias longe lateq; penetrante*, prout Hugo Floriacensis a scriptum reliquit, *venerabilis Bertigrannus Cenomanensis Episcopus legatos ad eum direxit, multis exorans precibus, ut illi perfectos dirigeret monachos, per quos lucerna disciplinæ monasticæ universæ innotescceret Galliæ. Cui pater Benedictus suum sanctum destinavit discipulum Maurum cum quatuor fratribus, quem ipse in omni religione & sanctitate educaverat atq; nutrierat.* Licet non omnes quis monasticen isto ævo excolerent, ita statim in unius jurarint verba magistri, ut ex ejus sibi vivendum duxerint præscripto, sed nonnunquam ex multorum collegerint præceptis, quæ monasterijs suis crederent salutaria: id quod de *Aredio* Abbate Lemovicino scribit priori fere æqualis *Gregorius Turonensis*, b cujus instinctu *genetrix ipsius Pelagia cœnobium fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrabantur regulæ.* Certe in Franciæ Synodo DCCXLII. sub Zacharia Papa, per Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, jubente Carolomanno, congregata, qui præcedente anno c *sub obtentu Majordomatus, una cum Pipino fratre totius regni susceperat*

x Paulus Langius Chron Citiz p. 765.

y In Iohanne I. p. 67. edit. Colon. 1626.

z lib. de Script. Eccl. p. 49. edit. Paris. 1512.

a pag 137. edit. Monast. 1638.

b lib. x. Hist. cap. 19.

c Annal. Franc. Pithœi sub anno 741.

pera curam, inter alia demum legitur constitutum: *d Ut monachi & ancillæ Dei monasteriales juxta regulam S. Benedicti ordinate vivere studeant, & vitam propriam gubernare, secundum prædicti patris ordinationem non negligant.* In alia etiam hujus anni synodo ejusdem jussu *ad Liptinas* habita, *e Abbates & monachi receperunt regulam S. Patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ:* ut ita publica auctoritate, tam civili quam Ecclesiastica, tunc monastica ejus statuta sint introducta. Quod de Carolomanno ut Principe religioso non mirum, quippe qui ipsemet quarto anno post, *f dimissa seculari gloria habitum mutavit, & in monte Soracte aliquamdiu commoratus hoc loco dimisso ad monasterium S. Benedicti juxta Casinum castrum constitutum Deo serviturus venit, ibique monachi habitum suscepit.* Bonifacius vero prædictus, *Romanæ Ecclesiæ in Franciam Legatus, prædicatione sua multos etiam Thuringorum, Hessorum, Austrasiorum & Bajoariorum populos ad fidem rectam convertit, & monasteria utriusque sexus instituit Germaniæ, quæ ceremoniis Benedicti initiavit,* ut præter *Aventinum* g memoriæ prodidit *Marianus Scotus.* h Quæ ipsa in tantam deinceps crevere multitudinem, ut *numerum triginta septem millium (absque Præposituris & sanctimonialium monasteriis, quæ numerum quindecim millium excedebant) attigisse,* tradat *Carolus Stengelius,* i ejusdem Ordinis Monasterij SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum Professus. *Ex quibus Romana sedes* jam Tritheimij temporibus *k Pontifices ex intervallo habuit decem & octo; Cardinales plus quam ducentos; Archiepiscopos in diversis Ecclesiis mille sexcentos, Episcopos fere quater millia; Abbates insignes, qui doctrina & scriptis claruerunt vel vita, quindecim millia septingentos. Canonizatos autem & sanctorum catalogo insertos, quindecim millia sexcentos.* Erant scilicet antiqua illa Benedictinorum monasteria, ceu recte observat *Aubertus Miraus l* ex *Iohanne Mariana,*

d Capit. Carol. & Ludov. lib. 1. cap. 2.

e Ibid. cap. 38

f Adelmus in Annal. ad annum 746.

g Annal Bosjor. lib. 3. p. 169.

h Lib. 2. Æt. VI. ad an. 719.

i Præfat. in Monasteriologiam suam edit. August. 1619.

k lib. de Script. Eccles. p. 496

l lib. 1. de Origin. Monast. cap. 39

riana, simul scholæ publicæ ad erudiendam juventutem à viris sanctissimis constitutæ, unde haud levis publica utilitas extitit, ipsis magnis atq; ingentibus divitiis crescentibus, omnibusq; certatim pios eorum conatus juvantibus. Ex quibus monasteriis, velut ex arce sapientiæ, innumeri prodierunt utriusq; philosophiæ cognitione præstantes; divinæ ac humanæ. Quod ipsum copiosius ob oculos ponit *Paulus Langius*, monachus Benedictinus, qui sub initium superioris seculi *Citizensi Chronico* inclaruit, *m* ex quo hæc ejus mutuamur verba: *Priscis temporibus utpote Caroli Magni & Ottonum, dum Ordo noster Ecclesiam Dei mirum in modum doctrina & sanctimonia illustraret, studium sapientiæ permaxime in eo viguit. Et hæc unica fuit & maxima causa, quod monachi eligebantur in Episcopos. Tunc enim literarum gymnasia erant in cœnobiis, & potissimum in celebrioribus Archisterii, Fuldensi videlicet, Hirsfeldensi, Corbeijensi, Weisseburgensi, Frumiensi, Tuicensi, Gemblacensi, Hirsaugiensi & Treverensi: tacendo de Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, caterarumq; provinciarum; præcipue Cassinensi, Cluniacensi, Floriacensi, & similibus florentissimis cœnobiis, in quibus monachi & Abbates claruere in omni scibili doctissimi, qui & multa præclara ad utilitatem legentium & fidei defensionem, carmine & prosa ediderunt opuscula, quæ usq; in præsens extant, & extabunt, in salutem per secula credentium. Nusquam enim eo tempore per Germaniam instituta literarum fuerant gymnasia, imo & aliquot post seculis Academiæ, vel (ut ajunt) Universitatis nomen illustre in omni pene Occidentis imperio incompertum fuerat. Præter enim Romanum vetustissimum, & Parisiense tunc novum, utpote Karoli Magni jussu, opitulamine & autoritate per nostros doctores Monachos fundatum, nullum in historiis aliud universale legimus extitisse studium. Perinde Reges & Principes caterig; nobiles, ad discendum Deitimorem cum literis, liberos suos monachis intra claustra tradiderunt instituendos, quorum plerig; manentes*

m pag. 763. Tom. 1. Pistor. Francof. 1613.

sub

sub regula, disciplinæ magisterio in viros creverunt sanctissimos: alij per parentes revocati, moderatores reipublicæ strenui & prudentissimi facti sunt. Jubebant id quoque Constitutiones Karoli & Ludovici Impp. *n Vt scholæ legentium puerorum fiant; psalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam, per singula* monasteria discant. Et lib v. Tit. 95. *Dignum est, ut filios suos donent ad scholas, sive ad monasteria, ut fidem catholicam recte discant, & orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant.* Scholæ vero ejusmodi, saltem in aliquibus monasterijs, erant duplices; INTERNÆ, religiosis erudiendis dicatæ; & EXTERNÆ, in queis seculares procerumque & nobilium liberi erudiebantur; quibus nihilo secius præerant doctissimi quique & probatissimi monachi, velut ex *Eckehardi* libro *de vita B. Notkeri* claret, ubi cap. VII. apertissime: *o Traduntur post breve tempus Marcello scholæ CLAVSTRI, cum B. Notkero Balbulo, & cæteris monachici habitus pueris: EXTERIORES vero, id est CANONICAE, Isoni cum Salomone & ejus comparibus.* Ad quas interiores scholas etiam refero Capit. XLV. Additionis I. Ludovici Imp. *ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt*, hoc est, religioni dicati: cum *canonicæ*, ut ibi appellantur scholæ extra monasterium in aliquo forte adjacente ædificio instituerentur, in quibus & delicatius scholares habebantur, quemadmodum ex cap. XIV. ejusdem *Eckehardi* itidem manifeste apparet. Et vero non poterat non optime succedere omnis hæc monastica institutio, præsertim cum ipsi Episcopi, sub quibus Abbates & monasteria tum temporis erant, *p ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi præparandis & educandis una studium adhiberent:* cui fini etiam, *si quando provinciale cogeretur concilium, unusquisq; Rectorum scholasticos suos* tenebatur sistere, *quo & cæteris Ecclesiis noti essent, & ejus solers studium circa divinum cultum omnibus fieret manifestum.*

n Capitul. lib. I. cap 72.

o Tom. I. Rerum Alem. Goldasti p. 358. ed. Francof. 1606.

p Addit. Ludov. II. c. 53

Accedebat, quod *Missi Dominici* sive *Regij*, qui vel Episcopi vel Comites, vel Abbates, quatuor vicibus quotannis, *q id est, in hyeme Ianuario, in verno Aprili, in æstate Julio, in autumno Octobri, legationes suas exercentes*, & num *r quisque Rectorum populi in suo ordine officium sibi commissum juste ac Deo placite ad honorem ipsorum & populi utilitatem administrarent*, studiose perquirentes, etiam monasteria & collegia adirent, *s & de singulorum conversatione, de lectione & cantu, cæteris disciplinis ad ordinem Ecclesiasticæ regulæ pertinentibus*, diligenter inquirerent. Quæ omnia cum deinceps remissius atque negligentius fierent, vel plane in desvetudinem abirent, Abbatibus primarijs sub honesta *exemtionis* specie vel semetipsos Episcoporum, plus indies seculo quam Deo militantium, insolentiæ & avaritiæ paulatim subtrahentibus, vel etiam Principum voluntate ac patrocinio subtractis, atque Romano Pontifici immediate subjectis: non est mirandum, si (quod sublato Carthaginis metu Romanis accidisse memorat *Velleius Paterculus t*) *non gradu, sed præcipiti cursu, à virtute desitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta, in somnum à vigiliis, à labore ad voluptates, à negotiis in otium conversa* monasteria. Quam tenuem namque eadem ex Legatorum abillo Urbis Antistite quandoque lustrandarum Ecclesiarum ergo missorum, perceperint fructum, vel ex ijs quæ *hoc Chronico nostro* pag. 188. & seqq. leguntur, perspicuum est: quod corrumpi se plerumque paterentur, quibus id muneris erat demandatum; vel etiam à monachis, disciplinæ monasticæ jugo haud libenter amplius colla submittentibus, Romæque omnia venalia esse haud ignorantibus plane contemnerentur. Quanquam enim Cluniacensium Ordo patrum circa annum Christi 910. instar *u stellæ matutinæ in medio nebulosæ istius & scandalosæ tempestatis* (tempora Formosi & successorum ipsius innuit) *in magna humili-*

f Capit. lib. 3. c. 83.

r Ibid. lib. 2. cap. 28.

s Ibid lib. 1. cap. 128.

t lib. 2. sub fin.

u Werner. Rolevvink Fascic. Temp.

humilitate & fervore rutilare inciperet atq; proficere per Adonem sive Odonem monachum virum sanctum, accæteros quamplures æque perfectos: qui primi Ordinis S. Benedicti, qui jam in plerisq; locis ceciderat, reformatores extitere: Aliquanto post etiam Ottone Magno imperante *x Episcopi quidam affirmarent, melius esse paucos Deo servientes pascere, quam magnum gregem otiosorum nulla in re utilium reipublicæ, qui neq; Deo satis serviant, sed monastico habitu seculi sequantur voluptates:* tamen hoc postremo id tantum effectum est, *ut plures infirmitatis suæ sibi conscij, deposito habitu, & relictis monasteriis* ad seculum redirent: divitijs nihilominus etiam deinceps casus causam huic ordini sæpius præbentibus; ut merito exclamet Auctor Fasciculi temporum modo à nobis citatus: *y Devotio peperit divitias, sed (heu) filia suffocavit matrem!* Ut tot alios Monachorum Ordines præteream, qui seculo undecimo luxatæ & fatiscenti cœnobiorum disciplinæ successere, velut *z* CAMALDULENSIUM, per S. Romualdum; VALLIS UMBROSÆ per Joh. Gualbertum; GRANDIMONTENSIUM per Stephanum; *a* CARTUSIANORUM per Brunonem; *b* CISTERCIENSIUM per Robertum, institutos; ut & *c* CANONICORUM REGULARIUM B. AUGUSTINI, *qui sub Juone magistro in Ecclesia B. Quintini Beluacensi cæpit reflorere* quorum regulam & *d* PRÆMONSTRATENSIUM Ordo circa annum Christi 1120, auctore Nortberto, post Magdeburgensi Archiepiscopo, institutus, amplecti voluit. De quibus omnibus, ut & alijs quamplurimis longa serie postmodum subsecutis, vere dici potest, quod de PRÆDICATORUM & FRATRUM MINORUM Ordinibus sub anno MCCXXIV. scripsit Chronici nostri Auctor: *e Quid aliud est hujusmodi novitatum introductio, nisi quædam exprobatio neglectæ & ociosæ conversationis eorum, qui in Ordinibus constituti sunt, qui in Ecclesia primitus sunt fundati?*

x Albertus Stad. sub anno 941. Abbas Vrsperg. p. 159. edit. Argent. 1609 Cranzius Saxon. lib. 3. c. 28.

y d. l. pag. 68. ed. Francof.

z Vid. Miræum Orig. S. Bened. c. 41 & seqq.

a Theod. Petreius Bibliothec. Cartus. *Miræus* in Orig. Cartus Colon. 1609.

b Paul. Langius Chron. Citiz. p. 779.

Sigebertus ad an. 1107.

c Hartm. Sched. Chron. Norimb. p. 193.

d Robertus de Möte sub anno 1120. Auct. Magni Chro. Belg. p. 145.

e pag. 187.

dari? Cæterum, ut ad hunc ipsum aliquando redeamus, ne monasterij sui historiam ipsum tantummodo texuisse autumes, idem ille etiam *f aliorum gesta & casus extrinsecos, hoc est, ad monasterium non pertinentes, dignos tamen memoria*, omnibus ferme paginis *interseruit*. In quibus facile principem locum obtinent quæ de antiquissima Celsissimorum Misniæ Marchionum familia, à TIEMONE usque, Comite Lansbergio & Wetino, ex regia Magni Wedechindi prosapia originem ducente, quod Dedo III. & Conradus I. ipsius filij, (quorum hic post mortem Henrici Junioris, *g* Dedonis II. fratris TIEMONIS, nepotis, à Lothario Imp. Misniæ Marchio est declaratus) Sereni-montis fundatores essent munificentissimi, illiusq; *filiorum atq; hæredum natu major* deinceps *h Advocatus ejusdem ordinarius*, literarum monumentis voluit consignare. Erat hujusmodi nobilium Advocatorum (quos *Principales Advocatos*, vocant *Reicherspergensia privilegia*; *i* cum juxta eadem *titulo beneficiariæ concessionis habuerint Subadvocatos sive Subadvocatores suos*) munus præcipuum, ut Ecclesias & monasteria, ac eorundem bona, in mundiburdium sive tutelam defensionemque & patrocinium reciperent; oblationes & donationes à pijs hominibus Ecclesiis factas in majorem fidem acceptarent; & denique cognoscerent atque jus dicerent in causis criminalibus super furto, rapinis, stupris, incendijs & id genus delictis, circa quæ occupari homines Ecclesiasticos non decebat. Sic enim de illorum officio longe rectius sensisse videtur etiam supra à nobis laudatus Cl. *Meibomius*, Oratione de origine Helmestadi, *k* quam Nobilisſ. *Goldastus*; qui in Glossa ad Burhardi librum de Casibus Monasterij S. Galli, *l Oeconomos eurum rerum quæ ad vitæ alimoniam & reditus Ecclesiasticos pertinebant, sedulam curam gerentes, temporibus istis Advocatos* vult appellatos. Nam distinctæ etiam in veteri Ecclesia Oecono-

f vid. pag. 1.

g pag. 5.

h pag. 28.

i pag. 202. & 210 edit. Monach. 1611

k pag. 540. edit. Helmstad. 1660.

l pag. 414. Tom. 1. Rer. Aleman.

Oeconomi atque Advocati fuisse munia, *m* vel vetusti Conciliorum canones *n* nos docent, in quibus alia ratione τῶν οἰκονόμων alia τῶν ἐκδίκων sive Defensorum fit mentio. Ita enim & Balsamon interpretandam censuit ἔκδικος vocem in Synodo Carthag. can. LXXVIII. ἡ δόσις τῶν ἐκδίκων, τῶν δεφενσόρων λεγομένων: ac Justinianus Imp. Novella XV. περὶ τῶν ἐκδίκων. Διὰ δὴ τὸ τῇ πατρίῳ φωνῇ δεφενσόρας αὐτοὺς καλεῖσθαι, ὅπως ἂν ἁρπαλλάξειεν κακῶν τοὺς ἀδικουμένους· *Propter hoc patria voce eos Defensores appellamus, quatenus eripiant è malis injustitiam patientes.* In Ecclesiæ etiam Constantinopolitanæ officijs Ecclesiasticis princeps inducitur *o Magnus Oeconomus*, λαμβάνων τὰ εἰσόδους καὶ ἐξόδους, καὶ λογαριασμοὺς ἐν τῇ ἐπισκοπῇ· *rationem habens censuum, expensarum & ratiociniorum in Episcopatu: p* ὁ πρωτέκδικος vero, sive *primus Defensor*, εἰς τὸ ἀναλαμβάνειν τοὺς αἰχμαλώτους· καὶ κριτὴς τῶν ἐγκληματικῶν ὑποθέσεων· *ad curam captivorum suscipiendam, utque judex sit querimoniarum, quæ ad forum deferuntur.* Ubi πρωτέκδικος dicitur respectu aliorum ἐκδίκων seu Defensorum, quos inter eminebat. Et distincte de utriusque officio loquitur Fridericus I. ejus nominis Imperator, in privilegio Goslariensi Ecclesiæ, anno MCLXXXVIII. dato, atque haud ita pridem typis exscripto: *Perlata ad nos importunitate, quam in bona Ecclesiæ nostræ Goslariensis aliquando exercere præsumpserint Advocati, vel villicationes ejus locando, quod nihil ad eos; vel hæreditates litonum Ecclesiæ sibi usurpando, vel etiam mansos Ecclesiæ novis collocando colonis: nos hæc illicita de cætero fieri authentico prohibentes edicto, nullam permittimus Advocatis ad talia perpetranda potestatem. Cum enim de jure Advocatorum coram nobis, in palatio Goslariensi quæstio moveretur, de communi Principum consilio sententiatum fuit, quod in bonis Ecclesiarum Advocati nihil juris haberent, nisi tantum in tribus casibus, in furto videlicet, inpugna, & in raptu; & omnes aliæ quæstiones essent*

m Vide Photij Nomoc. Tit. x. cap. 1.

n Can. 23. Conc. Chalced. Can. 76. Conc. Carthag.

o Rituale Græcor. p. 275.

p Codinus de offic. Cpol. cap. 1. pag. 3. edit. Paris. 1625.

ad OECONOMVM seu villicum Ecclesiæ referendæ. Ac tametsi hi ipsi Advocati, de quibus hoc privilegium, & nos loquimur, primitus Principes essent laici, & à Regibus atque Impp. Ecclesiis & monasterijs darentur, *q* imo cogente necessitate ab hisce postularentur, prout ex Can. 76. Carthaginensi, Capitulari etiam Karoli & Ludovici Lib. v. cap. 31. & 303. perspicere licet; *r quo, quod non prævaleret sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleret per disciplinæ terrorem?* tamen Imperatorum Germanicorum temporibus invaluit, ut Principes ac Comites, cum in terris sibi subjectis Ecclesias & monasteria fundassent, *s* jus sibi hæredibusque suis Advocatiæ in iisdem reservarent; quod propterea nominatus Montis-Sereni fundator benignissimus, tum quidem Wetini (quam falso *VVitebergam* statuit *VVolffgangus Lazius t*) tantummodo Comes, sed post, uti diximus, à Lothario Imp. Misniæ Marchio constitutus, noluit posthabere; verum ne jus suum videretur relinquere, in senectute monachus ejusdem monasterij factus, *u filiorum vel hæredum quemlibet suorum seniorem post se Advocatum loci ordinarium* designavit; & *ut tam filij, quam ministeriales ipsorum, ibi sepulturam haberent*, imperavit. Quam ultimam Optimi Patris voluntatem ex parte filios ipsius subsecutis temporibus fuisse exsecutos, etiamnum declarat monumentum illorum in medio Ecclesiæ in altitudinem eductum, una cum imagine cujusque, & annum, & diem obitus inscriptum habens: quod à Serenissimo Principe atque Electore, Dn. AUGUSTO, studiorum Mæcenate atque Ecclesiæ nutricio summo anno 1567. renovatum, ac Serenissimi item Principis ac Domini, Dn. AUGUSTI, Ducis Brunsvicensis ac Luneburgensis, magni Europæ luminis, & Reipub. Christianæ columinis, Domini mei clementissimi, gratiosissimo mandato superiore anno æri inciſum, mihique pari clemen

tia

q Emtas deinceps non modo à Principibus ut exēplo Ducis Bertoldi Zaringiæ discimus ap. Conradū de Fabaria cap. 8. de casibus Monast. S. Galli: sed & ab Episcopis & Abbatibus; indicāte Vadiano Tom. III. Regum Alem. Goldasti p. 103.

r Isidor. de prælatis p. 34. edit. Genev. 1601.

s Vid Lehm. Chron. Spir. lib. 4. cap. 1.

t lib. 9. de migr. gent. p. 660. edit. Basil. 1557.

u Chronic. Montis Ser. pag. 28.

x Conf. Petrum Albinum Chron. Misn Tit. XXII, p. 291.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [26] - 14
PUBLIC DOMAIN

tia redonatum, cum subjectissia gratissimi obsequentissimique animi erga Serenitatem ejus significatione, & volui & debui TECUM lubens communicare. Certe ab illo glorioſissimo Principe CONRADO, haud immerito MAGNI cognomine condecorato quippe qui

—— soli fines spatiumq; feracis
A Nissa lentam dives ad usq; Salam
Extulit:

sicut *Georgius Fabricius* y de eo canit; atque jam tum filijs suis amplissimas reliquit ditiones; haud interrupta serie descendunt, *quotquot hodie in Potentissima Celsissimorum Saxoniæ Ducum Electorali Domo supersunt Serenissimi Principes*; ceu tot celebrium Virorum testimonijs, præfationi huic subnexis, z licet inter se (quemadmodum fieri in Genealogicis plerumque amat) non usquequaque concordantibus, clarius evadit.

Quandoquidem vero ex Illustrissimorum *VVetini* Comitum familia etiam originem traxerunt, qui ante *Conradum Missniæ* Marchionem floruerunt *Saxoniæ Palatini*; quæ sane dignitas semper maxima, a ac pro lubitu Imperatorum ambulatoria, isto ævo hæreditaria erat facta: *Gozecensis* quoque *monasterij* b ab iisdem pie liberaliterque fundati *Chronicon vetustum*, monumentum plane eximium, atque Excellentium Virorum judicio dignissimum, quod in gratiam Saxonicæ antiquitatis integrum evulgetur, annectere placuit. Accedit & alia causa, quod is ipse Saxoniæ Palatinatus, ab hisce *Gozecensibus* primum seu *VVetinensibus*, ad *Sommerseburgios* Comites, & inde ad Magnanimum Heroa *Henricum Leonem*, ab hoc ad *Thuringiæ Landgravios*, & hinc de novo ad *Missniæ Marchiones*, *VVetinensium*, ut audivimus, *progeniem*, tanquam caput ac fontem suum sit traductus. Neque enim firmo talo niti videntur, quæ Cl. *Reineccius in Excerpto*

y lib. 1. Marchion. Misn. pag. 40. ed. Lipſ.

z Adde Petrum Albinum Chron. Misn. Tit. x. & xv. Laurentiũ Peccenſtien. Theatri Saxon. c. 2. Chron. Portenſe Pertuschij c. 1.

a Vide Hincmarum Ep. III. Tom. 16. Bibl. PP. p. 387. & ſeqq Frecherum. Orig. Palat. part. 1. & 2. cap. 1.

b Gozekam ſive Gosbik infra Naumburgum ad Salam fluvium ponit Spangenberg. part. 1. Chronic. Mansfeld. pag. 180.

e Francof. 1577. cerpto *Gozecenſi* una cum Widechindo à ſe edito e poſt *Fridericum V.* ejus ſtirpis ultimum, à *Nortberto* Magdeburgenſi Antiſtite in monaſterium retractum, acceſſiſſe ſcribit: *Cedit ergo Palatinatus alienarum familiarum Principibus. In his primi VVigbertus & Hermannus Comes VVinceburgenſis, hoſtibus uſi Conrado & Alberto Comitibus; quibus cum faceret Lotharius, Dux Saxoniæ, poſt Imperator, armis horum pelluntur.* Nam hæc de Miſniæ Marchionatu *VViperto*, Marchioni Luſi-

d Editus à Reneccio Francof. 1580. zenſi (cujus hiſtoriam poſt videbimus) ab Henrico V. Imp. conceſſo, intelligenda eſſe, Monachus Pegavienſis *d* ad annum 1123. clariſſimis verbis indicat: *Henricus Marchio junior obiit, pro quo Imperator Henricus binos Marchiones conſtituit, VVigbertum quendam prædivitem, & Hermannum de VVinciborg, Adelbertus & Conradus Comites de Saxonia, Ducis Lotharij, cæterorumq; Saxonum freti auxilio, illis pulſis eorum invadunt loca & dignitates.* Quæ omnia totidem fere

e pag. 256. & ſeq. verbis refert *Epitomator ejus, e* jam à nobis emiſſus, niſi quod in perſona *Henrici Marchionis* ita ſe implicat, ut ipſus ſeſe, qua ſe expediat, neſciat. *De VVigberto* etiam Marchione ſub eodem anno 1123. paria adſtruit *Coſmas Pragenſis* lib. III. Chronici; *Iamq; eodem anno*, inquiens, *Marchionis Dedæ extrema ſtirpe fato extirpata, Imperator IV. Heinricus prædicti Deda Marchionatum putans hærede deſolatum, dederat VVigberti ſub potentiam. Sederat in Saxonia quidam nomine Conradus ex tribu ejuſdem Deda natus, ad cujus manus jure pertinebat ille Marchionatus. Vnde Dux Ludera & alij Saxones valde indignantes contra Imperatorem, ſuſceperunt bellum adverſus*

f pag. 229. *VVigbertum.* Adeoq; ex hocipſo *Gozecenſi Chronico f* pateſcit, dignitatem Palatinatus *Friderico* ejus nominis IV. *quinti* patri, & *Friderici III.* nefarie occiſi filio poſthumo à *Friderico Sommerſeburgio*, quamvis conſanguineo, ereptam & ſuæ familiæ applicatam. Hujus vero nepote *Alberto* circa annum

num Christi 1180. sine liberis defuncto *Henricus Leo*, *g* Bavariæ atque Saxoniæ tum temporis Dux potentissimus, quod sanguine ei cohæreret, & Comitatus Sommerseburgij & Palatinæ dignitatis legitimum se hæredem dixit; & *Adelheidi* Abbatissæ Quedlinburgensi *Alberti* sorori *VVichmanno* Archiepiscopo Magdeburgio Comitatum vendenti vehementer se opposuit, ipsam arcem *Sommerseburgum* etiam funditus evertendo. Sed miserandis ipsius temporibus perinde ut Principum vicinorum invidia, ex tam amplo, in quo à Deo ter max. collocatus erat, statu concidit, *h* sic & hac dignitate privatus est; eadem in *Ludovicum Thuringiæ Landgravium*, vel secundum alios, *Hermannum* fratrem ejus, devoluta. Ita enim de Ludovico *Monachi Pegavienses Continuatorem* sub anno 1180. scripsisse certum est: *Ludovicus Comes Provincialis, Palatinus* (hæc namque vox deest) *efficitur loco Adelberti de* Sommeriskborg / *qui sine hærede obiit.* Hermanno vero, *Historia de Landgrafiis Turingiæ* Palatinatum tribuit, *i* ut & è recentioribus *Buntingius*, *k Fabricius*, *l Spangenbergius*, *m* alijque; à cujus filio *Henrico Raspone*, post Imperatore ejus nominis septimo, *deficientibus in eo nobilibus Thuringiæ Principibus, qui de prosapia Karoli M. originem traxerunt, Turingiæ & Saxoniæ Palatinatus ad Henricum Misniæ Marchionem* transiit, attestante idipsum *n* Sifrido Misnensi Presbytero ad annum 1247.

Non possum vero, quin ex *Reinecciano Excerpto* suppleam, incuria forte exscriptoris, in hoc Chronico præteritos versus, post illum Hexametrum: *Hic nulli nocuus*, &c. pag. 220. inferendos:

His miserens Dominus det veniam petimus,
Julius in sextis patrem notat ille Calendis.

Simul & ex *Mansfeldensi Chronico Spangenbergij*, (in quo *o* Friderico II. primo ejus familiæ Comite Palatino adscribun-

g Bunting. in Chron. part. 1. p. 155. Meibom. Chron. Marienth. p. 17.
h Vide Arnoldum Lubecens. lib. 2. Chronic. Slavorum cap. 24. & 36. Gerh. Stederburg. in Hist. Henrici Leonis. p. 228. edit. Helmst. 1660
i cap. 25. Tom. 1. Pistor. p. 919.
k Chron. Brunsvic. part 1. p. 155.
l Enarrat. de Electoribus p. 13.
m Chronic. Mansfeld. part. 1. c. 232.
n Tom. 1. Pistor. p. 696.

o Sequitur forte in eo nominatum Script. Hist. Landg Tur. c. XII. idem facientem, ut & scriptorem Annal. Thur. ibid. p. 957.

tur, quæ filio ipsius Friderico III. obvenere) supperaddam inscriptionem *in loco occisionis ejus cruci lapideæ* insculptam *p* cujus Noster qui *ἀυτόπτης ligneam crucem miræ altitudinis* ibi positam invenit, nullam injicit mentionem. Est autem talis: ANNO DOMINI MLXV. HIC COMES CECIDIT PALATINUS FRIDERICUS, HUNC PROSTRAVIT COMES LUDOVICUS, *q* Ne de alijs nunc dicam, in quibus ab eo multum discrepat, quæ hic nostrum hac vice non est operosius repetere vel refutare.

Quod demum attinet PEGAVIENSE CHRONICON *r* illud secundo loco adjungere non incongruum visum est, quod Wipertus Comes Groizensis & Marchio Lusizensis, quem principaliter sibi sumit describendum, hospes plane atque advena in illis locis (nam perperam in *Topographia Saxonica* antiqua Misniæ Marchionum stirpe dicitur satus) à *VVratislao* primum *Bohemiæ Duce*, ab Henrico quarto *post mortem Dedi* Tiemonis fratris *Misniæ Marchionis*, secundum Lambertum Schaffnaburgensem, *s in præmium exactæ militiæ* constituto, ei terræ præfectus, & post eadem ab Henrico V. sicut paulo ante attigimus, ipsemet donatus, non hanc quidem retinuerit diuque possederit, *t* sed nihilominus firmum sibi, inter alios ejus temporis potentes Dynastas ibidem paraverit principatum, eundemque ad filios propagaverit. Quanta præterea ejus fuerit apud reliquos Imperij Principes, ipsosque Imperatores, autoritas atque existimatio, vel hoc arguit, quod Henricus V. jam à patre alienatus, *audiens ipsum apud* (hunc) *VVigbertum, illustrissimum & prudentissimum virum*; (hoc enim Abbas Urspergensis illum mactat elogio) *qui partibus in illis quas Sorabi inhabitant, principabatur, esse repertum; usq; ad Rhenum illi ducatum* (*nam id per legatos ipse supplicabat,*) *administrari permi-*

p Eadē Chro. suo Thur. inseruit Zacharias Rivander. pag. 160. & seqq.

q In Histor. Landgraf. Thur. secunda sic legitur, p. 957. *Hic expirauit Palatinus Fridericus, Hasta prostravit Comes illum dum Ludovicus.*

r Pegavv opidum tribus à Lipsia miliaribus, ad Elsstamfluvium, ad quem è regione etiam sita fuit Groitza vel Groista. Peccenstein Theat. Sax part. III. pag. 123. Topogr. Saxon. p. 149. edit Francf 1650.

s pag. 516. edit. Argent. 1609

t Georgius Fabricius hic vehementer errat, dum Henricum, cujus terram occupavit Wipertus, Henrici nepotem, Dedonis filium, statuit, qui Dedonis est nepos. Annal. Misn. anno 1123. pag. 187. edit. Argent. 1609.

permiſit. Tum quod idem hic, *Dux Miſnenſis limitis*, prout inducitur ab *Aventino*, *u* poſt curiam deinceps ab eodem Henrico V. Moguntiæ indictam, *ſuſcepta legatione ivit ad Auguſtum* (Henricum IV.) *eiq; voluntatem concilij proponens, ſi quidem ſalvus eſſe velit, ſibi inſignia Imperij, ſacra penetralia regni reddere jubet. Quibus Auguſtus territus, nihil cunctatus paruit, Crucem, haſtam, ſceptrum, globum, enſem, diadema, reddidit, quæ mox ad filium ſunt delata.* Meminit ejus etiam ſatis honorifice Paulus Langius; *x Anno Domini 1118.*, inquit, *claruit VVicpertus Marchio, vir fortis & ſtrenuus plurimum; de quo mira leguntur & narrantur. Is in provincia quæ dicitur Svvorbia dominabatur. Tandem præ cæteris ditatus principatum quoq; & Marchionatum in Litziz, ſed & Præfecturam in Magdeburg principalem obtinuit. Tandem pro enormitate ſuorum compunctus criminum inter alia pietatis opera cœnobium inſigne & exemtum Ordinis noſtri, in honorem D. Jacobi Apoſtoli majoris fundavit in Begavia, aſſiſtente ei S. Ottone Epiſcopo. In quo quidem monaſterio ipſe poſtmodum converſus factus, plenus operibus bonis tandem migravit ad ſuperos.* Nec plura hic congerere de eo teſtimonia allaborabo, præſertim cum plerique alij rei Germanicæ Scriptores vetuſti, parum de eo commemorent; ut fruſtra tot labores, tot pericula adiiſſe potuiſſet credi, niſi hunc virtutum ſuarum præconem nactus fuiſſet Cœnobitam Pegavienſem. Defuerunt enim patriæ noſtræ illi Polybij, Diones, Dionyſii, Livij, &c. qui *ex dignitate populi Romani*, uti Tacitus loquitur, *y ipſorum res illuſtres* quondam *annalibus mandarunt*; quamvis ingenia noſtris ſcriptoribus plane non defuerint: ut *deplorandam merito hanc infelicitatem noſtræ nationis* cum Excellentiſſimo Rittershuſio *z* ſtatuamus, *quod cum optimos genuerit Principes, qui res pulcherrimas & univerſo nomini Chriſtiano utiliſſimas fortiter & præclare geſſerint, literarum lumine res noſtro-*

u lib. v. Annal. Bojor, pag. 366.

x Chronic. Citiz. p. 784. Imagines, Wiperti ſenioris, ut & Berthæ conjugis, filiorumque Wiperti, & Henrici, ex vetuſto quodam librodeſumtas, repræſentat Petrus Albinus Chro. Miſn. pag. 441. & ſeqq.

y Annal. 13. c. 31. num. 1.

z Notis ad Guntherum lib. 1. verſ. 124.

res noſtrorum hominum carent; idq; ex eo, quod hiſtorias ſcriberent monachi rerum civilium plerumq; imperiti, qui veteres hiſtoricos ne per ſomnium quidem viderant, ſine exemplo, ſine arte infantes. Renovarunt vero animoſiſſimi illius Principis memoriam, ſuperiore quidem ſeculo *Erneſtus Brotufius*, civis Mersburgenſis, nequicquam tamen *Polyhiſtori Reineccio* argumento iſti ſatisfeciſſe viſus: *a* atque ante hos ſex annos Vir Præclariſſimus *Henricus Bangertus*, Gymnaſii Lubecenſis Rector meritiſſimus, luculento atque pererudito in Helmoldum Commentario; *b* quo etiam illuſtrem *Ranzoviorum* in Holſatia familiam ab hoc Wiperto deſcendiſſe demonſtrat; de quo item *Genealogia Ranzoviana Alberti Abbatis Stadenſis* Chronico olim adjecta, *c* pluribus poteſt videri.

a Præfat. ad Hiſtor. Wiperti.

b pag. 101. & ſeqq edit. Lubec. 1659.

c Edit. Helmſtad. 1587.

Eſt vero hoc, quod jam ex veteri MSto, caſu inopinato ad nos ante aliquot annos delato, in lucem protrahimus CHRONICON PEGANUM, tam *Monachi* iſtius *Pegavienſis* à *Reneccio*, Anno 1580 Francofurti editi, quam ejus *Continuatoris* ab illo prætermiſſi, tantum epitome: cujus vice nunc ex eodem MSto contra integrum damus GOZECENSE prænominatum Chronicon, ex quo *Reineccius* ſolum partem eam, quæ *Antiquorum Saxoniæ Palatinorum familiam* concernebat, voluerat excerpere, illamque *VVidechindo* Corbejenſi ſuperaddere: *d* velut ex ijs ipſis Reineccij opuſculis jam inventu rarioribus, ac eapropter à SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO AUGUSTO, &c. Domino meo clementiſſimo, ex AUGUSTA AC TOTO ORBE CELEBRATISSIMA CELSIT. ILLIUS BIBLIOTHECA, gratioſiſſime mihi tranſmiſſis, diligenti ipſorum collatione facta cognovi; prò tam clementiſſimo erga hæc ſtudia mea, quamtumvis tenuia, affectu, SERENITATI EJUS grates quam humillime agens habenſque immortales. Utrumque Chronicon, quemad-

d Edit. Francof. 1577.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [32] - 20
PUBLIC DOMAIN

quemadmodum & MONTIS-SERENI habuere & *Georgius Fabricius*, & *Petrus Albinus*, Historici quondam SERENISSIMORUM SAXONIÆ ELECTORUM celeberrimi; quorum hic in *Catalogo Scriptorum*, [e] quibus in Misniæ Chronico conficiendo usus est, ex manuscripto producit *Conradum Lauterbergium*, ac *Misniæ Chronicon vetus, desumtum ex Conrado Lauterbergio, vel Vetero Cellense*; item *Thomanum Lipsiense MStum, quod alij Appendicem Lauterbergij appellarunt*: Ille vero in *Misnæ* Urbis *Annalibus* [f] etiam tempora uniuscujusque accurate notat, quibus cuique ex istis finis ab Auctore est impositus: in annorum quidem numero, ratione Gozecensis & Montis-Sereni nobiscum conveniens, dum ad Christi 1135. scribit: *Finit Chronicon Gotesecium, anno Lotharij Imp. nono*; Ad 1225. vero *Hoc anno desinit Chronicon Conradi Presbyteri Lauterbergij, seu Montis-Sereni, anno Friderici II. Imp. XIV.* In Pegavienſi vero à nobis dissentiens; cum nostrum hoc in anno MCCXII. desinat, ille vero ad usque seculi ejus trigesimum sextum extendat. Ex quo colligere datur, quædam etiam hujus Epitomes periisse, quod & ultima ejus in MSto nostro verba aliena manu adjecta, videntur indicare.

[e] pag. 371. & seqq.

[f] pag. 94. 107. & 109.

Quod vero idem hic Fabricius Chronici Montis-Sereni verba & res gestas sub nomine CONRADI LAUTERBERGII sæpissime citat, ut & laudatus ante Petrus Albinus passim facit, dubium omnino reddunt, num is *Conradus* sit Chronici hujus Auctor, an vero hoc ipsum ex eo tantummodo sit compilatum. Nam ejusmodi Compendium aliquando extitisse, atque adhuc dubio procul in Saxonicis Bibliothecis extare, cum allata Albini verba indicant, tum hæc Fabricij, præfatione ad Siffridi Misnensis Presbyteri Epitomen, [g] ubi: *Sunt & alia*, inquit, *Chronica Misnensia, propria hujus urbis. Unum quod in clade Austiana desinit, non-*

[g] pag. 275. edit. Lips.

dum in vulgus editum, ſcriptum lingua vernacula. Alterum quod eſt VETEROCELLENSE, *quod ſolum nomen Chronici Miſnenſis nunc obtinet, eſtq; è Conrado Presbytero Lauterbergio, magna ex parte deſumtum, de quibus erit alius aliquando dicendi locus.* Tum etiam eruditiſſimus *Johan. Gerhardus Voſſius* utriuſque diſtincte meminit, *h Conradi* quidem, inter Hiſtoricos incertæ ætatis his verbis: *CONRADVS Sereni-montis prope Halim Saxoniæ Presbyter reliquit Chronica: ita librum de fundatione Lauterbergi: & alium de primis Marchionibus Miſnenſibus.* Quæ tamen, cum ex *Johan. Jacobi Freigii Bibliotheca Geſneri recognita, i* videatur mutuatus, ubi in eandem fere verba ſcriptum reperias: *Conradi Sereni-montis prope Halim Saxoniæ Chronica de fundatione Lauterbergi, & primis Marchionibus Miſnenſibus, nondum impreſſa:* quam bene ille unicum, cujus hic modo indicium facit, in tres partiatur libros, equidem non video. De altero vero, inter anonymos incertæ ætatis, *Incertus ſcriptor*, inquit, *k condidit Chronicon Montis-ſereni, cœnobij in diœceſi Magdeburgenſi: quod incipit ab anno MXXIV; ac deſinit in MXLV.* (corrigendum MCXXIV. & MCXXV.) *Hujus MSum Codicem habuit Marquardus Freherus, quem ſe Meibomio edendum dediſſe, refert ipſe in Directorio Hiſtoricorum, quod ſcriptoribus rerum Germanicarum à ſe publicatis præmiſit.* Ne prolixe memorem, quod Albinus quodque frequenter diſtinguat inter Conradum Lauterbergium & *Chronicon Sampetrinum, l* quod haud ſcio, an idem ſit cum Montis-ſereni, quandoquidem & hoc monaſterium à S. Petro eſt denominatum: Quod item Fabricius nonnunquam ex Lauterbergio referat, quæ in hoc noſtro nuſpiam compareant. Cujuſmodi eſt ad annum 1144: *m Inter Reinardum præſulem Mersburgenſem, & Conradum Marchionem Miſnenſem, ob villas aliquot in diœceſi Niſana circa urbem Budiſſinam ſitas, contentio oritur quam Conradus II. Imp. æquis*

h lib. III. de Hiſt. Latin. part. II. pag. 699.

i Ed. Tiguri 1583. p. 171.

k dicto lib pag. 732 ed. Lugd. Bat. 1651.

l pag. 188. & alibi.

m pag. 95. lib. 1. Annal. Miſn.

æquis conditionibus dirimit, jure partibus ambabus præscripto. Cum Marchio esset alieniore erga præsulem animo Eugenius tertius Rom. Pontifex, literis eum Principi commendat, & reconciliat: ut est in Annalibus Lauterbergi. Item ad annum 1157. *n Circa hoc tempus Hermanni Burggravij urbis Misnæ, & Prebeslai ejusdem urbis Advocati, quos nunc Præfectos nominant, fit mentio in Chronico Lauterbergio.* Licet pleraque alia, quæ ex eodem Presbytero proferuntur, hîc quoque locis indicatis legas.

n Ibid. pag. 98.

Nactus vero sum hoc Chronicon, eo ut ederem fine, & quidem ipsius, ni fallor, Meibomij manu ex Freheriano Codice descriptum, à Magnifico Viro *Iohanne Svvartzkopfio*, o Aulæ Guelphicæ quondam Consiliario intimo & Cancellario, hujusmodi studiorum fautore ac patrono summo; cui, licet pie dudum defuncto, nihilominus tamen, LECTOR BENEVOLE, qui hæc studia pariter amas ac suspicis, meritam propterea gratiam grata mente una mecum persolves. Etiam, quas ultimo loco apposui VARIORUM MONASTERIORUM FUNDATIONES, à quodam olim Benedictino Monacho collectas, atque ex MSto nunc primum erutas, pari cum reliquis loco censebis, ac boni consules. Tuoq; favore ac patrocinio porro mihi, ad majora indies suscipienda, calcar addes.

o Vide Præf. ad Lect. Cl. Schraderi in Chron. Marienth. Meibomij edit. Helmst. 1653.

Qui Te Dei clementiæ atque tutelæ etiam atque etiam commendo. Dabam IV Kal. Iulij; quo die ante hos octoginta sex annos Serenissimus Elector Saxonicus, Dominus AVGVSTVS, Princeps nunquam satis laudatus, in Serenissimo Principe ac Domino, Domino AVGVSTO, Patriæ Patre clementissimo (cujus avunculus major erat) *ex aqua & Spiritu tum renascente*, AVGVSTISSIMVM AVGVSTI NOMEN, in Serenissimam Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium familiam, auspicato transfudit, atque etiam in sua potentissima Electorali familia, in qua etiam nunc pari felicitate perdurat, dubio procul propagavit. Penes quas Excellentissimas Domus, ut ille APEX IMPERII, qui AVGVSTI *declaratur nomine*, p sit perennis ac sempiternus. Deum ter max. supplex rogo.

p Freculph. Lex. Chron. Tom 1. lib. 7. cap. 16.

SEQVI-

SEQVITVR MONVMENTVM
CELSISSIMORVM MISNIÆ MARCHIONVM
quorum vita & obitus in hoc Montis-Sereni Chronico exponitur, in ejuſdem Eccleſia adhuc conſpicuum;
Ubi etiam in limine deuſtæ cujuſdam capellæ hos verſus legas lapidi inciſos:

DVM SACER AVGVSTVS GOTHANAM DESTRVIT ARCEM,
SACRA HAEC DESTRVCTA EST FVLMINIS IGNE DOMVS.

HÆC DOMVS SEPVLTVRÆ ILLVSTISSIMORVM PRINCIPVM AC DOMINORVM,
MARCHIONVM MISNENSIVM,
RENOVATA ET ÆDIFICATA EST,
Regnante Illvstrissimo Principe
Ac Domino,
DN. AUGUSTO,
DVCE SAXONIÆ, SANCTI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORE, LANDGRAVIO THVRINGIÆ,
MARCHIONE MISNIÆ, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGENSI
Anno Nati Christi MDLXVII.
MENSE OCTOBRI
TEMPORE QVÆSTORIS
WOLFGANGI GIRSINGS Civis Torgensis
ET PASTORIS HVJVS ECCLESIÆ
AUGUSTINI BERNREITS
MDLXVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [36] - 24
PUBLIC DOMAIN

GENEALOGIA DUCUM DE ENGERN, ET MARCHIONUM DE WITHIN, UNDE LANDGRAVII THVRINGIÆ, Duces Saxoniæ, & Marchiones Misniæ processere, ex Wolffgangi Lazij lib. IX. de Migrationibus gentium.

SIGEHARDUS Princeps de *Engern*, contra *Dagobertum* regem Franciæ electus rex Saxonum, anno 636, *Theodericum* Ducem filium reliquit. 1.

THEODERICUS Dux de Engern, adversus *Carolum Martellum* eligitur rex Saxonum. Qui ex *Dobergera* filia regis Abodrytarum, ubi nunc est principatus Maklaburgensis, progenuit *Edilhardum* regem Saxonum, & *VVernekynum* Ducem de Engern. 2.

EDILHARDUS Rex Saxonum, ex *Heyla* regina Frisiorum genuit *Albronem*, sacris undis perlutum mox post *VVipertum*, & primum Saxoniæ Palatinum: & *Hermannum* Ducem de Engern, interfectum in acie à *Carolo Magno* apud *Bucholez*, anno 787. 3.

WERNEKINUS Dux de Engern & Yburg, ex *Gundehilde* Rugorum principis nata tulit duos filios, *Brunonem* ducem Saxoniæ, & *Vitikyndum* ducem ab Engern. 4.

BRUNO dux Saxoniæ primus, à *Carolo* Magno constitutus ex *Susanna* comitissa Montisfortis & de Rotenfan, *Lutolphum* genuit, à *Ludovico Pio* Saxonibus ducem datum, circa annum 820. Sepultum in Gandershaym, quod fundavit: & qui ex *Oda* Ostrofranca reliquerat *Tanquardum*, *Ekebertum*, *Brunonem* submersum in Oceano, conditorem 5.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [37] - 25
PUBLIC DOMAIN

Brunſvicenſis civitatis, *Ludgardim* Ludovici Pij Imperatoris conjugem, *Haymodem* & *Gerbirgem* moniales & abbatiſſas in Gandershaym.

6. VITIKINDUS, Brunonis frater germanus, in bello Saxonum adverſus Carolum Magnum à gentilibus rex conſtituitur, circa annum Domini 758, & ab eo vincitur, atque ad ſanam Chriſti doctrinam convertitur. Habuit duas conjuges: primam, *Gevam* Daniæ reginam: & alteram, *Suaternam* Bohemam. Obiit anno 818., ſepultus in Badeborna, relictis poſt ſe tribus filijs: *Vitikindo* ſecundo, *VVigberto* & *VValberto*. Cujus filiorum alter *Lutoldus Brunonem* & *Ottonem* reliquit, *Henrici* Cæſaris hoc nomine primi ex cognomento *Aucupis* ex *Luitgardi* Arnolfi Cæſaris filia patrem: unde *Othones* tres Imperatores proceſſere, & tres in Bavaria *Henrici* duces. Habuerat vero *Henricus Auceps* duas ſoroores, & quatuor filias: *Babam* Adalberti Babenbergenſis comitis uxorem, unde marchionum Auſtriæ proſapia defluxit: *Adelhaidem* abbatiſſam in Quitelmburg, *Melchtildem* abbatiſſam in Quitelmburg: *Hedvvigem*, Hugonis comitis Pariſienſis conjugem, qui poſtea factus erat rex Franciæ: *Gerbirgim*, Giſelarici Lotharingorum & Belgicæ ducis uxorem, quæ poſtea nupſerat Ludovico regi Franciæ: *Rixam* duci Bojariæ Arnoldo matrimonio conjunctam, unde Scyrenſes palatini, modo Rheni palatini, electores, & Bavariæ principes defluxere.

7. WIGBERTUS, Witikindi primi filius, baptiſatus cum patre à Carolo Magno victo, fundator Waldershuſenſis cœnobij, ex *Smicilla* Friſia *VValbertum* ſecundum genuit, & *Haſelam* Brunonis Germaniæ principis uxorem, *Kunigundim* Ludovici tertiam conjugem, & *Adelhaidem* abbatiſſam in Quitelmburg.

8. WALBERTUS ſecundus Vitikyndi nepos, & frater Ludolphi,

Ludolphi, qui avus fuerat Henrici Aucupis, dux de Engern & Ryngelburg, ex conjuge *Kerehildi* comitissa de Morsburg genuit *Immodum* ducem de Engern, *Brunonem* archiepiscopum Colonien. fundatorem S. Panthaleonis, *Tanquardum* Saxoniæ ducem interfectum in templo à famulis Othonis primi, & unam filiam *Mechtildem* Henrico Aucupi hoc nomine Imperatori primo nuptam. Porro *Immodus* dux ab Engern, ex *Hyynna* comitissa à Scheyrn Bavara *Gerhaldum* produxit, ab Othone tertio *primum Sabaudiæ Comitem* creatum: *unde hodierni adhuc Sabaudiæ duces ritè descendere dignoscuntur.*

WITIKYNDUS secundus, primi filius, *VVigberti* ac *VValdberti* frater germanus, Burggravius à Ludovico primo constitutus in Zorbekh, in tractu inter Salam & Albim, primus ædificavit *VVithyn*, quod hodie *Vitenberga* nuncupatur, adversus Sorraborum Slavorum incursiones unde rite *Marchiones de VVithyn* descendunt. Is vero ex *Nilada* Comitissa de Rochlicz genuit duos filios, *Fridericum* Burggravium de Zorbekh interfectum, & *Titgreymonem* Marchionem de Withyn, & Burggravium de Budczecz. Qui ex Bosteva Comitissa de Pleysben conjuge procreavit *Dietmarum.* 9.

WILHELMUS Marchio Thuringiorum fuerat, de de quo scribit *Lambertus* in belli Hungarici descriptione, gesti ab Henrico quarto, auxilio Andreæ regis adversus Belam: *Rex* (inquit) *VVilhelmum Marchionem Thuringiorum, & Epponem Citicensem Episcopum, cum duce Bohemorum & exercitu Bojarico illuc misit. Sed Marchio & Episcopus priores Hungariam ingressi, non expectato Duce Bohemorum, cum Belo signa contulerunt, atq; infinitam multitudinem Hungarorum peremerunt.* Et iterum: Anno 1062, *VVilhelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Hungariam & sponsam suam cum magna opum suarum ostentatione adducere parat, inter eun-* 10.

dum, ſecunda manſione morbo correptus obiit. Sponſam ejus Vdalricus Marchio Carentinorum cognatus ejus accepit, Marchiam Otho frater ejus obtinuit. Sed is beneficia Moguntini epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum, & cæteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum. Quæ res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum ejus, & aſſerentibus mori ſe malle, quam patrum ſuorum legitima amittere.

11. OTHO frater *VVilhelmi*, Marchio Thuringiæ poſt fratrem creatus ab Henricho quarto, cujus meminit quoque Lambertus chronographus: *Anno Domini* (inquit) 1067, *Otto Marchio Thuringiorum obiit, gaudentibus admodum Thuringis, eo quod ipſe primus ex principibus Thuringorum, ut prædictum eſt, decimas ex ſuis in Thuringia poſſeſſionibus dare conſenſiſſet; & per hoc calamitatem maximam genti ſuæ invexiſſe videretur. Marchiam ejus Egbertus patruelis regis ſuſcepit.* De quo Egberto proximo capite dicemus.

12. DIETMARUS Marchio de Withyn, ex *VVilda* de Nordringem ſuſcepit *Theodericum*.

13. THEODERICUS Marchio de Withyn, Burggravius de Zorbekh, ex *Juditha* comitiſſa à Waſſerburg progenuit *Fridericum* primum Burggravium Miſniæ, *Dedonem* Marchionem à Withyn, *Eberhardum* Comitem de Ilenburg, *Hildam* Burggravij Miſnenſis conjugem, *Hildam* Comitis ab Ilenburg uxorem, & *Odam* Adalberto Schenkhio cuidam de Sommersberg nuptam. *Eberhardi* porro comitis de Ilenburg meminiſſe videtur *Lambertus Schaffnaburgenſis* in ſuis Annalibus, de Henrici quarti geſtes: *Lüyneburg quoq; oppidum* (inquit) *maximum Ottonis Ducis Saxonici, ſitum in confinio Saxonum & Luticiorum, occupaverat, militeſq; lectiſſimos cum Eberhardo, filio Eberhardi Comitis de Ilenburch, impoſuerat.*

14. DEDI, Marchio de Withyn, Burggravius de Seuslicz & Lands-

& Landsperg, Comes ab Ilenburg & Bren, ex *Dietburgi* Brandenburgensi Marchionissa procreavit multos filios: videlicet *Fridericum* Antistitem Monasterienſem, *Theodericum* Marchionem de Withyn, Burggravium de Landsperg, cui uxor fuerat Ekhardi Thuringiæ Landgravij filia: *Chunradum* (quem susceperat ex *Otilia* Comitissa de Kaczenellenbogen) *Geronem* Marchionem Saxoniæ (quem ex *Berchta* Comitissa de Groycz genuerat) *Dedonem* secundum, Marchionem à Landsperg: *Thiemonem*, Marchionum Misniæ primum, & comitem de Vvithyn, & *Hyldam* duci Bohemiæ desponsatam. Porro hujus Dedi mentionem facit *Lambertus Scaffnaburgenſis*, cum conjurationem principum Saxoniæ describit, contra Henricum quartum. *Erant in ea conjuratione principes* (inquit) *VVezel Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Bucco Halberſtadienſis Epiſcopus, Hezul Hildeshaimenſis Epiſcopus, VVernher Mersburgenſis Epiſcopus, Eilbertus Mindenſis Epiſcopus, Immet Badenbornenſis Epiſcopus, Fridericus Mimigardefurdenſis Epiſcopus, Benno Miſnenſis Epiſcopus, Otto dux quondam Bojariæ, Vtto Marchio, Dedi Marchio, & omni Marchione animoſior atq; implacatior uxor ejus Adela: Eckbertus Marchio Thuringorum, puer adhuc infra militares annos.* Dedi

GERO, Burggravius Saxoniæ de Landsperg, Comes de Seuslicz, *Dedi* primi, vel secundum alios *Theoderici* filius, ex Comitissa à Groitz vidua tres filios, & duas filias tulit: videlicet *Guntherum* Episcopum Cizenſem, *Theodericum* Comitem de Camburg, *VVilhelmum* Comitem de Lauternburg, *Ottonem* & *Hermannum* Misniæ Marchiones. Filiarum *VVilla* Abbatissam egit in Gerbsteten, & *Terburgis* ibidem monialis fuit. Porro hujus Geronis mentionem facit Rhegino Prumienſis chronographus: *eodem anno* (inquit) *Gero marchionum noſtri temporis optimus & præcipuus obiit.* Meminit ejusdem & Lambertus Schaffnaburgenſis, in Henrici hiſto- 15.

ria quarti: *Erant duo* (inquit) *cujusdam Geronis filij, satis quidem edito loco nati, sed propter inopiam rei familiaris inter principes Saxoniæ nullius nominis vel momenti. Hi tempore deditionis ultra Albim fluvium refugerant, ibiq; rei eventum præstolabantur.* Et iterum: *postmodum vero fretus his quos deditione absolverat, quod eorum auxilio in Saxones, qui se læserant, iram suam donec ulcisci posset, consilium mutavit, & statuto die nuncios pro se in Salveld duci Othoni misit, qui ei dicerent, ut contractis quantascunque posset copiis, sibi in marcha Misenensi occurrerent, se per Bohemiam ducto exercitu adventurum: & filiis Geronis Comitis, qui imperitam multitudinem male auspicato ad arma concitassent, si Deus vota prosperaret, redditurum quod mererentur.* Hæc ille. Qui rursus de filijs hujus Geronis, *VVilhelmo, Ottone & Hermanno* scribens: Anno Domini 1061, inquit, *Andreas rex Hungariæ, videns Belem quendam propinquum suum regnum affectare, & Hungaros à se paulatim ad eum deficere, uxorem suam & filium Salomonem, cui Imperator filiam suam parvulo parvulam desponderat, cum multis opibus ad regem Henricum transmisit, petens, ut sibi misso exercitu subveniret, & donec rebus tranquillitas daretur servaret. Rex VVilhelmum Marchionem Thuringorum, & Epponem Zicensem Episcopum, cum Duce Bohemorum & exercitu Bojarico illuc misit: sed Marchio & Episcopus, priores Hungariam ingressi, non expectato Duce Bohemorum, cum Bela signa contulerunt, atq; infinitam multitudinem Hungarorum peremerunt.* Et iterum, scribens de anno Dominicæ in carnationis 1062: *VVilhelmus Marchio reversus in Thuringiam, dum redire in Hungariam, & sponsam suam, cum magna opum suarum ostentatione, adducere parat, inter eundum secunda mansione morbo correptus, obiit. Sponsam ejus Vdalricus Marchio Carenthanorum, cognatus ejus, accepit: Marchiam Otto frater ejus obtinuit.*

16. CHUNRADUS, Geronis ex Dedi frater, ex *Otilia Comitissa*

mitissa de Kaczenellenbogen susceptit filiam *Berchtradam*, conjugem *Berengarij* Thuringiæ Landgravij, Domini de Zangershusen.

DEDI secundus & junior, senioris ex *Adala* filius, Marchio de Landsperg, Burggravius de Zorbekh & Lusacz, Comes de Ilenburg, Bren, & Kaniberg: ex duabus conjugibus, *Oda* Comitissa de Orlamund, & altera Adelhaide Ducissa Brabantiæ, tulit *Dedonem* tertium, *Chunradum* tertium, ab Hungaris interfectum: & *Henricum*. Filiarum *Agnes* Palatino Saxoniæ nupsit, *Adelhaides* Marchioni Austriæ. Porro meminit hujus Dedonis non semel Lambertus Schaffnaburgensis, in historia Henrici quarti: *Filius* (inquit) *Vttonis Marchionis, & filius Adelæ derelictæ Dedi Marchionis, ambo teneræ ætatis, & longe adhuc infra pubertatis annos pueruli, cum in munitione cujusdam Eberhardi ministri regis custodirentur, magnum quoddam & posterorum memoria dignum nobilissimæ indolis documentum ediderunt.* Et iterum: *Cumq; sub idem ferme tempus Dedi Marchio longa ægritudine absumptus decessisset, marchias ejus Bohemiæ duci in præmium exactæ militiæ dedit. Tametsi uxor Marchionis Adala, filium suum, cui hæreditario successione Marchia debebatur, ei paulo ante pro se obsidem misisset. Et ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstungen, intemeratam semper erga regem, remq; publicam, fidem servasset.* Et iterum, de auxilijs regi Hungariæ missis differens: *Regina Hungarorum, mater Salomonis regis, Duci Bojariorum Othoni dono dederat, cum eo suggerente atq; annittente rex filium ejus in regnum paternum restituisset. Cumq; eum dux Ottofilio Dedi, Marchionis Dedi juniori in argumentum pignusq; individuæ dilectionis ad tempus præstitisset, illo (ut prædictum est) perempto, Regi, & per regem Lupoldo huic casu obvenerat.* Loquitur autem de gladio Athilæ, quondam Hunnorum regis, illius flagelli Dei. 175

THIEMO

18. THIEMO, frater germanus *Geronis*, *Chunradi* & *Dedi* Junioris, ſenioris ſcilicet filius, primus Miſniæ Marchio, & Comes de Withyn, ab Henrico quinto inauguratus, ex Ida Marchioniſſa Maſoviæ filios genuit, *Chunradum* ſecundum, *Ekhardum*, & *Dedonem* tertium. *Mechtildis* filia nupſit *Geroni* Marchioni.

19. DEDI tertius, ex *Berchta* filia Wigberti Comitis de Groicz, filiam unicam ſuſcepit, *Mechtildem* nomine, *Rolandi* Comitis de Babenberg uxorem.

20. CHUNRADUS tertius, filius *Thyemonis*, primus inveſtitus Marchio Miſniæ, ex *Luitgarde* Alberti Sueviæ Ducis filia progenuit quinque filios, & totidem filias: & ad poſtremum pertæſus vitæ illius, monaſticen profeſſus eſt in *Lauternberg* propria fundatione. Filiorum primus *Henricus* nomine ex *Sophia* Bavera procreavit duos filios, & unam filiam. Videlicet *Vdalricum*, *Henrici* poſtremi Comitis de Withyn patrem: *Chunradum*, & *Sophiam* Burggravij Magdenburgenſis conjugem. Secundus vero *Theodericus*, fundator Doberlingenſis cœnobij, ac conditor caſtrorum Landsperg ac Schilda, poſt *Dorbergam* Polonam, ex *Kunigunde* Comitiſſa de Pleiſſen tulit duos filios & unam filiam: videlicet *Theodericum* Mersburgenſem præſulem, *Cunradum* quintum interfectum in ludis Martialibus anno 1175, & *Gertrudim* Abbatiſſam in Gerbſteten. Tertius erat *Fridericus*, qui ex Hedvvige filia *Diepoldi* principis Bohemiæ nihil tulerat. Quartus erat DEDI, hoc nomine quartus, Comes à Rochlicz & Groycz, atavus S. Eliſabetæ: qui ex *Mechtilde* de Humelspurg procreaverat unicam filiam *Agnetem*, ducis Meraniæ conjugem: & filios quatuor, videlicet *Philippum* Præpoſitum Xantonenſem: *Theodericum* Præpoſitum Magdeburgenſem, poſtea Palatinum Saxoniæ, qui ex *Mechtilde* Thuringa *Agnetem* unicam filiam tulerat: *Henricum* Comitem de Rochlicz:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [44] - 32
PUBLIC DOMAIN

Rochlicz: & Chunradum, qui ex *Elisabeta* Polona *Mechtildem* susceptit, *Alberti* Brandenburgensis uxorem, & *Agnetem* Henrico Palatino Rheni nuptam, & *Chunradum* postremum Comitem de Rochlicz. Porro de quinto filio *Othone*, qui stemma propagavit, seorsim suo mox loco dicturus sum. Itaque & filiarum *Gertrudis* desponsata Palatino Rheni, Babenbergæ S. Theodorum fundavit: *Adela*, primò Sueviæ Regis Daniæ, & deinde Alberti Marchionis Brandenburgensis conjux: *Sophia*, Gebhardo Bavaro, filio Lotharij Cæsaris nupsit: ODA Abbatissam egit in Zerbstet: AGNES Abbatissam in Quintelmburg.

OTTO, unus filiorum *Cunradi* tertij, qui genus propagavit, Marchio Misniæ & Lusaciæ, ex Hedvvige Alberti Brandenburgensis filia procreavit *Albertum*, *Theodericum*, *Adelam* Ottochari Bohemiæ Regis conjugem, *Sophiam*, Vdalrico Bohemiæ Principi desponsatam, & inde Burggravio Norinbergensi nuptam. Porro Otho mineras argenti prope Friburgum invenit, & monasterium *Altzel* fundavit, anno 1180. Cujus filiorum alter *Albertus*, ex *Sophia* Bohemiæ regis nata unicam filiam progenuerat, *Christinam*, Comiti de Lobdeburgh nuptam. 21.

THEODERICUS, *Othonis* filius, hoc nomine tertius, ex Comite de Weissenfels Marchio Misniæ creatus, ex *Juditha* Hermanni Landgravij Thuringiæ filia procreavit *Henricum*, *Chunradum*, *Ottonem* secundum, & *Hedvvigem*. 22.

HENRICHUS, filius *Theoderici*, suæ primus familiæ Thuringiæ Landgravius investitus, cum Comitum Aurelianensium, de quibus supra dictum est, familia defecisset, cum Misniæ interim quoque Marchio foret, tres conjuges in matrimonio habuit: *Agnetem* Bohemam, *Constantiam* Austriacam, & postremam *Nobilem de Malticz*. Ex quibus tulit filios quatuor, & duas filias, quæ monasticen in Weissenfels 23.

professæ sunt: videlicet; *Albertum* secundum: *Theodericum* quarrum, Pinguem cognomento, dominum de Landsperg: & *duos Fridericos*: quorum *Theodericus* Helenam Brandenburgensem in matrimonio habuerat. *Fridericus* unus *Theodo* cognomento, duxerat *Hildegardim* Bavaram: alter vero *Fridericus* dominus de Dresden, ex *Juditha* de Schvvarczenburg genuit filium *Apetonem*, Landgravium in Denneberg.

24. ALBERTUS, tres in matrimonio claras fœminas habuit: primam *Margaretham* Friderici Cæsaris secundi filiam: secundam, *Kunigundim* Comitissam de Eisenburg: & tertiam, *Adelhaidem* Comitissam de Cassel. ex quibus suscepit filios quinque, & unam filiam *Agnetem*, Ducissam Brunsvicensem: filios autem, *Fridericum* hoc nomine in stirpe sextum, qui familiam propagavit: *Fridericum* septimum, Comitem de Altenburg: *Henricum* & *Dietmannum*. Quorum hic ex *Gueta* de Henneberg nihil tulit, interfectus Lipsiæ à servo: ille vero ex *Hedvvige* Silesia pariter nullam prolem reliquit.

25. FRIDERICUS, hoc nomine in stirpe sextus, ex duabus conjugibus, *Agnete* Charentana & *Elisabetha* Comitissa de Arnschlag, genuit *Fridericum* Octavum.

26. FRIDERICUS octavus ex *Mechtilde* Ludovici quarti Cæsaris, Bavariæ ducis nata, progenuit *Fridericum* nonum: *Ludovicum* Episcopum Halberstadiensem, qui postea ad Archiepiscopatus Magdeburgensem & Moguntinum vocatus fuerat: *Vvilhelmum*, *Balthasarem*, *Beatricem* Abbatissam in Scheuslicz. *Elisabetham* Burggravij Norinbergensis conjugem, Annam Rudolpho Saxoniæ Duci collocatam, & *Agnetem* Brunsvicensem. Quorum *VVilhelmus* Ludmillam Moravam nactus fuerat uxorem: *Balthasar* vero duabus junctus fuerat, *Margarethæ* Nurmbergensi, & *Agneti* viduæ Brunsvicensis.

FRIDE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [46] - 34
PUBLIC DOMAIN

FRIDERICUS nonus hoc nomine, cognomento *Strenuus* ex *Catharina* Comitissa ab Henneberg genuit *Fridericum* decimum, *Georgium*, & *VVilhelmum* secundum, fundatorem Altenburgensem, *VVilhelmum* secundum, *Annam* Brandenburgensem. 27.

FRIDERICUS decimus, primus Elector Saxoniæ à Sigismundo Imperatore creatus, ex *Catharina* Brunsvicensi procreavit *Fridericum* undecimum, *Henricum* tertium, *Sigismundum* Antistitem Herbipolensem, *VVilhelmum* qui habuerat in conjugio *Catharinam* de Brandenstayn, *Annam* Brandenburgensem, *Catharinam* Munsterburgensem, & alteram *Catharinam* Landgravio Hassiæ nuptam. 28.

FRIDERICUS undecimus, Elector secundus sui generis, ex *Margaretha* Austriaca, Friderici Cæsaris tertij sorore, genuit *Arnestum* Electorem: *Albertum* Ducem, qui familiam propagavit: *Albertum* Moguntinum Archiepiscopum, *Arnestum* Magdeburgensem Episcopum, *VVolfgangum*, *Fridericum* & *Alexandrum*, qui in juventute obierant: *Annam* Alberti Brandenburgensis conjugem, *AEmiliam* Ludovico Duci Bavariæ nuptam, *Hedvvigem* Abbatissam in Quintelmburg, & *Martham* Abbatissam in Scheuslicz. 29.

ARNESTUS Elector Saxoniæ, ex *Elisabetha* Bavara tulit *Fridericum* Electorem, fundatorem Academiæ Witenbergensis: & *Joannem*, qui post Fridericum fuit elector: qui ex duabus uxoribus, *Sophia* Meklaburgensi, & *Margaretha* de Anhalt, progenuit *Joannem Fridericum*, quem electionis jure Carolus Cæsar quintus privavit: & *Joannem Ernestum*. Porro filij *Joannis Friderici* adhuc in humanis sunt, ex Sybilla Juliacensi nati, *Ioannes Fridericus*, *Ernestus*, & *VVilhelmus*. 30.

ALBERTUS hoc nomine tertius, *Arnesti* electoris 31.

frater germanus, undecimi *Friderici* filius, ex *Maria* Philippi Pomeraniæ Ducis filia, tulit *Fridericum* duodecimum, Commendatorem Teutonici ordinis: *Georgium* & *Henricum*. Filiarum *Catharina* conjuncta fuit Sigismundo Duci Austriæ in Tyroli, quæ postea Brunsvicensi Duci nupsit.

32. GEORGIUS, *Alberti* Ducis Saxoniæ, non Electoris, filius, ejus qui Maximilianum Cæsarem ex captivitate Flandrica liberaverat, Dominus tractus Lipsensis, & qui olim juvenis Frisiæ erat à Maximiliano Cæsare præfectus, ex *Barbara* Poloniæ Regis filia suscepit *Ioannem*, cui Hessa conjux fuerat: *Fridericum* decimum tertium, qui Mansfeldinam sibi conjunxerat: *Christinam*, Philippo Hassiæ Landgravio collocatam: *Magdalenam* Brandeburgensem: & quæ in juventute obierant, *Annam* & *Margaretam*.

33. HENRICUS, & ipse *Alberti* Ducis, non Electoris, filius, *Georgij* ducis de Lipsia frater germanus, primo Prussiæ Magister, deinde in divisione cum fratribus, Dresdam ac Friburgum nactus, ex *Catharina* Meklaburgensi suscepit *Mauritium* & *Augustum*, utrosque nostra ætate Electores Saxoniæ. Quippe *Mauritium* Carolus quintus Cæsar *Ioanni Friderico* substituerat, anno 1546. Et *Mauritio*, ab Alberto Brandeburgensi in acie occiso, anno 1552, *Augustus* frater successit, qui ex *Christiani* Daniæ regis filia genuit * *

Hucusque Lazius.

RENERI

REINERI REINECCII DE PRIMIS MYSNIÆ MARCHIONIBUS, è Ditmaro summatim repetita, & deinde usq; ad Conradum, Timonis F. deducta expositio, annexa Chronico Ditmari Merspurgensis, à se edito Francof. 1580.

CONveniunt sententiæ in eo omnium, oriundos primos Mysniæ Marchiones à WIDECHINDO Magno fuisse. Solus *Fabricius* in Annalibus Mysnæ discrepans, à BRYNONE, Widechindi fratre, derivavit. Seriem eorum haberi continuam posse, negat *Brotuffius*. De quo differere hic enodatius visum non fuit. Me haud pœnitet eorum sequi sententiam, qui primum inter Marchiones faciunt DITGREMI è *Friderico* F. pronepotem, quem eundem de progenitorum aliquot nominibus *Fridericum* appello. Hujus successor & filius credi fortè RIDACUS poterit. Quo genitus CAROLUS cum sententia OTHONIS II. Cæs. successione excidisset, eaque in ECCARDUM translata esset, manet illa deinde filio ipsius HERMANNO. Hunc excepere rursus familiæ Wettinensis Comites, & ita excepere, ut per diversas propagines Mysniam deinceps semper retinuerint. Forsitan autem & ECCARDUS ad Ditgremi posteritatem pertinet, ita ut *Guntherum* patrem, *Friderici* filium, *Ridaci* fratrem, statuamus. Ditmarus quidem illum Marchionem nominavit. Est & hoc minimè obscurum WIDECHINDI Junioris posteros in diversas se familias diffudisse: quippe qui præter *VVettinenses* Comites, & *Ileburgios* & *Merseburgios* propagarint cùm nimirum à sedibus diversis denominatio-

nes etiam diversas usurparent. Certè de Mersepurgijs diserta hoc mentione Ditmarus retulit. Nec alia quàm agnatio extitisse caussa videtur, quod *Hermanno Eccardi* F. DEDO successit. Tametsi non negarim, majus huic vinculum matrimonio *Mathildis*, Hermanni F. allatum fuisse. Faciemus ergo *duas Marchionum Misniæ familias*, ab uno & eodem conditore *Ditgremo* deductas: primam & veterrimam FRIDERICI, quem *Ditgremus* pronepotem habuit; alteram DITTERICI, qui *Ditgremi* è progenitoribus *Ditmaro*, *Ditterico*, *Dedone* abnepos fuit. Atque ut res planior fiat, utranque à conditore WIDECHINDO Juniore repetemus, ita tamen, ut nuda eos nomenclatione referamus, quorum res gestæ à Ditmaro traditæ non sunt.

WIDECHINDUS, cognomento Junior, retinuit è paternis possessionibus tractum ad Salam, nomine & titulo *Comitis VVettinensis*, veteri consuetudine. Neque enim antiquitus Ducum filij Duces omnes nuncupabantur, sed is tantum, qui successionem exciperet, reliquis non altiorem quàm Comitum dignitatem usurpantibus. Unde hoc evenit, ut unius stirpis familiæ, ut nomina, ita & dignitates diversas gererent: qua de re passim in Annalibus exempla observare licet. Ditmarus à Widechindo conditam *familiam* non Wettinensem, sed *Budsetiam*, ab altero quodam provinciæ ipsius oppido, denominavit, pag. 71. vers. 55.

Ditgremus, VVidechindi F.

Fridericus

Fridericus.

Fridericus quem nobis ita appellare libuit, primus Mysnæ

Myſnæ Marchio ab HENRICO Aucupe Cæſ. creatus, primam itidem, quæ noſtra ſententia eſt, Marchionum familiam propagavit. Nati ergo fortè illo ſunt RIDACUS & GUNTHERUS. Nam quod pleriſque movere hîc dubium videntur, id totum in medio relinquo.

RIDACUS Myſnæ Marchio alter abeſt Merſeburgi, quo tempore HENRICUS Hezelo, Dux Bavariæ, Imperio, quod contra Othonem III. invaſerat, abdicato, à *VVagone*, præfecto BOLESLAI Boiemi cum exercitu per fines ejus deduceretur. Quod dum negligit, nec quicquam inde ſiniſtri ſuſpicatur, magno id mox diſpendio luit. Nam *VVago* cum Oppidanis Myſnenſibus urbis deditionem pactus, per eos *Ridacum* præfectum, ipſe *Fridericum* ad colloquium evocatum perimit, jamque occupatum illam præſidio firmat. Nec deinde Myſna ad Ridacum rediit, ſed in Boiemorum poteſtate uſque ad ECCARDUM permanſit. Huic enim ſponte ea rurſus ceſſit Boleslaus. Vixit apud Ridacum à puero DEDO agnatus è familia Budſetia, hoc eſt, Wettinenſi, de quo infrâ Ditmarus lib. 6.

Carolus amittit feudum, ut nominavit Ditmarus, ſeu bona dedita per calumniam, eamque fortunæ acerbitatem excelſo animo perfert. Moritur temporibus Henrici II. Cæſ. IV. Cal. Maii M. XIII. Ditmarus lib. 7.

Guntherus ex nobiliſſ. Turingiæ auſtralis natalibus, ut loquitur Ditmarus, hoc eſt, ut ego opinione auguror, Friderici F. Ridaci frater, geſſit multa pro OTHONE II. Cæſ. bella, uſus ad hæc opera ſtrenua ECCARDI F. gratiam tamen ex his meritis dignam non collegit: quippe qui à dignitatibus aliquandiu excluſus fuerit. Dedit temporibus ejus idem Imperator non ignobilem Epiſcopatui Merſepurgenſi ſaltum; qua quidem in expoſitione à Ditmaro Marchio nominatur. Reliquit liberos *ECCARDVM*, *Gunzelinum*, & *Brunonem*

nonem. Qua de re etsi planæ sunt Ditmari expositiones, libuit tamen hoc loco argumentum id unum repetere, quod *Guncelinum Hermanni* patruum vocat, hanc subjiciendo γνώμην: *Semper patrui in fratrum filios severi.*

Eccardus adolescit spe & fama indolis præclarissimæ: bellicis studijs sub patre assuescit, cum eoque pro OTHONE II. Cæs. bella multa conficit feliciter. Quocirca ita ab hoc diligitur, ut in Mysniæ Marchia, Carolo excluso, *Ricdaco* surrogatus sit. Ea re quasi materiam uberiorem exercendæ virtutis sibi oblatam ratus, mox in *Boleslaum* Boicum arma expedit, eumque cedere sibi Mysna compulsum, militem deinde, ut loquitur Ditmarus, retinet. Inde Milzenos (erant hi Soraborum gens in Mysniæ finibus) adoritur atque edomat: cum Boleslao Polono fœdus & amicitiam conjungit: bona quæ possideret deditia, hæreditaria impetrat, & fœliciſſimo fortunæ arridentis successu eò usque progreditur, ut in Turingia communibus gentis suffragiis principatum promeruerit. Ubi rebus humanis excessit OTHO II. à filio & successore hujus OTHONE III. gratiam eandem init. Quem in Italiam secutus reversum inde & religionis causa in Poloniam cogitantem redux ipse excipit Mysnæ honorificentissime. Unde cùm Cæsaris in ipsum aucta benevolentia, hunc jam solus possideret, parem adhuc sibi *Gisilerum*, Archiepisc. Magdeburg. clam mordet: & vicissim ipse *Lotharium* Comitem urit, eosque dehinc sibi spiritus sumit, ut à morte Cæsaris Imperium affectavit. Ea de causa Fraſæ Principum conventu indicto, adversantem sibi Lotharium quid adhoc institutum ipsum perpelleret, interrogare ausus, responso retunditur ejusmodi: *An non intelligeret, currui suo rotam quartam deesse?* Nec tamen sic quievit; & comitijs in alterum Werlensem conventum rejectis cum ibi HENRICO Bavaro Cæsare designato, iterum rebus

rebus novis ſtuderet, regios ſibi in accubitu honores uſurpat: ac tametſi ea re offenſi animi plurimorum eſſent, eoſdem tamen etiam Hildeshemij repetere audet. Inde Padebornam profectus, non pro ſpe accipitur, nec quod cum *Hermanno*, Duce Sueviæ, colloquium inſtituerat, ſuccedit. Quare cùm domum rediturus, Northemium deflexiſſet ad *Sigefridum* Comitem, ab filijs hujus, è quibus *Henricum* cædi loris juſſu Othonis III procurarat ſtrui ſibi inſidias cognoſcit. His elapſus, ab inſequentibus de nocte dormitans opprimitur: & cum è comitatu ejus cæſis fideliſſimis ipſe pugnare pergeret fortiter, à *Sigefrido* haſta collum tranſverberatur, & lapſantis caput cervicibus abſcinditur. Conditur honorifice Jenæ ad Salam. Ditmarus lib. 4. & ſeqq. ubi & elogium ipſius additur. E rebus proſperè cadentibus hoc etiam ſibi ſumſit, ut *Bennonem*, dignitatis equeſtris virum, excœcarit, ut idem Ditmarus lib. 4.

GUNCELINUS, præbet ſe Myſnenſibus oppidanis ſeditiosè contra HERMANNUM, fratris filium, tumultuantibus ductorem, uſus temporis opportunitate, quòd præſidij pars magna abeſſet. Atque occupata porta quadam, & in amicis *Hermanni* Breccione cæſo, ad obſidionem ejus aggreditur. Hanc illam deprecantem diſcedere permittit, & urbem *Boleslao* Polono deditam, cuſtodiendam accipit. Quàm cum ille deinde in bello *Henrici* Comitis, cui confœderatus eſſet, reſtitui ſibi poſtularet, *Guncelinus* formidine novi ab *Henrico* II. Cæſ. periculi, cujus interea militem præſidiarium receperat, id detrectat. Quapropter bello à *Boleslao* oppugnatur: Lumacia ſolo æquatur, & cùm Mogolena obſeſſa itidem in hoſtis poteſtatem perventura fuiſſet, callido commento hunc in Boiemiam & Bavariam avertit. Eam Cæſar defenſurus, cùm in Milzenos progreſſus, nivibus impediretur, *Guncelino* præſidium novum Myſnæ relinquit: &

post Italicam expeditionem bello in hos renovato, Budissinam flammis absumsisset, ni *Guncelinus* id provido consilio impediisset. Dedita enim hæc paulo post fuit jussu Boleslai & ipse firmius præsidium accepit. Nec tamen his meritis planè Cæsari reconciliari, & Polonicæ societatis invidiam abolere potuit: ac sævo odio semper ab *Hermanno* dissedit. Cumque arma tandem sumsisset utercque, infelici conatu Strelam tentat. Inde vehementer exacerbatur, Rochliciam captam in cineres redigit, sed arcem ipse ad Salam operis præclari amittit. Quarum rerum fama mox ad Cæsarem perlata, unà cum *Hermanno* Merseburgam ad causam dicendam evocatur. Ibi multorum criminum accusatus, & à Cæsare Majestatis damnatus principum intercessione vita donatur, & asservandus *Arnolpho* Episcopo traditur, Ditmarus lib. 5. & seq.

Bruno præest Mysnæ, quo tempore *Guncelinus* Merseburgi apud Cæsarem causam diceret: eoque damnato, munere illo usque ad *Hermanni* adventum perfungitur. Ditmarus lib. 6.

Cum ECCARDO connupta fuit SVANEHILDIS, *Bernhardi* ducis Saxoniæ F. quæ ante cum Ditmaro Marchione Lusatiæ, fuisset: è qua liberi procreati *Lucarda*, natu maxima, HERMANNUS, ECCARDUS, GUNTERUS, &, quæ nostra sententia est, filia altera ODA. Nominat enim hanc Eccardi Marchionis filiam Ditmarus lib. 7. ut genita Eccardo filio videri nequeat.

HERMANNUS, facit de patris voluntate atque jussu bellum *Wilhelmo*, Comiti Vinariæ, idque propter cædem filij ipsius geminam. Hoc prospere gesto, & Vinariensi facere imperata coacto, cum in eodem tempore tristem de patris interitu nuncium accepisset, illico isthuc cum matre advolat, & funus ejus deducit curatque honorificè, pergit deinde

deinde Myſnam: ab oppidanis precio corruptis ab *Boleslao* Polono, qui cognita Eccardi morte, populabundus Luſatiam & Myſniam invaſerat, obſidetur ſeditiosè: atque in amicis *Breccione* peremto, *Ozerus* præfectus ad necem deposcitur. Id cùm per *Ditmarum*, dignitatis equeſtris virum, deprecaretur, & multitudinem, patris huic exprobrando beneficia, ut arma deponeret, aut diſcedendi ſibi poteſtatem faceret, hortaretur, poſtremum ſolum obtinet, & urbs Polono deditur. Cum quo poſtmodo gratia reconciliata, etiam Cæſaris beneficio Budiſſinæ præfecturam accipit. Per id tempus familiariter cum *Bolislao* congreſſus, deniq́ue Fecialis ad bellum illi denunciandum ablegatur. Ideo minus benignè habetur, & Budiſſinam quandoquidem, quæ oppidanis induciarum tempore auxilia policitus eſſet, non mitteret, deditione amittit. Aliquanto poſt, quæ ei cum Guncnlino patruo eſſet, ſimultas recrudeſcit & in bellum erumpit. In quo bello Rochlicia exutus, cladem eam ita ulciſcitur, ut arcem Guncelini ad Salam nobiliſſimam expugnatam vaſtarit, & in diſceptatione apud Cæſarem cauſam obtinuerit. Cumq́ue Guncelino tum in Myſnenſi Marchia ſurrogatus eſſet, *Fhidericus* Dedonis F. aliquanto poſt & Cunegundæ Auguſtæ interceſſione, & principum ſuffragio, ſibi eam impetrat, & deducente Cæſaris legato Myſnam redit. Ibi ſumma clementia uſus, ignoſcit ultro omnibus, idq́ue adeo dextræ ſtipulatione confirmat. Abeo tempore, cum ob crebras *Boleslai* Poloni injurias Cæſar bellum contra eum redintegraſſet, huic nomen dat: nec multo poſt Cæſare propter adverſam valetudinem domum regreſſo, cum JAROMIRO Boiemo & *Gerone* aliquantiſper in armis manet, nulla tamen re memorabili geſta. Qua de cauſa cum fieri pacem Cæſar paſſus eſſet, ea rupta, *Boleslaum* evocantem viſit: pacem denuo ſuadet: legatum illius propterea

pterea ad Cæsarem missum deducit, sed ut operam illam frustra insumserit: quia *Boleslaus* interea Boiemos ad defectionem solicitarat. Quo circa cum iterum ad bellum ventum esset, excipit *Geronis* Marchionis cadaver, qui in eo ceciderat, & cum fratribus [*Eccardo* & *Gunthero* aliquo usque comitatur. Etenim Cæsaris mandato propere Mysnam regredi, eamque à *Misecone*, Boleslai F. defendere jussus, vix hostem irruentem antevertit. Quo post captum suburbium, atque incensum, eo ardore in urbis oppugnationem incumbente, ut de defensione fermè desperaret, subita Albis inundatione illum avertit. Quare firmius deinde ab Cæsare præsidium consequitur: instauratur suburbium, & tanquam collega ei *Fridericus* Comes adjungitur. Neque sic etiam hostis metu solutus, cadaver *Idonis* Episcopi, haud multo post mortui, Mysnæ detinet & sepeliri ibi mandat, urbis excidium, quod ille prædixerat, caveri ita posse ratus. Ubi tandem cum *Boleslao*, bellum in Russiam translaturo, pacificatio instituta est, ei actioni Cæsaris nomine Budissinæ cum *Ditterico* Comite adest. Jamque exinde pace fruens, de saltu quodam cum DITMARO, Eqiscopo Merseburg. in contentionem venit. Quæ cum interventu Cæsaris dirempta esset, aliquanto pòst legatus in Poloniam proficiscitur: & cum interea cum *Ditmaro* simultas recruduisset, suos satellites & in illum & in *Geronem* Magdeburgium agere protervius permittit, Ditmarus lib. 5, 6, 7.

Eccardus oppugnat cum *Hermanno* fratre *Guncelinum*: eoque bello ex sententia confecto, post clandestinam cum *Boleslao* Polono amicitiam colit: fovet ejus speculatores, & denique absque *Henrici II.* Cæs. venia ad illum proficiscitur, & de Cæsare multa loquitur odiosius. Ideo ad causam dicendam evocatus, cum judicium damnationis metu detrectaret, bonis exuitur. Pòst tamen Cæsari ex quorundam inter-

intercessione reconciliatur suaque recuperat. DITMARO Merseburgio occultè infestus, sylvam quandam ejus venationibus occupat, & suos ac fratris satellites grassari licentius permittit. Ditmarus lib. 6. & seq.

Guntherus memoratur à Ditmaro lib. 7.

Lucarda despondetur *VVernero*, *Lotharii* Comitis filio, quæ sponsalia patre pòst retractante, cum propterea ab Abbatissa Quedlinburgensi, quæ Imperij tum gubernacula teneret, conventus principum *Dombergæ* indictus esset, vi rapitur à sponso: itaque connubio assensa, etiam sponsus deinde, postquam Abbatissæ supplicavit, veniam promeretur. Ditmarus lib. 4. pag. 42.

Mathildis nupsit *Ditterico* Wettinensi, mater *Dedonis* & *Timonis*, ut Chronic. Mysn.

Oda collocatur *Boleslao* Polono, qui diu multumque eam ambivisset, idque sub id tempus, quo pace cum *Henrico II.* Cæs. facta, ille se ad bellum Russicum compararet. Ditmarus lib. 7.

ALTERA MARCHIONVM MYSNIÆ FAMILIA.

Ditmarus, alter *Ditgremi* F. secundæ Marchionum Mysn. familiæ conditor.

Dittericus, memoratur nomine tenus à Ditmaro lib. 6. Filios reliquit DEDONEM & FRIDERICUM.

Dedo vixit à prima pueritia apud RIDACVM Marchionem, agnatum. Ubi ex ephebis excessit, mirificè & animi & corporis robore enituit. Quo circa cum belli materiam quæreret, juvenili & temerario conatu Boiemos Cicensi agro immittit, & in reliqua præda etiam matrem abduci captivam patitur. Reconciliatur tamen aliquanto pòst OTHONI III. Cæsari, & ab summi ingenij commendatione gratiam ejus illustrem promeretur. Qua tempestivè usus Mersepurgii Comitatus partem à BIONIS à vita excessu impetrat, & *Zorbeci*

Burggrafiatum, qui antea Imperatorum beneficium fuisset & sibi & *Friderico* fratri hæreditarium facit. Mox ad conjugium animum appellit, & THITBVRGAM, *Theodorici* Marchionis filiam, uxorem ducit. Iamque ex tanto rerum successu majores sibi spiritus sumens, occulto in *Othonis* Cæs. successorem *Henricum II.* odio accenditur, & in reliquos principes palam injurias immittit. Quos inter cum VVERNERVM Marchionem ita Cæsari accusasset, ut sententia hujus jam condemnandus, vix *Burcardi* Palatini intercessione conservatus sit, tam obstinatè vexare illum pergit, ut subjectum ipsi *VVolmerstadium* oppidum exuri curarit, & ad *Tangermundam* usque excursiones fecerit. Vbi occurrente ei *VVernero*, cum suis profugientibus hostem fortiter exciperet, cum *Egilhardo*, qui solus apud eum mansisset, obtruncatur. Ditmarus lib. 6. p. 71.

FRIDERICVS imponitur ab HENRICO II. Cæsare *Mysnæ præfectus*, post exauctoratum & in vincula conjectum *Guncelinum*, hoc est, *Burggrafius* ibi primus constituitur, ut interpretatur in Annalibus Mysn. Fabricius. Quo munere etsi paulo post se sponte abdicavit, in fide tamen erga Cæsarem constanter permansit. Cumque prudentia, summa esset, & liberis maribus careret, possessiones suas ita *Ditterico*, fratris filio, legat, ut rationem ab hoc filiarum haberi voluerit. Ditmarus lib. 6. & seq.

Nascitur DEDONE & *Thitburga* DITTERICVS.

DITTERICVS, impetrat bonorum paternorum successionem ab HENRICO II. Cæs. intercedente pro eo Augusta cum reliquis principibus, *Ileburgum* ab *Friderico* patruo morituro certis conditionibus accipit: quæ res cum & à Cæsare rata haberetur haud multo pòst idem oppidum grave ab incendio subito damnum accipit. Vbi cum *Boleslao* Polono fieri Cæsar pacem permisit, actioni illi *Budissinæ* adest Ditmarus lib. 7.

Fuit in Ditterici matrimonio MATHILDIS, *Eccardi* Marchionis F. unde in reliquis liberis nati DEDO & TIMO.

DEDO, Marchiam Mysnensem post *Hermannum* avunculum consecutus videtur, idque vel agnationis jure vel propter matrem. *Timonis* quidem illum fratrem extitisse, diserte Annales Gozecenses affirmant. Habent historiam ejus Schaffnaburgensis & Vrspergensis. E filiis præcipuè memorantur:

Dedo

Dedo — *Henricus* successor, quo genitus est

Henricus cognomento Junior, quo mortuo cessit Mysnensis Marchia CONRADO, Timonis F.

Timonis historia extat in Chronico Mysnensi, & pertractatur carmine in Marchionibus Mysnensibus à Georgio Fabricio. Nascitur eo

CONRADUS, Mysnensem Marchiam post Henricum Juniorem vi & armis consecutus, deinde eam ad posteros propagavit: & *supersunt hodie è progenie ipsius Electores & Duces Saxoniæ* &c. Vide de historia ejus Chronic. Peg. ad annum 1123.

Hucusque Reineccius ad Ditmari Chronicon. *Quæ vero sequitur pars Genealogiæ, subnexa ab eodem est Historiæ Friderici Magni seu Admorsi, à Joh. Garzone conscriptæ* atq; *editæ Franc. 1580.*

Otho Dives

Dittericus

Constantia prima conjux — HENRICUS Illustris — Elizabetha Maltitia tertia conjux

Margarita Friderici II. Cæs. F. — Albertus Apollonius nothus — Cunegunda Isebergia — Dittericus Sapiens Fridericus Tuto. — Helena Brandēburg. — Fridericus Rigorosus

Dicemann⁹ — Jutta Hēneberg. — Agnes prima conjux — FRIDERICUS Magnus & Admorsus — Adelheidis Arnshagensis — Henricus Exul — Eliza. betha

Fridericus Claudus. — Fridericus Gravis — Elizabetha. — Fridericus

Fridericus Strenuus

FRIDERICUS Bellicosus primus Saxon. Dux & creandis Impp. VII Vir.

PARS FAMILIÆ PRÆSENTIUM SAXONIÆ ELECTORUM, QUAM A MARCHIONIBUS Miſniæ & vetuſta ac nobiliſſima WITICHINDI M. Saxonum & Angariorum regis ſtirpe Saxonica, nuſquam interrupta ſanguinis ſerie, Spalatinus & alij eum ſecuti derivant, ex Davidis Chrytræi Chronico Saxoniæ pag. 53. edit. Lipſ. 1593.

WITTIKINDUS magnus, à Carolo M. Imp. ad veram Chriſti religionem adductus. A. C. 785. ⊙ 807.

WITTIKINDUS JUNIOR Comes VVethini & Soraborum ad Salam & Albim

Dad: Thuringi, Marchiones Misnenses, progenitores Ottonis Dedonis Conradi Fridericorum Henricorum principum nobilium. Lib. 2. Annalium Saxonicorum 941

Ditgremus
Ditmarus
Ditericus tempore Ottonis I.

WITTIKINDUS ſtirpe regum Galliæ.

Dedo, Comes Mersburg. ab Ottone III. factus. ⊙ 1009.

Fridericus, Comes Ilenburgi ad Myldam. ⊙ 1017.

Dietericus II. tempore Henrici II. Pamberg. ⊙ 1091.

Dedo hoſtis Henrici III. Imp.

TIMO, minimus natu inter ſex fratres MARCHIO MISNIÆ ab Henrico IV. deſignatus. ⊙ 1091.

DEDO fundator monſterij Petersberg prope Halam 1120.

CONRADUS tempore Lotharij & Conradi III. Impp. ⊙ 1157.

OTTO Dives ſub quo metalla Fribergenſia cœperunt 1170. Lipſiam muro cinxit. Cœnobia, Porram ad Salam, & CELLÆ ad Myldam fundavit 1175. ⊙ 1189.

Dietericus III. fundavit Dobrelnch in Luſatia ⊙ 1184.

Dedo, Cilliam monaſterium condidit, 1174.

Albertus

Albertus patrem cepit, fratrem ejecit. ⊙ 1195.

Dietericus IV. à fratre pulsus, ducta Juditha Hermanni Landgr. Thuringiæ filia, ditionem recuperat, cum Misniam fratre Alberto mortuo, tresannos Henricus VI. Imp. tenuisset. ⊙ 1220. die 27. Febr.

HENRICUS ILLUSTRIS natus 1217. Marchio Misniæ & Landgravius Thuringiæ primus in hac familia A. C. 1248. confirmatus post transactionem cum Sophia, S. Ludovici & Elisabethæ filia 1263. ⊙ 1288. ætatis 71.

ALBERTUS degener Landgr. Thuringiæ, Uxor Margarita, filia Friderici II. Imp. fugiens mariti crudelitatem, ⊙ Francofordij in monasterio 1270. ipse vendita Adolpho Imp. Misnia tandem inops & exul Erfordiæ ⊙ 1314.

Dietericus V. Marchio Misniæ, fratris filios hæredes instituit, Weissenfeldense cœnobium condidit. ⊙ 1282. habitavit Landsbergæ.

FRIDERICUS Admorsus, post bella cum patre 1281. Imp. Adolpho 1294, & Alberto Imp. 1306. 1307. gesta, urbes Imperij Aldeburgam, Cygnæam & Chemnicium in compensationem damnorum & impensarum anno 1308. retinuit. ⊙ 1325.

Theodoricus.

FRIDERICUS Gravis, comitatum Orlamund & Vinariam ditioni adjecit 1345. electus Imp. 1348. ⊙ 1349. uxor Mechtild, filia Ludoici Bavari Imp.

FRIDERICUS strenuus cum conjuge Catharina Henrici Henebergēsis filia, ditionē Coburgensem accepit, & Voitlandiam occupavit. ⊙ 1381.

Wilelmus I. unoculus Colditz & Ilenburg emit. 1398.

Balthasar Landgr Thuringiæ comitatum Kefernburg, postremo illius Comite in itinere ad terram sanctam defuncto cameræ suæ adjunxit 1385. ⊙ 1406.

Ludoicus Episcop. Halberst. & postea Moguntinus.

h FRIDE-

FRIDERICUS Bellicosus conditor Acad. Lipsensis 1409. primus Elector Saxoniæ à Sigismundo Cæsare creatus 1423. ⊙ 1428.

Wilhelmus II. dives. ⊙ 1425. fundavit Aldenburgense Collegium.

FRIDERICUS Pacificus, Saltzen Thuringiæ arcem à postremo hærede recepit 1409. ⊙ 1439.

FRIDERICUS II. placidus Elect. habuit sororem Friderici III. Imp. Margaritam. ⊙ 1464.

Sigismūdus Episc. Herbipolensis. ⊙ 1457.

Wilhelmus III. Landgr. Thuringiæ ⊙ 1483 uxor Anna filia Alberti Imp. ducta 1442. ⊙ 1462.

ERNESTUS elector ⊙ 1486.

Anna nupta Alberto Achilli Germ. 1458.

ALBERTUS dextera manus Imperij ⊙ 1500. 12. Sept.

FRIDERICUS III. sapiens sub quo Lutherus contra Pontificē scribere cœpit. ⊙ 1525.

Albertus Archiep. Mogunt. ⊙ 1484.

Ernestus archiep. Magdeb. ⊙ 1513.

Iohannes Bonus & constans ⊙ 1532.

Georgius ⊙ 1539. 17. April.

Fridericus Henricus natⁱ 1473. 16. Martij ⊙ 1541. uxor Catharina filia Magni Ducis Megapolitani.

IOANNES FRIDERICUS Elector, Nutritius ecclesiæ & scholarum, captus à Carolo V. 1547. die 24. Apr. liberatus 1552. ⊙ 1554.

Ioh. Ernestus Coburgæ sepultus 1553.

MAURITIUS electi in prælio cū Marchione Alberto, ictu globi periit. 1553.

Augustus Elector Saxoniæ Mæcenas studiorum & nutricius Ecclesiæ munificus ⊙ 1586.

Ioannes Fridericus captus 1567. April. 13.

Gothæ

Ioannes VVilelmus dux Saxon. ⊙ 1573.

CHRISTIANUS I. Elector 1591. ⊙

IOANNES Casimirus

Ioannes Ernestus

Fridericus Ioannes. VVilelmⁱ

Christianus II. Augustⁱ. natus 23. Septem. 83. El. x.

Ioan Georgⁱⁱ I. Augustus. 6. Martij 1585. Elect. XI.

Johan Philippus. Friderici Wilhelmus.

Wilhelmus. Ernestus.

Johan Georg. II. Augustus. Elect. XII.

Christianus.

Mauritius.

FAMILIA VVITICHINDI

ex Vbbonis Emmij Append. Genealogica pag. 151. & 155.

THIADERICUS Saxo, Sichardi F. contra Carolum Martellum Francorum Principem bellum gesit.

Wernechinus Dux Angrivariorum

Bruno frater VVitichindi M. quem perperam VVigberti filiũ fuisse asserit Alb. Crantzi⁹

Ludolfus Dux Saxoniæ fundator Collegij Gandersheimensis

Tandquar dus instaurator Brunsvici in prælio contra Danos occubuit.

Bruno cõditor aut

Otto Magnus, Dux Saxoniæ post fratrẽ Brunonẽ grandæv⁹ imperiũ recusavit.

VVitichindus Magnus Dux Angrivariorum hostis perpetuus Caroli M.

VVigbertus fundator collegij in VVildeshusen.

VValbertus VVildeshusæ juxta patrem sepultus

Bruno.

VVitikindus Iunior

Ditgrem⁹

VVitichidus Andiũ præfectus

Thiadericus socer Henrici Aucupis

VVitikindus

Immodus ex quo orti PRINCIPES SABAUDI.

Dietmarus

Robertus dux And.

Henricus Auceps Imperator.

Mathilda nupta Hẽrico Aucupi

Almarus ex quo MARCHIONES Montis ferrat. in Italia orti.

Dieteric⁹ stirps Marchionum Misniae.

Robertus contra Carolũ Simplicẽ Rex

Otto I. Imp.


Bruno Archiep. Colonienſis

Henricus Rixosus

Adelheidis nupta Hugoni

Hugo magnus Comes Parisiorũ, Abbas dictus, regum Galliæ rector.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [63] - 45
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [64] - 46
PUBLIC DOMAIN

REINERI REINECCII IN HISTORIAM DE VIPERTO GROICENSI NOTATIO.

DE genere Viperti regio relinquo omnia in medio. Neque enim ubi locorum aut gentium majores ejus primi rerum potiti sunt, vel alibi me legere memini, vel definiri de auctoris nostri expositionibus potest. Quod si cui tamen eam sequi conjecturam libet, oriundum Vipertum fuisse à Germaniæ populis antiquissimis, eoque Teutoniæ nomen alludere: quippe quod à Teutonibus profectum auctor ijs peculiariter accommodare tractibus videatur, quos alij Nordalbingis attribuunt, hoc est Holsatiæ, Stormariæ, Ditmarsiæ, quemadmodum ex Helmoldo planum fit, nihil reclamarim. Enimvero Ditmarsos à Teutonibus conditos, dubium nullum est, ac si dicas Teutonas riparios aut continentis incolas, nempe à regionis situ. Est enim & ipsorum & Saxonum lingua *Marsch* continens, & locus littoralis. Apparet autem familiam & majores Viperti varijs jactatos casibus etiam fortuna varia rempublicam atque ipsam regiam dignitatem gessisse, imò bellorum quodam indomito studio sedes crebrò mutasse. Hinc enim est, quod *Herlibo primus* Brandeburgi, quod *VVolfus* primum in Pomerania deinde in Dania consedere. Nec improbarim conjecturam *Herlibone* genitos filios commune istud *Harlungorum* cognomentum à veterum Harlungorum memoria, quos ex Alsatia in ea loca transtulisse perhibetur Carolus Magnus & à quibus *mons Harlungorum*, hodie *Marianus* nuncupatus, in Annalibus celebratur, repetiisse. In iisdem *Herliboni alteri* magnum cum accolis Henetis usum, singularemque benevolen-

tiæ cónjunctionem fuisse, augurari inde verisimiliter possumus, quod filium alterum Heneto nomine *Suetibor* appellari voluit. Qui ita in paterna vestigia successit, ut ex ejusdem gentis lingua & ipse filio suo nomen posuerit. Ad alterum Herlibonis secundi filium, Svetiboris fratrem, *VVolfum* ab adverso in Danis exilii casu regia ibi dignitas rediit, & idem tum familiæ *Balsamorum* regionem (nam ita Annales nominant) acquisivit: Quæ cum postea etiam Viperto F. mansisset, natus illo Vipertus alter, facta permutatione ab Vdone Stadensi *Grosicam* in Mysorum finibus comparavit. Minimè autem hîc nobis prætereundus scrupulus erat, quem plerique de Balsamorum regione sibi injecere. Nam Brotufius hoc nomine *Holsatiam* accipit: Qua in re quas vel rationes vel conjecturas sequatur, incertum est. Ego hoc quod ἐκτάσεις nullas habet, amplexari malim, nimirum *Balsamorum regionem* idem territorium esse, quod hodie etiamnum in *Marchia veteri* vocatur das Balsamerland/ oder Balsamer Weichbild/ à fluvio Balsamo, qui in agris collectus in alterum fluvium *Vchtam* infra *Stendaliam* se exonerat. Convenit enim historia Vdonis Stadensis: & includunt alij disertè Balsamorum regioni Stendaliam, Osterburgum, Arneburgum, &c. Accedit huc præterea, quod habet Helmoldus l. 1. cap. 89. de gentibus ab Alberto Vrso in desolatos Henetorum fines collocatis: *Australe*, inquit, *littus Albis eo tempore cæperunt incolere Hollandi advenæ, ab urbe Saleveldele* (rectius fortasse Soltvvedel) *omnem terram paluſtrem atq; campestrem terram, quæ dicitur Balsamerlande & Marschinerlande, civitates & oppida multa valde, usque ad saltum Bojemicum possederunt Hollandi.* Hactenus Helmoldus. Cæterum ut ad mentionem de majorum Viperti in Nordalbingis Teutoniæ regno redeamus, si quis huic forsitan inde fidem derogandam existimaverit, quod gentes istas à Carolo Magno bello subactas, exinde in Saxonum permansisse ditione, ac familiæ Billinganæ paruisse constat, is è contrario & ad

ea

ea animum advertat, quæ de gentium istarum ferocia passim auctorum monumentis prodita sunt. Inde enim fieri potuit, ut pacis leges tam stricte non observarint. Quare ut vectigales tamen Francis quam Saxonibus fuisse non negarim, ita ἀυτονομίαν eos retinuisse, multa docent. Neque à vero alienum est, eadem ex causa magistratus quos vellent legisse, atque in his etiam regiam dignitatem, forte veterum Saxonum exemplo, admisisse. Dithmarsos quidem Henrici Leonis temporibus Comitem peculiarem habuisse, ex Helmoldi historia evidens fit. Et Nordalbingorum finitimis Obotritis Henetis nunc reges nunc Principes imperasse, certum est. Vt de Viperti majoribus id amplius suspicer, regiam eorum dignitatem tantummodo arbitrariam extitisse, seu quæ à populi suffragijs absque ullo hæreditariæ successionis jure penderet. Eodem enim retulerim, quod sedes toties mutarint, cum scilicet domi fortuna incerta starent. Vt autem stirpis propago rectius intelligatur, stemma hic breviter subjicio.

FRA-

FRATRES

EMELRICUS Rex Teuton. — Ditmarus Verdunensis. — Herlibo Brandeburgensis.

Emelricus — Vridelo — Herlibo — N. filia regis Norvvegiæ.

Cognominati omnes Harlungi.

Wolfus Rex Daniæ — Svetibor

Otto. — Hermannus. — Vipertus — Sigena Gosuini Comitis F. — Scambor

Juditha prima conjux. — VIPERTUS Comes Groicēsis Marchio Lusatiæ — Cunegunda altera conjux — N.N. Filiæ duæ ἀνώνυμαι.

Vipertus — Cunegunda Cunonis Bichlingi F. — Henricus. — Bertha.

FAMILIA

L. B. S.

ITerum mihi alloquendus es, Benevole Lector, atque monendus, occurrere in hoc Montis-Sereni Chronico, quam plurima loca obscuriora, quæ quod unico exemplari MSto, tantum usi sumus, non licuit nobis integritati suæ, prout par erat, restituere: ne Typographi incuriæ fortassis imputes, quod vel librarij inscitiæ, vel ipsius Auctoris oscitantiæ, jure meritoque venit tribuendum. Quanquam nolimus diffiteri, tam in ea, quæ hic præmissa legis, quam ipsa deinceps Chronica, haud pauca typothetæ vitio irrepsisse σφάλματα, quæ tamen, in verum verborum sensum inquirenti Tibi, in emendando negotium haud possint exhibere. Unicum saltem hic producere visum est, quod ob dictionis unius alteriusve insolentiam non tam facile animo cujusvis sese queat ingerere, quando pag. 190. lin. 28. scribit Auctor: *Legatum Pontificium, Præpositum in Bivera* appellasse per contemtum, *garzonem & peccatorem*; pro quibus substituas ex MSto velim, *Garrionem & Leccatorem*. Quandoquidem *Garrio*,

ex indicina cuiusdam Glossarij, est *leccator, qui multa loquitur:* uti & *scurra*, ein bove efft ein Lecker/ *i. e. vaniloquus, leccator, proprie qui sequitur curiam gratia cibi.* Quomodo etiam Britto apud Goldastum:

Tom. 1. Rer. Alem. part. 1. pag. 225.

Est epulo, scurra, leccator vel parasitus.

Cæterum & ex ipsa hac Chronicorum triga, stemmata Illustrissimorum Misniæ atque Lusatiæ Marchionum; Antiquiorũ etiam Saxoniæ & Summersenburgi Palatinorum, placuit eruere, atq; ipsorum Scriptorum verbis contexta, congruis locis interponere; Genealogia Veterum Thuringiæ Landgraviorum, cujus in Gozecensi usus, aliunde assumta. Quem universim à me qualemcunque hic præstitum laborem, si ea, qua spero, humanitate & benevolentia complexus fueris, præter THEODORICI ENGELHUSII, & JOHANNIS CHRAWSII Chronica Universalia, ante hos ducentos & ultra annos scripta, etiam ECCLESIÆ UNIVERSÆ CANONES à V. Cl. Christophoro Iustello antehac editos, sive ipsum CANONUM ECCLESIÆ ORIENTALIS CODICEM malis; *variantibus lectionibus, novisq; observationibus* illustratos, à me vel prima occasione expectabis. Interim hisce fruere, ac bene in Domino vale.

FAMILIA

Ad pag. 5.

FAMILIA MISNIÆ MARCHIONUM, EX CHRON. MONTIS-SERENI.

TIDERICVS Marchio Misnensis — *Mechtildis* F. Eckehardi F. Guntharii, March. Thuring. pag. 39.

DEDO II. Misniæ Marchio. *Adela* conjux ejus secunda.

THIEMO Comes Wetini, Uxor IDA F. Ducis *Ottonis* de Northeym. pag. 203.

HENRICVS Marchio Misnæ. Vxor *Gertrudis de Brunesvvig.* pag. 203.

DEDO Comes fundator Ecclesiæ Montis Sereni. Vxor *Bertha* F. *Wiperti* Marchionis de Groitz. pag. 2.

CONRADVS Comes de Wetin, proprietatis & devotionis fraternæ fidelis hæres, ut & totius proprietatis HENRICI *Iunioris* Marchionis Misniæ. pag. 5. Marchio *Lusizensis* pag. 14. Dominus in *Rochelitz*. pag. 17. Vxor *Lucardis* F. *Alberti* Suevi pag. 3. Fit tandem monachus in *Monte Sereno* pag. 28.

HENRICVS Junior Marchio de *Ileborg*, qui Cõradum consanguineum suum lecto ferreo oppressum detinuit. pag. 5. & 204.

OTTO Misnensis Marchio pag. 38. captivatur à Filio *Alberto*. pag 52. moritur 1189.

DOBERGANA Polonica uxor

TIDERICVS Orientalis Marchio fundator Ecclesiæ in *Doberluge*. pag. 50. moritur 1184.

CVNIGVNDA superinducta

HENRICVS Comes de *Vvetin*, obiit. 1181.

DEDO Comes de *Rochelitz*, post & Comes de *Groitz*, p. 18. Fundator monasterij *Cillenensis*. p 40. post mortem fratris *Tiderici* Orientalis Marchio moritur ventris incisione 1190.

FRIDERICVS Comes de *Brene* moritur 1182. Vxor Hedvvigis fundat monast. feminarum in Brene, 1201. moritur, 210.

CONRADVS in *torneamento* ictu lanceæ occisus anno 1189. pag. 40.

GERTRVDIS Gerbestadensis monacha.

TIDERICVS Episcop9 Mersburgensis, legitimatus à Papa. pag. 71

ALBERTVS qui patrem captivavit, moritur. 1195.

TIDERICVS primũ Comes de *Vvizenfels*. p. 63. post mortem fratris Marchia Misnensi ab Henrico VI. Imp. excluditur. pag. 65. sed eo mortuo obtinet Marchiam quoq; *Orientalem* pro xv. millibus marcis, redimit. pag. 92. moritur, 1220. Vxor *Iutta* F. *Hermanni* Thuring. Landgr.

HENRICVS junior, mortuus an. 1187.

VLRICVS Comes de Wetin obiit 1206 Vxor *Hedvvig* filia *Bernhardi* Ducis

HENRICVS puer obiit, 1217.

CONRADVS Orientalis Marchio obiit 1210

TIDERICVS Comes de *Sommerschẽburg*.

MECHTILD nupta *Alberto* Brand. March. pag. 76.

filia ἀνώνυμος.

SOPHIA Abbatissa Quedlinburgensis. p. 166.

FRIDERICVS Comes de *Brene* moritur anno 1221.

OTTO, FRIDERICVS & filiæ duæ. pag. 139.

HENRICVS ILLVSTRIS Misniæ Marchio, & extincta Landgraviorum Thuringiæ familia primus in Misniæ Marchionibus THVRINGIÆ LANDGRAVIVS ET PALATINVS SAXONIÆ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [71] - 43
PUBLIC DOMAIN

Ad pag. 38.

VETERUM LUSATIÆ MARCHIONUM FAMILIA EJUSDEMQUE CUM MISNIÆ MARCHIONIBUS COGNATIO TEMPORIBUS OTTONI I. IMP.

FRATRES

GERO Dux & Marchio Orientalis sive Lusizensis, Burggravius Magdeburgi; *Marchionum sui temporis optimus & præcipuus*, Regioni ad an. 965. *Defensor patriæ*, Dithmaro lib. 2. p. 29. Fundator Ecclesiæ *Gerinrode* ad silvam Harciniam.

SIFRIDVS Comes, fundator Ecclesiæ *Groninge*, in diœcesi Halberstadensi.

HIDDA soror nupta Christiano Marhioni. p. 36

HETVVIGA uxor Sigfridi, post obitum mariti monasterio *Gerende* à Gerone patre præfecta.

SIFRIDVS, qui in juventute an patrem obiit.

GERO Archiepiscopus Coloniensis.

DITGMARVS Marchio, qui cum fratre fundat Monsterium *Dithmarisvelt* post in *Northringen* translatum, & *Niemburg* dictum. Dan. Chron. vetus p. 37

SVANEHILD filia *Hermanni* Ducis à Luneborg uxor *Dithmari*, & post mortē hujus, *Eckehardi*.

EKLEHARDVS Marchio de Thuringia, F. *Gunthardi*.

MATHILDIS uxor *Dieterici* Misniæ Marchionis.

GERO MARCHIO Lusicensis

DITHMARVS Marchio Lusizensis.

ODO Marchio Lusizensis, in quo posteritatis propagatio cessavit. p. 39

THIEMO Comes VVetini.

DEDO Comes, FVNDATORES MONTIS-SERENI.

CDORADUS Marbhio

Ad pag. 201.

GENEALOGIA MISNIÆ MARCHIONVM EX APPENDICE CHRON. MONTIS-SERENI.

TIDERICVS Comes, egregiæ libertatis Vir tempore OTTONIS I. pag. 201.

DEDO I. Comes Mersburgensis mortuo Bione. Vxor *Thieberga* F. Tiderici Marchionis.

FRIDERICVS, qui cum non haberet mares filios, sed tres filias *Hileburg* civitatem dat Tiderico fratris F. pag. 202.

TIDERICVS. Vxor *Machtildis*, F. Eckehardi Marchionis in Police occisi. pag. 39. & 202.

FRIDERICVS Magdeburg. Episc. p. 202. Sed qui rectius statuitur Monasteriensis.

DEDO II. cui ex prima conjuge *Oda* nati

THIEMO, Vxor *Ida* filia Ottonis Ducis de Northeim. p. 203.

GERO, Comes. Vxor *Bertha* vidua _cujusdam Popponis. pag. 203.

CONRADVS, habuit tantum filiam,

RIDDAGVS, sine liberis mortuus

HIDDA, nupta Duci Bohemico.

DEDO in pueritia confossus. pag. 202.

ADELHEIDIS nupta *Ernesto* Marchioni de Bavaria

AGNES *Friderici* Comitis uxor p. 107.

DEDO Funda tor. Mõtis-Sereni. Vxor *Bertha* F. Wiperti

CONRADO Marchio I. Misnensis & Lusicensis. Vxor *Lucardis* filia Alberti cujusdam nobilissimi de Suevia. pag. 3. & 204.

MATHILDA nupta *Geroni* Comiti de Bavaria.

TIDERICVS Comes.

VVILHELMVS Comes de Camburg.

GVNTHERVS Episc. Zizelis.

a Ex *Adela* vero nata de Brabātia: MATHILDIS. pag. 204.

DEDO, Marchio de Hileborg. Vxor *Gerundis* de Brunesvvig. pag. 203.

HENRICVS Marchio de Misnia.

CONRADVS Comes à paganis occisus.

HENRICVS Iunior, quo mortuo hæreditas omnis ad CONRADVM Thiemonis F. pervenit, p. 5. & 204.

HENRICVS, in pueritia mortuus.

OTTO Misnensis Marchio.

TIDERICVS Orientalis Marchio.

DEDO Comes de Rocheliz.

HENRICVS Comes de Wetin.

FRIDERICVS Comes de Brene.

FILIAS quoq; SEX, reliquit

Vxor *Heidewigis*, filia Alberti Marchionis de Saxonia. p. 206.

ALBERTVS, qui patrem captivavit.

TIDERICVS, stirpis Marchionum Misniæ propagator. Vxor *Iutta* F. *Hermanni* Landgrav. Thuring.

ADELA,

SOPHIA nupta Olrico Duci Bohemorum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [73] - 45
PUBLIC DOMAIN

Ad pag. 219

VETERVM THVRINGIÆ LANDGRAVIORVM FAMILIA:

Ex Historia Anonymi Scriptoris de Landgravijs Thuringiæ. Tom. 1. Pistor. pag. 913. & seqq.

LVDOVICVS dictus CUM BARBA ex stirpe Regum Franciæ progenitus, venit in Thuringiam anno MXXV. Vicedominus ejus terræ factus per Archiepisc. Mongunt. & per Imp. multorum beneficiorum Dominus. cap. XI. Vxor *Cæcilia de Sangerhusen.* cap. XII.

LVDOVICVS II. dictus SALTATOR, Comes Thuringiæ. Vxor *Adelheid*, vidua *Friderici III.* Saxoniæ Palatini cap. XII. Chron. Gozec. p. 219.

BERINGERVS Dominus in Sangerhusen. Vxor *Bertrada F. Conradi* fratris Thiemonis. Append. Montis Ser p. 203.

HENRICVS dictus RASPO. *Chron. Gozec.* pag 234. cum facit filium *Ludov. II.* ex *Adelheid* Palatina.

LVDOVICVS III. Vxor *Hedewig* F. *Lotharii* Imp. per quem etiam Princeps & *primus Thuring. Landgravius* declaratur. cap. XVIII.

VTTO Citizensis Episc. de quo vid. *Paulus Lang.* ibid. p. 785.

LVDOVICVS IV. ejus nominis, sed II. Thuring. Landgrav. dictus FERREVS, quia semper armatus incessit, cap XX. Vxor *Iutta* F. *Conradi* Imp. cap. XIX.

LVDOVICVS V. tertius Thuring. Landgrav. cui, quia filios non habuit, successit frater *Hermannus*. cap. XXIIX.

HERMANNVS Comes Palatinus Saxoniæ à *Frider. Barbarossa* creatus. cap. XXV.

FRIDERICVS primus Comes in *Zigenhayn*. cap. XXII.

Uxor prima — SOPHIA *Friderici V.* Comitis Palat. F. cap. XXVIIII. — altera SOPHIA * F. Ducis Bavariæ cap. XXX.

HEDWIGIS nupta Comiti *Alfata* cap. XXIX.

IVTTA nupta *Tiderico* F. *Ottonis* Marchionis Misniæ, unde natus est HENRICVS, cognomento *Illustris*, Misniæ Marchio, qui *extincta Landgraviorum Thuring. familia in HENRICO Rege Rom.* relictas ab illo ditiones occupat, primus in hac familia THVRINGIAE LANDGRAVIVS & PALATINVS SAXONIAE.

LVDOVICVS VI. maritus S. *Elisabetha*, patri in principatu succedens. cap. XXXVI.

HERMANNVS, qui adolescens obiit. cap. XXXVI.

HENRICVS fratri succedens in principatu. REX Rom. post declaratus, sine hærede defunctus est. cap. LII.

CONRADVS factus Magister Ord. Teuton.

HERMANNVS mortuus ante *Henricum* patruum ætat. XVIII. cap. 49.

SOPHIA nupta Henrico Duci Brabantiæ unde natus HENRICVS *Infans Hassia* dictus, avitas ditiones, defunctis in ea masculis hæredibus, appetit: sed post multas dimicationes, *Thuringia Henrico Illustri* relicta, solam retinet *Hassiam* Vnde LANDGRAVIORVM HASSIAE FAMILIA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [74] - 46
PUBLIC DOMAIN

Ad pag. 229.

GENEALOGIA VETERVM SAXONIÆ PALATINORVM.

FRIDERICVS de nobilisſima antiquorum Saxonum & Francorum proſapia. Chron. Gozec. p. 207. Vxor AGNES de VVimare. Ib. quæ juxta Append. Chron. Montis-Sereni p. 202. DEDONIS II. Miſniæ March. fuit filia.

COMITES ET PALATINI SVMMERSEBVRGENSES.

ADELBERTVS Archiepiſcopus Bremenſis, moritur MLXXII.

DEDO primus ſuæ ſtirpis Comes Palatinus p. 202. occiſus à quodã clerico in Polethe MLVI. Ei filius ex illegitimo matrimonio

FRIDERICVS II. qui monarchiam palatij poſt fratrẽ promeruit. p. 213. moritur MLXXXIIX 220. uxor *Hadevvigæ* de Bavaria.

ODA pag. 203. ſive VDA, Latino nomine HILARIA. p. 221. nupta *Alberto* de Summerſenburg. p. 203.

ADELBERTVS cognominatus *Seveke*, de Summerſenburg. pag. 203.

FRIDERICVS Abbas monaſt. Gozecenſis. p. 214. poſt Nienburgenſis. 216. demum & Heroveldenſis. 224.

FRIDERICVS III. Comes Palatinus, occiſus MLXXXV. Vxor *Adelheit* filia Vdonis de Aleslephe. p. 216.

FRIDERICVS dictus *Senior*, qui *Fridericum IV.* conſanguineum ſuum Comitia Palatina exhæredavit: factus PRIMUS in hac familia PALATINUS. pag. 229.

FRIDERICVS IV poſthumus, educatus à Vitrico *Ludovico* Thuring. Com. II. p. 219. Privatus Comitia Palatina à *Friderico Seniore* Com. de Summerſenburgh p. 229. Vxor *Agnes*, Henrici Ducis de Limburg F.

FRIDERICVS II. Comes Palatinus Saxoniæ & Summerſeburgi, fundator monaſt. *Vallis S. Mariæ*, & monaſt. *S. Laurentii* prope Scheningam Advocatus.

ADELBERTVS, qui ſine hærede obiit. p. 264.

ADELHEIDIS Abbatiſſa Quedlinburgenſis.

HENRICVS pro ſpe hæredis militiæ aptatus ſed in adoleſcentia mortuus. pag. 234.

FRIDERICVS Canonicæ profeſſioni in Magdeburg aſſociatus, ſed poſt mortem fratris inde retractus & *Sizzonis* Comitis F. deſponſatus: hac dimiſſa rurſus ad monaſteriũ redire cogitur. p. 240.

SOPHIA uxor HERMANNI Thuringiæ Landgravij, fratris Ludovici V.; ad quem, poſt mortem Adelberti Summerſeburgij, PALATINATVS Saxoniæ, *Henrico Leoni* creptus, beneficio *Friderici Barbaroſſæ*, rediit, Anno MCLXXX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [75] - 47
PUBLIC DOMAIN

STEMMA WIPERTORVM, COMITVM GROIZENSIVM, ET LVSATIÆ MARCHIONVM.

FRATRES

EMELRICVS Rex Teutuniæ. | HERLIBO I. Brandeburgensis. | DIETMARVS Verdumensis.

EMELRICVS | VRIDELO | HERLIBO II. Vxor F. regis de Vrvvege

ZVENTIBOR. | VVOLFVS Pomeranorum princeps: Vxor F. regis Daniæ, cujus fratribus post mortem patris occisis, regnum violenter invadit. pag. 242.

OTTO, una cum fratribus Dania expulsus. | HERMANNVS. | VVICPERTVS I. cui paterna hæreditate obvenit Balsamorum regio. Vxor *Sigenæ* F. *Gosvvini* Comitis de Leige. pag. 242.

VVICPERTVS II. qui permutat Balsamorum regionem cum *Vdone* March. Stadensi, & pro ea accipit *Groislam* ad Elstramfl &c. p. 243 post Magdeburgi præfectus, & Marchio Lusizensis. pag. 255. Fundator monasterij PEGAVIENSIS. pag. 247. Vxor IVDITH F. *VVratislai* Bohemiæ regis. p. 247. moritur MCXXIV. | FILIA ἀνώνυμος nupta *Henrico de Leige.* | ALIERA F. nupta *VVernero* Seniori de *Velthem.*

VVICPERTVS III ante patrem mortuus. Vxor *Kunigunda* F. *Chunonis* de Bichilingen. pag. 249. | HENRICVS post mortem patris Marchio in Lusitz, & Præf. Magdeb. p. 258. obiit anno MCXXXVI. & quia hæredem alium non habuit, Marchiam & totam proprietatem ejus adeptus est CONRADVS Marchio Misnensis, frater *Dedonis* Fundatoris MONTIS-SERENI. pag. 14. | BERTHA nupta *Dedoni*, fratri *Conradi*, cujus filio *Dedoni*, anno MCXLIV. moriens, dedit proprietatem suã in *Groitz.* pag. 18.

INCIPIT

INCIPIT CHRONICA MONTIS-SERENI.

COnsideranti mihi, rerum præteritarum notitiam utilitati legentium crebro proficere, nata est voluntas cum adjutorio Jesu Christi Domini hoc opus assumere, ut *annos à fundatione* Ecclesiæ nostræ, & *nomina Prælatorum*, & *successiones*, & *tempora*, & *gesta* ipsorum, colligerem, & narrationem de his, ut possem, competentius ordinarem. *Seniores* autem, qui, quod de his verum erat, scire poterant, & quorum dictis grandævitas fidem faciebat, principio hujus narrationis auctores habui. Nonnulla etiam talium ex *privilegiis* fundationis & aliorum Principum, & ex *Breviariis*, quæ in veteribus libris sparsim inveni coagitata, non sine studio congregavi. Verum quia per pauca hoc vel illo modo de his investigare potui, meumque erat propositum, ut annorum nullus narratione vacuus remaneret; hoc autem ex paucitate gestorum, quæ investigaveram, impleri non poterat; non inutile credidi, quia propria deerant, aliena mutuare, & ad eum, quem prædixi, effectum supplendum, *aliorum gesta & casus extrinsecos*, hoc est, ad propositum non pertinentes, dignos tamen memoria', nostris interserere: quod etiam usque adeo secutus sum, ut pene ubique aliena propriis, pro sola duntaxat delectatione legentium, permiscerem. Nemo autem pro eo, quod scriptorem fortassis juste

contemnit, si quid utilitatis ex hoc opere consequi valuerit, contemnendum pariter arbitretur; quia tritico in se contento vilitas cophini nihil derogat: nec aqua contemnitur, quam usibus hominum plumbi fistula subministrat.

Anno itaque MCXXIV. Indictione II. præsidente summo Pontifice *Calisto* II., Pontificatus ejus anno VI. imperante *Henrico* ejus nominis V. imperii ejus anno XIII. sub *Rothero* XII. Magdeburgensi Archiepiscopo, Pontificatus ejus anno V. anno à fundatione Ecclesiæ Hallensis IX. *Dedo* Comes, filius *Thiemonis* Comitis & *Idæ*, Ecclesiam B. *Petri* in Sereno monte inchoavit; deputatisque in usum ibi Deo servientium ex proprietate sua reditibus, *Herminoldo*, tunc Gerbstadensi Præposito, loci ipsius procurationem commisit; quique administratione priori relicta, Sereni-montis primus est Præpositus constitutus. Verum quia Comes idem locum resurrectionis Christi visitandi votum habebat, recepta de Episcoporum consilio uxore sua *Bertha*, quam repudiaverat, quæ erat filia *VViperti* Marchionis de *Groitz*, proficiscens, fratremque suum *Conradum* Comitem totius proprietatis suæ, nec minus boni incepti, ordinans, promotionem ejus ipsi fideliter injunxit. Expletoque voto cum rediret, moriens partem ligni Dominicæ crucis Ecclesiæ jam dictæ transmisit; nimirum, ut credo, intelligens, antiquum hostem, qui jam ab illo loco per institutionem Dominici servitii deturbatus erat, per præsentiam ligni salutaris, in quo semel triumphatus est, efficacius debellari. Est autem crux permodica, argento inclusa, quæ ibidem usque hodie conservatur.

Anno MCXXIV. *Calistus* Papa II. obiit, cui successit *Honorius* II. qui & *Lambertus*, Hostiensis Episcopus. Eclipsis solis facta est III. Id. Augusti hora diei VI. *Fridericus* Comes de *Arnsberg* obiit. *Rudolphus* Marchio obiit.

Anno

Anno MCXXV. *Conradus* Comes de *VVetin*, fraternæ devotionis fidelis hæres, capellam *Lubechune*, ad quam pertinent XXVI. & capellam *Oztroe*, ad quam pertinent IV. manſi; præter hæc etiam de prædio ſuo CXX. manſos, Eccleſiæ B. *Petri* in Sereno-monte contulit, promotionis ejus evidenter curam ſeſe gerere demonſtrans: unde etiam non immerito fundatoris nomen hæreditavit. Uxor quoque illius, *Lucardis* nomine, quæ fuit filia *Alberti* cujuſdam nobiliſſimi de Suevia, non minori erga locum ipſum ſolicitudine vigilabat, non ſolum mariti devotionem ſuis exhortationibus ad meliora ſemper incitando, verum etiam prædia, de ſuis pecuniis emta, ipſi Eccleſiæ conferendo. Ex quibus ſunt quæ adhuc eadem poſſidet Eccleſia; in villa *Hizzenderp* XIIX. manſi: *Salzemunde* XIII. manſi: *Vdene* VI. manſi; *Buzedal* VI. manſi: *Pelli* II. Quædam vero per concambium aliorum bonorum poſt mortem ipſius alienata ſunt.

Henricus Imperator V. obiit X. Kal. Junij. Hujus Duces contra Saxones, in loco, qui *VVelphisholtz* dicitur, pugnantes, victi ſunt, anno MCXV. ubi maxima ſtrages hominum facta eſt. *Luderus Gevehardi* Comitis filius, Dux Saxonum, *Moguntiæ* in regem eligitur. *Rotherus* XII. Magdeburgenſis Epiſcopus obiit XIV. Kal. Jan. ſedit annis VI. *Gumbertus* Havelbergenſis Epiſcopus obiit.

Anno MCXXVI. diſſenſio inter *Conradum* Comitem de *VVetin*, & *Henricum* Miſnenſem Marchionem cognatum ipſius, qui etiam de *Ileburg* dicebatur, præter alias, præcipue tamen pro hujuſmodi cauſa, exorta eſt. Accidit, ut quidam, occaſione narrandi aliquid coram *Conrado* Comite, *Henrici* Marchionis mentionem faciens, eum cognatum ipſius appellaret. Comes vero cum contemtu reſpondit: *Eum, qui filius eſt coci, cognatum ſuum non eſſe*. Hujus autem ſermonis occaſio talis fuit: *Henricus* Marchio de *Ileburg* ſenior, pa-

ter hujus, uxorem prægnantem fertur moriens reliquisse. Quod cum illa in sepultura ipsius, utero tumenti demonstrato, præsentibus indicasset, quia *Conradus* Comes Marchionis mortui hæres futurus erat, si filium non reliquisset, quidam ministerialium ejus hujusmodi rumorem divulgaverunt, quod ipsa, plumario ventri alligato, prægnantem se esse hoc artificio mentiretur. Quo illa cognito, die quadam universis mariti sui ministerialibus convocatis, in medio ipsorum, in loco eminenti, astans, devoluto ex humeris usque ad nates pallio, nudam se ostendit, dicens; ut ipsi, an vere gravida esset, judicarent. Postquam vero enixa est, rursus illi talem sparserunt rumorem, quod feminam peperisset, eamque pro filio cujusdam pauperculæ, quæ maritum habebat cocum, quæ & eadem hora pepererat, commutasset. Hac ratione Comes eum *cocifilium* appellavit. Quidam ministerialium *Conradi* Comitis *Heldolfus* nomine, avus *Simeonis* & *Gevehardi* de *Zcurbeke*, in quodam colloquio, quod inter præfatum Comitem & *Henricum* Marchionem de *Ilenburg* in ipso castro agebatur, in Ecclesia B. Petri altare complexus, quasi ad probandum, quod *Henricus* pro femina commutatus fuisset, ita se obligavit, ut si idem filius esset *Henrici* Marchionis, ipse sui corporis perderet sanitatem. Quo rumore comperto Marchio admodum motus, ut suam injuriam vindicaret, omnibus suis fidelibus supplicavit. Quorum duo eundem *Heldolfum* diu insidiis appetentes, tandem oportune in itinere repertum aggrediuntur. Quos ille sibi instan es videns, quamvis suspectos haberet, tamen equo, cui insi ebat, confisus, nec dum agnitis eis fugere devitabat. Sed cum jam prope essent, recedere volens, equumque calcaribus urgens, movere non potuit, sicque illis irruentibus captus, & oculis, naso, labiis, lingua, auribusque mutilatus, propriæ maledictionis effectum visus est probasse, quod

Henricus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [80] - 4
PUBLIC DOMAIN

Henricus Marchio non fuit pro femina commutatus. Quod verbum cum multis viciſſim ſibi referentibus ad Marchionis notitiam perveniſſet, cum & prius amici non fuiſſent, indignatione gravi permotus, bellum Comiti intulit, eumque captum, & in caſtro *Kirchberg* cuſtodiæ traditum, lecto ferreo, & multis malis uſque ad mortem ſuam oppreſſum, detinuit. *Luderus* Rex cum exercitu *Bohemiam* ingreſſus, repentina invaſione hoſtium plurimis ſuorum perditis, nec paucioribus hoſtium occiſis, cum paucis evaſit, ubi *Arnoldus* Merſeburgenſis Epiſcopus occiſus eſt. In hoc caſu Epiſcopus Hildenesheimenſis L. milites, quos in ea expeditione direxerat, dicitur perdidiſſe. Hoc accidit XII. Kal. Martij. *Rothero* Archiepiſcopo ſucceſſit *Northertus*.

Anno M C XXVII. *Henricus* Marchio obiit: cujus morte in caſtro *Kirchberg* nunciata, cum eam ex luctu familiæ *Conradus* Comes intellexiſſet, perſuaſis ſuis cuſtodibus dimiſſus, & ad *Luderum* Regem profectus, interventu *Richicæ* Reginæ, cujus erat cognatus, Marchiam Miſnenſem obtinuit. Præterea totius proprietatis *Henrici* Marchionis hæres effectus eſt. Eo tempore *Herminoldo* Præpoſito Romam ad *Honorium* Papam directo, Eccleſiam Sereni-montis in jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, ſub annua penſione unius aurei, vel fertonis argenti, recipi, & in ea Ordinem Canonicorum regularium inſtitui, poſtulavit tali modo: *Domino beatiſſimo meritoq; venerabili, & in Chriſto honorando, Papæ Honorio, Conradus Marchio Miſnenſis, una cum uxore ſua Lucarda & filiis, debitam in Chriſto ſubjectionem. Quia Deus omnipotens, in cujus conſpectu ab initio cuncta poſtfutura ſunt præſentia, vos totius Eccleſiæ caput conſtituit, juſtum eſt veſtra auctoritate confirmari, quicquid aliquis de ſua poſſeſſione in jus Eccleſiaſticum obtulerit. Nos ergo veſtram obſecramus paternitatem, quatenus noſtram licet parvulam, oblationẽ ſtabilire non dedignemini, nec hæc aliqua uſur-*

pationis temeritate ad nos delata ſuſpicemini. Obtulimus B. Petro, principi Apoſtolorum, pro remedio animæ noſtræ & parentum noſtrorum, ex prædio noſtro hæreditario, locũ qui dicitur Mons-Serenus, *cum capella* Lobechune, *ad quam pertinent XVI. manſi, & cum capella in* Oſtravv, *ad quam pertinent IV. manſi, & inſuper de prædio noſtro CXX. manſos, hac determinatione, ut Canonici ſub regula B.* Auguſtini *ibidem Deo libere ſervientes, ſingulis annis unum Byzantium auri, vel fertonem argenti B.* Petro *in Roma perſolvant, & poſt præſentem Præpoſitum in clauſtro ſuo, velubicunq; potiori parti placuerit, alium eligant: chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium vel baſilicarum, ordinationes Canonicorum, qui fuerint ad ſacros ordines promovendi, ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi, in cujus ſunt diœceſi, recipiant; ſiquidem gratiam atque communionem Apoſtolicæ ſedis habuerit, & ſi ea gratis, ac ſine pravitate, voluerit exhibere. Alioqui liceat eis Catholicum, quem maluerint adire Antiſtitem, & ab eo conſecrationem & ſacramenta ſuſcipere: qui Apoſtolicæ ſedis fultus auctoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Me vero, dum vixero, & poſt me ſeniorem de filiis meis, vel quemlibet hæredem meum ſeniorem, Advocatum habeant, cui nihil, niſi ad proprium velle, ſecularis ſervitij debeant. Prædictum etiam montem nulli unquam bellicoſis propugnaculis munire audeant. Hæc omnia ſigillo veſtro, ut rogavimus, in poſterum confirmate, & nobis, licet indignis, exoptabilem veſtram benedictionem remandate.* Cujus petitioni Papa annuens, privilegium de his per præfatum Præpoſitum transmiſit. *Charoldus* Comes Flandriæ in Eccleſia à ſuis ſervientibus occiſus eſt. *Meinfridus* Sclavus de *Brandenburg*, occiſus eſt. *VVilhelmus* Comes Pictavorum obiit. *Henricus* Dux Bavarorum *Gertrudem* filiam *Luderi* regis duxit uxorem. Eodem anno *Conradus*, frater *Friderici* Ducis Suevorum, machinantibus quibuſdam principibus, regium nomen ſibi tyrannice

rannice imposuit: propter quod à tribus Archiepiscopis, *Moguntinensi*, *Salzburgensi* & *Magdeburgensi*, & eorum suffraganeis, excommunicatus, & ab omni Ecclesia anathemati satus est.

Anno M C XXIIX. *Herminoldus* Præpositus, privilegium exemptionis ab *Honorio* Papa Ecclesiæ *Sereni montis* missum, attulit, XI. Kal. Junij. *Conradus* tyrannus & *Fridericus* frater ejus, ab *Honorio* in die Paschæ excommunicati sunt. *Otto* Halverstadensis Episcopus Romæ ab *Honorio* Papa deponitur. *Erkenbertus* Corbejensis Abbas obiit. *Herminoldus*, primus Sereni-montis Abbas, obiit II. Id. Decemb. Sedit annis tribus & amplius, quod determinatum non est à senioribus. Post hunc electus est *Luderus* à fratribus illius temporis, contra placitum quidem *Conradi* Marchionis, quoniam Præpositus idem familiæ Marchionis *Alberti* de *Brandenburg*, consanguinitate jungebatur. Jamque gravis discordia inter præscriptos principes inflammata erat, & suspectus videbatur Præpositus, ne forte Marchioni *Conrado*, vel suis, in aliquo fieret onerosus. Præposituram tamen obtinuit. Hic majoris Ecclesiæ fundamenta jecit, eamque partem monasterii, quæ est à turri, usque ad arcem crucis, extruxit. Ante hoc autem fratres illius temporis celebrationem divinorum apud Capellam veterem frequentabant, habentes habitacula, suis usibus necessaria, ad occidentalem partem ejusdem capellæ. De hac siquidem capella nullus seniorum nostri temporis, quorum pleroſque amplius quam septuagenarios vidi, ab aliquo suorum priorum, æque senum, compertum habuit, quis ejus ædificator vel dedicator fuerit: licet hoc, ut asserunt, non sine solicitudine à pluribus sit investigatum. Festivitas tamen dedicationis ejus ex antiqua consuetudine in Kal. Augusti celebris habetur. Est & hæc Ecclesia, sicut & major, principis Apostolorum nomine & opere

opere insignis, quod annuo jam dictæ festivitatis tempore fidelium illuc concurrentium testatur frequentia; qui varijs deprehensi incommodis seu periculis, ubi cum oblationibus ad limina Apostoli in hoc loco devenerunt, ab omni contrarij casus malitia, meritis ipsius, se sub celeritate liberari & voce & votorum persolutionibus testantur. Omnia autem ejus beneficia, quibus pro memoria sui nominis, quæ est in hoc loco, fideliter invocantibus succurrere dignatur, scripto comprehendere, non minus inutile, quam impossibile credo: quippe cum in numerositate sui & discohærentia locorum, in quibus exhibentur, notitiam effugiant, & fastidiosis lectoribus incredulitatis vel detractionis peccatum valeant procurare. Pauca tamen veraciter comperta ad incitandam devotionem eorum, qui fideliter legent, licet per anticipationem, hîc inserere non omittam.

Ædificium capellæ crebris scissuris ruinam minari videbatur, placuitque Præposito *Ekkehardo*, ut adjecto extrinsecus novo muro fulciretur: intrinsecus vero rimæ patentes superducto calcis tegmine celarentur. Perfecto opere, superveniente cujusdam Sabbathi vespera, structuris illis, in quibus cementarij ad levigandum sanctuarium constiterant, super altare, & circumquaque, remanentibus; Parochiano, cujus nomen erat *Ebbeko*, necessitas obvenerat, ut sequenti die Dominica populo in majore Ecclesia missarum solemnia celebraret. Hoc itaque præordinato, cum circa horam crepusculi, accenso nocturnali lumine, hostio clauso discessit; regressus nocte media ad matutinas dicendas, omnem illam structuram ab altari remotam, & extra sanctuarium in uno loco compositam, celebrationi divinorum locum reperit præbuisse. Miratus admodum, cœcum, quendam *Reinherum* nomine, qui in vestibulo Ecclesiæ dormire erat solitus, requisivit, utrum strepitum aliquem in eadem capella noctis

noctis tempore senſiſſet. Illo cum juratione negante, ſe vel modicum motum ſenſiſſe, divinum illud opus fuiſſe, fideliter credendum eſt.

Conrado de *Cize*, tunc parochiano, teſte didici, ruſticum quendam, *Chriſtianum* nomine, de inventione pecuniæ ſuffoſſæ apud Nobilem quendam *Fridericum* de *Crozuc* diffamatum, & a eo captum, & cum alio compeditum, & in carcere poſitum, cum nomen Apoſtoli ſæpius invocaret, vidit nocte quendam ſenem venerandi vultus & habitus aſtantem, ſibique dicentem; *Sequere me*. Qui cum ſe non ſolum vinculorum, ſed etiam convincti ſui, quo minus illum ſequi poſſet, impedimento detineri quereretur; ille ut excitato ſocio, atque ad egrediendum admonito, ſe ſequeretur iterato præcipiens, præiensque, per anguſtum aditum ſequentes eduxit. Cumque jam munitione relicta, extra villæ ambitum conſtituti, nexu compedis repente ſe carere mirarentur, ille ductor ei, cui apparuerat, ut ſe B. *Petri* patrocinio liberatos intelligerent inſinuans, idque in Eccleſia nominis ejus, quæ in vicino eſſet monte, eos inſinuare præcipiens, diſparuit. Hæc ita geſta, eodem Chriſtiano referente, prædictus parochianus ſe cognoviſſe fatebatur: ego ipſam compedem in Eccleſia ſuſpenſam vidi. Alium æque ruſticum, opilionem officio, dominus ſuus, qui rebus ſuis inhiabat, captum cuſtodiæ tradidit, ut, ſi quid haberet pecuniæ, tormentis extorqueret. Illo ſe habere negante, dorſo ejus & natibus nudatis lardum, crebris haſtulis inſertis, hiſque accenſis, defluentem inſtillari præcepit. Territus miſer auditu ſupplicij cum nomen B. *Petri*, & corde & ore crebro auxilium ejus petendo, repeteret, ſeque ipſum cum oblationibus annis ſingulis ad præfatam memoriam fideliter voviſſet, cœpit igneas ſtillas lardi, ac ſi aquæ tepidæ, ſine ſenſu doloris cujuslibet ſuſtinere. Mirantibus qui aderant, dominumque ejus, ne amplius cum,

qui sic aperte divinitus esset adjutus vexare præsumeret, admonentibus; cum quidem ille, nec motu corporis, nec jactatione vocis signum aliquod doloris ostenderet, dimissus est. Idem autem pro solutione votorum suorum adveniens, hæc ita gesta, præfato parochiano, liberatori suo gratias referens, enarravit.

Mulier quædam paupercula vestem filij sui parvuli, cum gratiarum actione ad præfatam memoriam afferens, prænominato parochiano retulit, quod cum idem puer ægritudine vexatus, ita jaceret, ut utrum viveret an mortuus esset, omnino dubium remansisset; repente, postquam votum offerendi annuas B. *Petro* oblationes plena fide obtulit, eum vitæ viderit restitutum.

Memini me audivisse, unum de fratribus nostris, qui eo tempore adjutor erat parochiani, referentem; quendam cum naviculam argenteam ad altare obtulisset dixisse, se prius quam illius muneris votum fecisset, à maximæ tempestatis periculo liberatum.

Alius quidem se leprosum fuisse, & meritis B. *Petri* in hoc loco mundatum fuisse asserebat. Nolam, cujus signo hujusmodi homines eleemosynam solent petere, quam ipse vidi, ad altare obtulit, & cum fideli protestatione beneficij & gratiarum actione discessit. Hoc tempore *Thiderici* parochiani factum, ipso referente cognovi. Hæc occasione veteris capellæ dicta sufficiant.

Anno MCXXIX. *Luderus* rex Penthecosten *Quidelingenburg* celebravit, monasteriumque S. *Servatii* ipso instituente feria secunda dedicatum est ab Episcopis Hildesheimensi & Mindensi. *Albertus* Marchio *Hildegesburgh* quadam nocte cepit & incendit. *Spiram* rex secundo obsessam recepit. In commemoratione *S. Pauli* facta est commotio civium Magdeburgensium contra *Norbertum* Archiepiscopum, eo quod majorem

majorem Ecclesiam, quam pollutam audierat, nocturno tempore purificavit. Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris monasterij cum Misnensi & Havelbergensi Episcopis, & Præposito majoris Ecclesiæ, ibique diu obsessus est, sævientibus atque objurgantibus eum civibus, quod altaria fregerit, & reliquias sanctorum furto abstulerit. Sed hunc divina gratia mirabiliter eripuit, & eos postmodum per censuram Ecclesiasticam coactos sibi subjecit.

Anno MCXXX. *Bertoldus* Hildesheimensis Episcopus obiit, pro quo *Bernhardus* ejusdem Ecclesiæ canonicus constituitur. *Vdo* Comes de *Franckeleve* ab hominibus *Alberti* Marchionis occisus est. *Conradus* de *Ekstide* apud Hallam à civibus ejusdem oppidi, cum alijs multis occisus est. *Honorius* Papa obiit, cui successit *Gregorius*, mutato nomine *Innocentius*: contra quem alter *Petrus Leo* electus est, mutato nomine *Anacletus*, & ambo una die consecrati referuntur. Ecclesia tamen tota in Pontificatum *Innocentij* consensit. *Henricus* Comes & signifer regis, frater *Ludovici* Comitis de *Thuringia* clam occisus est. *Burchardus* de *Luckenem* Comes Frisonum, à militibus Domini sui, voluntate ipsius in quodam cœmeterio occisus est. Hujus perfidiæ vindex *Luderus* rex, *VVincenburg* castrum ipsius fregit, & comitatum ipsius dedit *Ludevico* dicto de *Thuringia*. *Innocentius* Papa *VVirtzburg* à *Ludero* rege, & omnibus ibi congregatis, eligitur & confirmatur.

Anno MCXXXI. *Norbertus* Magdeburgensis Archiepiscopus Ecclesiam in gratia Dei, in honorem S. Dei genitricis perpetuæ virginis, & S. Victoris martyris, de proprietate nobilis viri *Ottonis*, Comitis de *Crudorp*, fundavit, primosque lapides in fundamento Ecclesiæ, cum præfato Comite, propriis manibus imposuit; eundemque virum, seculo renunciantem, in Ecclesia, cujus fundator extitit, Canonicum fe-

cit, & in Diaconatus ordinem promovit. Primus Ecclesiæ illius præpositus extitit *Emelricus*, qui post breve transmarinavit: post quem *Evermodus* postmodum Ratisburgensis Episcopus, provisor loci ordinatur. Omnes autem ordinis illius clerici Magdeburgensis diœcesis votum Episcopo * & non suis Præpositis faciebant. Synodus generalis apud *Leodium* in quadragesima est habita, præsidente Papa *Innocentio*, præsente *Ludero* & regina *Richza*, ibique ab ipso Apostolico & omni Ecclesia ibi collecta, excommunicati sunt, *Petrus Leo*, *Conradus* tyrannus & *Fridericus* frater suus, cum omnibus illis faventibus. *Otto* etiam Halverstadensis Episcopus, ab Honorio Papa depositus, ibidem petitione regis & totius Ecclesiæ restitutus est. *Henricus* Magdeburgensis Præfectus, filius *VViperti* Marchionis de *Groitz*, Marchiam, quam patre suo defuncto *Adelbertus* à rege acquisierat, jure legali recepit, anno post mortem patris sui IIX. Rex in Saxoniam regressus, collecto exercitu Danos devicit. *Innocentius* Papa II. Synodum *Rhemis* celebrat. *Fridericus* Colonicnsis Episcopus obiit.

Anno MCXXXII. Corpus S. *Godehardi* III. Non. Maji levatur, anno à depositione ipsius XCVI. *Ecbertus* Monasteriensis Episcopus obiit, cui successit *VVernherus* Halverstadensis Canonicus, fratruelis S. *Annonis* Colonicnsis Episcopi. *Bruno* successit *Friderico* Colonicnsi Archiepiscopo. *Cono* Ratisponensis & *Hermannus* Augustensis obierunt.

Anno MCXXXIII. *Conradus* Marchio de *Plötzke*, in Italiam cum rege pergens, sagitta transfigitur; cujus corpus in patriam delatum, sepultum est *Kakelinge* cum parentibus suis. Rex mediante *Nortberto* Archiepiscopo II. Non Junij à Papa cõsecratur cum conjuge sua. Eclipsis solis facta est IV. Non. Augusti.

Anno MCXXXIV. *Adelbertus* Comes successit *Conrado* Marchioni. Imperator celebrat Pascha *Halverstad*, ubi quidam

dam de Principibus Danorum, *Magnus* nomine, hominium ei faciens, regnum Daniæ ab ipso suscepit, & postquam præstitit juramentum, Imperatori ad Ecclesiam procedenti, circulo decoratus aureo, gladium præportavit: qui in patriam reversus, à quodam *Henrico* occisus est cum V. Episcopis, & LXV. clericis. Pater etiam ejusdem in civitate *Nesvich* ante Ecclesiam cum suis occisus est. *Northertus* Magdeburgensis Episcopus obiit IIX. Id. Junij: sepultus est in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, in qua ipse remotis Canonicis secularibus, Canonicos Præmonstratensis Ordinis instituerat. Imperator festum Apostolorum Petri & Pauli celebrat Magdeburgi, & *Conradus* ejusdem Ecclesiæ Canonicus, omnium electione, Imperatore consentiente, Archiepiscopus constituitur: qui etiam post *Rutherum* electus Episcopatum obtinuisset, nisi quod Abbas *S. Johannis de monte*, & major Præpositus restiterunt dicentes: non esse Subdiaconum eligendum. Imperator cum exercitu Sueviam intravit propter *Fridericum* Ducem & fratrem ejus Conradum; qui quoddam oppidum, *Vlma* dictum contra eum munierunt, & cives ad resistendum ei incitaverunt. Sed *Henricus* Dux Bavarorum Imperatorem praveniens, oppidum expugnavit, cepit & incendit Duce & fratre suo *Friderico* inde fugientibus. Postmodum Dux à pluribus sibi faventibus derelictus, necessitate coactus, nudis pedibus Imperatorem adiit, & per Imperatricem gratiam ipsius obtinuit. Qui etiam per Legatum Apostolicum ibi præsentem ab excommunicatione VII. annorum eum absolvi fecit, præstito juramento, quod gratiam Imperatoris omni in posterum devotione mereretur.

Anno MCXXXV. dedicatum est monasterium Hallense à *Conrado* Magdeburgensi Archiepiscopo. *Ludovicus* Augiensis Abbas occisus est in Ecclesia à ministerialibus suis, per insidias (sicut fama fuit) *Vdalrici*, fratris *Friderici*, Comitis de

Zolre, qui ei succeſſit, ſed ipſe eodem anno veneno vitam finivit. Imperator celebrat Penthecoſten Magdeburgi, ubi *Orhilricus* Dux Bohemorum, & Legati *Bolizlai* Ducis Polonorum, & *Godefridi*, Ducis Lovaniæ: Hungarorum etiam, & Danorum, nec non Slavorum, cum Principibus illuc venientibus adfuerunt. *Conradus* Miſnenſis Marchio Hieroſolymam profectus eſt. Congregatio feminarum Canonicarum in *Lutere*, in regularem Ordinem S. Benedicti commutatur, & *Everhardus* de monaſterio S. Johannis Magdeburgenſi illuc cum Monachis primus Abbas mittittur, & eodem anno ab Imperatore & ejus conjuge, poſitis in fundamento primis lapidibus, novum monaſterium inchoatur. Imperator aſſumtionem S. Mariæ in *Merſenburg* celebrat, ubi *Bolizlaus* Dux Poloniæ, & *Orhilricus* Dux Bohemiæ cum cæteris Principibus adfuerunt, ubi etiam *Bolizlaus* gladiū Imperatori reportavit. Imperator *Mülehuſen* venit, ubi *Conradus* frater *Friderici* Ducis depoſita tyrannide, Imperatoris pedibus provolutus, auxilio Imperatricis gratiam ipſius promeruit, & per *Conradum* Archiepiſcopum Magdeburgenſem abſolutus eſt.

Anno MC XXXVI. *Conradus* Magdeburgenſis Archiepiſcopus petitione *Conradi* Comitis Miſnenſis, Eccleſiam *Nunniceenſem*, quam pater & mater jam dicti Marchionis fundaverant, in nomen & dignitatem Abbatiæ, auctoritatis ſuæ privilegio confirmavit. Primus Eccleſiæ illius Abbas *Reinhardus* dicebatur. *Henricus* Marchio & Magdeburgenſis Præfectus, filius *VViperti*, ad curiam pergens Moguntiæ moritur II. Kal. Jan. cui in comitatu Magdeburgenſi ſucceſſit *Burchardus* frater Archiepiſcopi. Marchiam vero *Luſicenſem*, quæ nunc Orientalis dicitur, Imperator *Conrado* Marchioni Miſnenſi conceſſit, qui etiam totius proprietatis hæres factus eſt, quia alium hæredem non habuit. Havelberga capta eſt à filijs *VVidikindi* & Eccleſia incenſa. *Luderus* Imperator ſecundo Romam profectus eſt.

Anno

Anno MCXXXVII. *Luderus* II. Sereni-montis Præpositus obiit X. Kal. Maji. Sedit annis IIX, mensibus IV. diebus XI. Post. hunc, ordinatione *Conradi* Marchionis, electus est *Meinherus*, Hallensis Ecclesiæ Canonicus. Hic primum Ecclesiæ S. *Gereonis* Colonienſis Canonicus, mutato habitu in Ecclesia *Hallensi* conversus est: quem etiam frater suus carnalis *VVicmannus* nomine, ejusdem Ecclesiæ & ipse Canonicus, ad conversionem occasione tali secutus est. Accidit ut in ludo, qui vocatur puerorum, cui ipse intererat, puer quidam conculcatus moreretur; pro cujus rei pœnitudine seculum relinquens, fratrem secutus est, & cum esset Subdiaconus deinceps ad gradum altiorem noluit promoveri. *Meinherum* autem Præpositum secuti sunt plures ex senioribus Hallensis Ecclesiæ fratribus viri laudabiles, & per quos Ecclesia *Sereni-Montis* plurimum noscitur profeciſſe, tam in religione conversationis exemplo, quam etiam in libris, quos sibi conscripserunt. Ex quibus quartus, *Gerhardus* nomine, licet luscus, plures libros ipsi Ecclesiæ scripsit: *Missales* VI. *Plenarium* unum: *Lectionarium* unum: *Gradualia* quatuor: *Antiphonarium* unum: *Omelias* II. *Pastionales* II. *Libros moralium* quatuor: *Matutinales* II. Librum de *cura pastorali* scripsit *Heidenricus*, postea Hallensis Præpositus. Omnia etiam Ecclesiæ hujus officia iidem fratres longo rempore administrantes, primi ei religionis imaginem impresserunt. Imperator nativitatem Domini celebrat in campestribus *Bononiæ*, & Pascha *Firmæ*. Deinde ingressus est *Apuliam*, ubi apud civitatem, quæ *Trana* dicitur, *Bruno* Colonienſis Archiepiscopus minuto sanguine tertia die defunctus est. Imperator vero transiens per *Romaniam* & *Campaniam Barum* civitatem venit, ibique Pentecosten celebravit, & in sancto die Papa, præsente Imperatore, missam in monasterio S. *Nicolai* celebravit. Ibi sepultus est *Bruno* Colonienſis Archiepiscopus, cui *Hugo* succeſſit,

cessit, Decanus ejusdem Ecclesiæ, qui ibidem confirmationem & pallium à Papa suscepit. Eodem tempore obiit *Albertus* Moguntinensis Archiepiscopus. Imperator natalem Apostolorum *Melsiæ* celebravit: ubi *Hugo* Archiepiscopus phlebotomatus, quarto die obiit, ibique sepultus est. Eodem itinere *Adalbero* Basileensis Episcopus obiit. Imperator apud *Bredinam* villam in faucibus Alpium constitutam II. Non. Decembris obiit. Corpus ejus in Saxoniam relatum, *Luttere* sepultum est.

Anno MC XXXIIX. *Petrus Leo* Antipapa obiit. *Conradus* frater *Friderici*, Ducis Suevorum, à quibusdam Principibus in regem eligitur: Unde dissensio magna in reliquum exorta est. *Meingotus* Episcopus obiit, cui successit Ekki --- sus ejusdem Ecclesiæ Præpositus. *Lambertus* Ilseneburgensis Abbas, & Brandenburgensis electus, rediens à Roma, occisus est à latronibus. Cui successit in Abbatia *Sigeboto*, ejusdem Ecclesiæ monachus: in Episcopatu *VVicherus*, S. Mariæ Præpositus in Magdeburg. *Hugoni* Archiepiscopo Colonienſi succes-sit *Arnoldus* Præpositus S. Andreæ. *Bolizlaus* Dux Poloniæ obiit, cujus filiorum senior *Bolizlaus*, gener *Conradi* regis, ducatum patris obtinuit. *Volcmarus* Abbas Corbejensis obiit, cui successit *Albero* frater Ducis *Henrici*. Castrum quod *Berneburg* dicitur, incensum est propter tyrannidem, quam exercebat inde *Eylica* Comitissa cum suis. Hæc fuit avia Comitis *Bernhardi*.

Anno MC XXXIX. *Conradus* rex natalem Domini *Goslariæ* celebrat, ubi & publicum conventum habuit, sed nihil ibi de reipublicæ utilitate tractatum est. *Conradus* Archiepiscopus Magdeburgensis auxilio Principum sibi faventium castrum *Bernhardi* Comitis *Plotzke* obsedit, cepit & destruxit *Henricus* Dux Bavarorum & Saxonum veneno occisus est XIII, Kal. Novemb. & *Lutter* juxta *Luderum* Imperatorem sepultus est.

Anno

Anno M C XL. *Ludevicus* Rex Franciæ obiit. *Otto* Bambergensis Episcopus obiit, qui *Pomeranos* convertit: cui successit *Eilbertus* ejusdem Ecclesiæ Canonicus. *Ludevicus* Comes de *Thuringia* & *VVilhelmus* Comes Palatij obierunt. *Sivvardus* Episcopus Mindensis obiit; cui successit *Henricus* Abbas ejusdem loci. *Godeboldus* Episcopus Misnensis obiit, cui successit *Rembertus* ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Eodem anno destructæ sunt munitiones istæ: *Groningen*, *Anehalt*, *Gobelenze*, *VVithecke*.

Anno M C XLI. *Richsa* Imperatrix obiit. *Adelbertus* Episcopus Moguntinus obiit: cui successit *Marcolphus* Præpositus de *Aschafneburg*.

Anno M C XLII. *Conradus* Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus XIV. obiit VI. Non. Maij, sedit annis VII. mensibus IX. diebus XXVI. Cui successit *Fridericus* custos majoris Ecclesiæ. *Marcolfus* Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus obiit; cui successit *Henricus* Præpositus majoris Ecclesiæ. *Otto* Halverstadensis Ecclesiæ Episcopus obiit. *Gertrudis* Ducissa obiit, filia *Luderi* Imperatoris. *Eylika* Comitissa obiit.

Anno M C XLIII. *Innocentius* Papa II. obiit, successit Wido, qui & Cælestinus, *Ekkelenus* Mersburgensis Episcopus obiit, cui successit *Reinhardus*. *Agnes* Marchionissa, mater *Conradi* regis obiit. *Conradus* Rex dedit *Conrado* Misnensi, & Orientali Marchioni, & uxori ejus *Lucardæ*, provinciam *Rochelez*.

Anno M C XLIV. *Cœlestinus* Papa obiit; cui successit *Gerhardus* Cardinalis, mutato nomine *Lucius*. *Lambertus* venerandæ memoriæ primus Hallensis Ecclesiæ Præpositus, obiit V. Id. Febr. Sedit annis XXVI. Primus autem dicitur, quia illi Ecclesiæ in loco, qui nunc est, primus præfuit. *Adelgotus* siquidem Archiepiscopus, cum primum inchoandi hanc Ecclesiam propositum habuit, & Canonicos secundum regulam

B. Augustini in ea instituere disponeret, hujusmodi viros de quadam Ecclesia *Bavariæ*, quæ *Reidenbug* dicitur, unde & *Ordo Canonicorum regularium* per *Saxoniam* derivatus est, timore *Henrici* Imperatoris recedentes, inter quem & summum Pontificem longa discordia trahebatur, tanquam à Deo sibi transmissos suscepit, eosque in castro *Givekenstein*, data eis ejusdem castri capella, & uno, *Bervvigo* nomine, qui cæteris præesset, ordinato, qui etiam Ecclesiæ illius, de qua recedebant, Præpositus fuerat, per biennium detinuit. Infra quod temporis spatium *Bervvigus* defunctus est. Inde Archiepiscopus ad locum, ubi nunc Ecclesia est *Novi operis*, eos transtulit, & *Lambertum*, de quo hîc agitur, qui unus erat ipsorum, eis Præpositum feliciter ordinavit; qui mox divino timori se ex toto corde subjiciens, in regulari conversatione ita se exhibuit, ut in paucis annis plurimi, quorum plerique erant nobiles, & ex delicatis moribus, bonæ opinionis ejus odore tracti, ad locum illum, tanquam ad portum post naufragium, conversionis gratia festinarent. Ex qua re factum est, ut illa Ecclesia, inter ipsa fere suæ inchoationis primordia, numerositate personarum venerabilium, multis veteribus Ecclesiis præstantior haberetur. *Lamberto* Præposito successit *Fridericus*. Eodem anno obiit *Berta* Comitissa, uxor *Dedonis* Comitis, fratris *Conradi* Misnensis, & Orientalis Marchionis, XVII. Kal. Junij. Hæc proprietatem suam *Groitz* dedit *Dedoni* filio prædicti Marchionis, quem ipsa loco filij enutrierat. *Rodolphus* Comes de *Staden* junior, interfectus est à trans-Albanis Saxonibus, qui Ditmerschen dicuntur. *Sifridus* Comes de *Homburg* obiit: Quidam libri habent de *Bomeneburg*. *Salome* uxor *Bolizlai* Ducis obiit.

Anno MCXLV. *Conradus* Rex ad natalem Domini *Magdeburg* venit, & quia in comitatu suo *Hermannum* Comitem de *Sthalecke* excommunicatum duxit, à clero regali more non

non est susceptus. *Lucius* Papa obiit; cui successit *Bernhardus* Cardinalis Abbas S. Anastasiæ, mutato nomine *Eugenius*. *Bertrada* Comitissa, & filius ejus *Conradus* Comes de *Honstein* obierunt.

Anno M C XLVI. *Lucardis* Marchionissa Serenum-montem venit, & â *Meinhero* Præposito devote suscepta, ibidem se phlebotomari fecit. Sequenti autem vel tertia die petitionem aliquam Præposito porrexit, de qua ille nolebat ei aliquatenus consentire. Pro qua re indignata *Gerbestad* recessit, ibique, ex motu animi, ut fertur, languorem incurrit, ex quo defuncta est, XIII. Kal. Julii, & in monasterio ipsius loci, consilio *Hojeri* Comitis de *Mansfeld*, qui tunc aderat, est sepulta. Eo tempore *Conradus* Marchio à peregrinatione transmarina rediens, cum in partes *Bavariæ* venisset, nuntium de morte uxoris accepit, statimque, ubi sepulta esset, sollicite requisivit. Quo cognito, simulque de eo, qui consilium dederat, comperto, graviter ferens cum juratione asseruit, se eum, ut suis eam manibus effoderet, compulsurum; quod ita factum est. Denique cum rediisset Marchio, *Hojerus* idem indignationem ejus erga se, & causam indignationis, intelligens, nec aliud, nisi reddito corpore Marchionissæ, gratiam ejus se impetraturum, nocte quadam, dimidio jam anno à sepultura ejus exacto, *Gerbestad* cum suis clam venit, persuasisque pecunia custodibus eam effodiens tulit, & *VVitin*, ubi ex condicto Marchio ejus expectabat adventum, adduxit: sicque sub ipsa nocte, prosequente Marchione, in *Serenum-montem* advecta, ibique sequenti die honorifice sepulta est. Porro Marchio in die sepulturæ ejus XIIX. mansos ad dotem trium altarium, quæ cum monasterio dedicandæ erant, *Beato Petro* pro requie defunctæ obtulit, *sex mansis singulis altaribus* deputatis. *Conradus* Rex cum conventum haberet, *VVladislaus* gener ejus ipsum adiit, & recepto ab eo *Poloniæ* du-

catu, fratres ſuos exhæredare conatus eſt. Denique cum reverſus civitatem *Poſnam* cum exercitu obſideret, fratres ejus collectis paucis ex improviſo ei irruentes multos de exercitu ejus proſtraverunt. Unde coactus eſt pacem cum eis firmare juramento. Sed ut patefieret perfidia ipſius, divino judicio terra in loco ipſo juramenti, ut fertur, ſanguinei fluminis patefecit abyſſum. Poſtea poſt multas clades fratribus illatas à patria expulſus eſt. Rex vero collecto exercitu Poloniam ad reſtituendum generum ingreſſus eſt. Fratres autem ad reſiſtendum parati ſemitas obſervantes regem ingredi prohibebant. Tandem conſilio *Adelberti* & *Conradi* Marchionis, obſidibus viciſſim datis, regem adeunt, & promiſſa pecunia patriam ab ipſo ſuſcipiunt, juniore fratre obſide dato.

Anno MCXLVII. Eclipſis ſolis facta eſt VII. Kal. Novembr. media nocte: *Conradus* Rex cum *VVelpone* & *Friderico* Ducibus aliiſque plurimis, tam Epiſcopis, quam Comitibus, multiſque Chriſti fidelibus, cruce ſignatus, quorum numerus fuit DC. millia, ad partes tranſmarinas proficiſci diſpoſuit; ſed traditione *Regis Graciæ* XIIX. diebus per loca deſerta ducti, fame & ſiti ex parte maxima perierunt, inſuper à paganis *Turcis* in hoc labore circumventi, plurimi interfecti ſunt. *Ludovicus* etiam, Rex Franciæ, LX. millibus in ea expeditione perditis, cum paucis rediit. Hanc expeditionem promoverat *Bernhardus* Claræ vallenſis Abbas, qui hoc tempore floruit. Eodem anno magna multitudo ſignatorum contra paganos, aquilonem verſus habitantes, profecta eſt, ut eos aut Chriſtianæ religioni ſubderent, aut omnino delerent. Hujus expeditionis principes erant *Fridericus* Magdeburgenſis Archiepiſcopus, *Rodolphus* Halverſtadenſis, *VVernerus* Monaſterienſis, *Reinhardus* Merſeburgenſis, *VVikerus* Brandenburgenſis, *Anshelmus* Havelbergenſis, *Henricus* Moravienſis,

Epiſcopi:

Episcopi: *VVibolt* Corbejensis Abbas, *Conradus* Marchio, *Adelbertus* Marchio, *Friderirus* Palatinus Comes, *Hermannus* Palatinus Comes, cum alijs multis, quorum numerus erat LX. millia. In alia societate ejusdem expeditionis Principes erant *Albertus* Bremensis Archiepiscopus, *Dithmarus* Verdensis Episcopus, *Henricus* Dux Saxoniæ, *Conradus* Dux Burgundiæ, *Hartvvicus* princeps nobilis, cum alijs XL. millibus. Item Rex *Daciæ*, cum centum suorum provincialium millibus. Frater etiam Ducis *Polonorum* cum XX. millibus. Præterea navalis exercitus *Anglicorum* & *Colonienſium* & *Flandrenſium*, cum ipsis simul terram paganorum ingressi, civitatem quandam munitissimam *Vlyxibonam* nomine, magno licet labore, ceperunt, interfectis paganis CC. millibus & D.

Anno MCXLIIX. *Fridericus* Archiepiscopus, & alij quidam Principes Saxonum, cum Poloniæ Ducibus *Bolizlao* & *Mesicone* amicitiæ fœdus in Epiphania Domini celebraverunt, ubi *Otto* Marchio filius *Alberti* Marchionis, sororem *Polonorum* principum uxorem ducendam suscepit. In media quadragesima *Eugenius* Papa concilium *Rhemis* celebravit, ubi seductorem quendam, *Eris* nomine, qui se in *Gascoina* & finitimis regionibus Deum prædicaverat, errorem suum coram omnibus confessum in caveæ captivitatem deputatum, perpetui exilij supplicio damnavit. In eodem concilio Magister *Giselbertus* scripta sua, quæ à quibusdam calumniabantur, auctoritate SS. Patrum magnifice defendit. Rex Romanorum, & Rex Franciæ *Damascum* obsederunt, sed *Hierosolymorum* rege ope sua eos fraudante, nihil dignum effecere.

Anno M C XLIX. dedicata est *capella* Hallensis, quæ *Præpositi* vocatur. *Conradus* Rex, & Rex Franciæ, à peregrinatione redierunt.

Anno M C L. *Conradus* Marchio de promotione Ecclesiæ *Montis-Sereni* sine oblivione solicitus, ex eo tantum impediri

pediri videbatur, quod cum *Nimicenſis* Eccleſiæ, quam parentes ipſius fundaverant, pietatis reſpectus curam poſtponere non ſinebat. Conſiderans tamen hanc ipſam ſibi pro rerum tenuitate non poſſe ſufficere, quodque ex hac cauſa regularis ordo in ea inſtitutus deficiendi argumentum diebus ſingulis capiebat, eam cum omnibus ad ipſam pertinentibus in proprietatem & uſum alterius transferre, ſi eſſet poſſibile, cogitabat, ea videlicet ratione, ut divinum officium quod in hac annullatum erat, in illa copioſius ſupplereretur, ſimul etiam ne parentum ſuorum oblatio inutiliter deperiret. Hujus itaque negotij promovendi cauſa, legatos idoneos *Anshelmum* ſecundum Havelbergenſem Epiſcopum, & *Gerhardum* Magdeburgenſis Eccleſiæ majoris Præpoſitum ad *Eugenium* Papam deſtinavit, petens, ut, quod de Eccleſiis hiſce facere ordinaverat, auctoritate Apoſtolica perficere permitteret. Cujus petitioni Papa annuens, ei de hoc reſcripſit ad hunc modum. *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, nobili viro Conrado Marchioni ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Literas nobilitatis tuæ benigne recepimus, & devotionem tuam, quam erga B. Petrum & Eccleſiam Dei ex eis te habere perpendimus, in Domino collaudamus. Nos autem tuum laudabile votum de Eccleſiis, pro quibus rogaſti, adimpleri volentes, petitioni tuæ duximus annuendum. Vnde venerabili fratri noſtro Magdeburgenſi Archiepiſcopo per ſcripta mandavimus, ut ſecundum quod à nobis poſtulaſti, ſtudeat hoc effectum mancipare. Præterea dilectum filium noſtrum A. Miſnenſem Præpoſitum, & Canonicos ſuos, habeas propenſius commendatos: à pravorum hominum incurſibus defendas, atq; in ſuis oportunitatibus juves & manuteneas. Datum Tuſculani V. Non. Maii.* Fridericus itaque Archiepiſcopus, quod in mandatis acceperat exequi ſtudens, Eccleſiam *Nimecenſem* in proprietatem & uſum fratrum *Sereni-montis* tranſtulit, factumque hoc ſummi

summi Pontificis, nec non suæ auctoritatis munimine confirmavit.

Anno MCLI. *Meinherus* III. *Sereni montis* Præpositus obiit, v. Idus Jan. cum sedisset annis XIII. mensibus IIX. diebus XVI. Hic majorem Ecclesiam, quam antecessor ejus inchoaverat, consummatam à *Friderico* Magdeburgensi Archiepiscopo dedicari fecit: cujus dedicationis annum invenire non potui. Post hunc electus est *Arnoldus*, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, vir idoneus quidem, & de quo futuræ utilitatis spes haberi poterat; sed *Conrado* Marchioni non placuit, qui alium, *Eckehardum* nomine, Hallensis Ecclesiæ Canonicum, famæ laudabilis virum, qui forensi Ecclesiæ jam per annos XIV. præerat, mortuo Præposito substituere modis omnibus intendebat. Ardenti enim affectu religionem in Ecclesia Sereni-montis propagare desiderans, hac aliter, nisi sumto de Ecclesia Hallensi Præposito, pro sui posse non speravit, in qua præcipue regularis observantiæ studium tunc vigebat. Hac autem ejus intentione agnita *Arnoldus* idem, hinc quidem considerans plus damni ex offensa Marchionis Ecclesiæ suæ posse accrescere, quam utilitatis ex eo, si ipse in hoc, ad quod fuerat electus, persisteret; illinc autem fratrum, qui se elegerant & perseverare hortabantur, instantiam attendens, dubitabat, quid mallet: sicque hoc negotium per sex pene menses suspensum est. Solebant autem priores Præpositi hujus Ecclesiæ curam de manu Archiepiscopi Magdeburgensis accipere, sponte an coacti nescio; in quo tamen utrique rectissime reprehenduntur. Isti siquidem, quod privilegio suo uti noluerunt; illi autem, quia scientes Ecclesiam ipsam ad summum Pontificem immediate pertinere, in alienam segetem falcem mittere præsumserunt. Ex hac consuetudine cum præfatus electus ad *Fridericum* Archiepiscopum pro eodem negotio *Gevekenstein*, ubi etiam Marchio

chio & *VVicmannus* Episcopus Nuenburgensis aderant, venisset, *VVicmannus* Episcopus causa cognita ad consulendum ei ingerens dicebat, utile sibi videri & coram Archiepiscopo & Marchione insufficientem se, & paratum, si eis ita placeret, ut ab electione cederet, fateretur. Hac enim ejus humilitate Marchionem placandum, & ut persisteret consensurum. Ille autem consilium tanquam utile simpliciter attendens, coram Archiepiscopo & Marchione insufficientiam de se testatur, etiam in hoc paratum, si eis placeret, ut ab electione cederet, fatebatur. De quo illi eum laudantes, placere sibi ut cederet, responderunt, tamen ille laqueatum se videns, quia referre pedem turpe judicabat, electioni renuntiabat, sicque *Ekkehardus* pro arbitrio Marchionis electus est & confirmatus. Idem autem *Arnoldus Luppoldüsberge* postea Præpositus datus, Ecclesiam illam strenue gubernavit; ad cujus religionem conservationis probationem factum memorabile, quod à viris fidelibus didici, hic inserere non pigebit. Congregatio est sanctimonialium in eadem Ecclesia, quas Præpositus idem ad honorem cœlestis sponsi vigilantissime custodiebat. Ex his una junior antiquo hoste incitante seculum diligens, copiam recedendi, quam difficulter invenire poterat, requirebat. Quæ tali proposito æstuans, cum ex consuetudine Ecclesiastica in die resurrectionis Christi ad communionem accedere cogeretur, malæ voluntatis conscia, quod accipiebat non ausa sumere, per quinque annos, quos discedendi aditum quærens invenire non poterat, quinque portiones Dominici corporis reservavit, easque in vase mundo, prout poterat, diligentius reponens, in loco secreto terræ infodit. Tandem misericors redemtor miseratus miseram, & ut credo sepulturæ impatiens, quam semel resurgendo evaserat, Præpositum per visum de his, quæ agebantur edocuit. Videbat enim se in quodam secreto claustri

loco

loco ſtare, in quo foſſa pateret, & in ejus ima parte infans decentiſſimus nudus videbatur, qui manibus protenſis, Præpoſitum quaſi ut ſe educeret precabatur. Quo viſo ſomno excuſſus viſionem recogitans, quid vidiſſet, mirabatur. Die autem facto clauſtrum ingreſſus ſorores convocat, eiſque quod viderat enarravit, locum, qui oſtenſus fuerat, deſignans. Deinde quadam quaſi miſeratione ductus ex memoria viſionis eis, ut fodiendo in eodem loco terram patefacerent, præcepit. Quo facto, vas, quod infoſſum erat, reperiunt, quod ſublatum Præpoſitus aperiens, viſo quod continebat, ſtatim quid eſſet intelligere ſibi videbatur. Omnibus autem ingenti admiratione attonitis, vaſe in Eccleſia reverenter collocato regreſſus, infoſſionis ream ſub interminatione pœnæ requirere cœpit. Tunc illa miſera deprehenſam ſe videns, pedibus ejus proſtrata, in lacrymas amariſſimas & gemitum erupit, &, quid cogitaſſet, quidve egiſſet, exponens, omnes qui aderant, ad fletum uberrimum provocavit. Sicque poſt ſolutas miſericordiæ Redemtoris gratiarum actiones, pœnitentiam injunctam devote peragens, & partibus illis, quas repoſuerat, per vices communicata, tentatione qua urgebatur omnino caruit. Sed hæc longe poſtmodum facta ſunt. *Arnoldus* Colonienſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Arnoldus* Cancellarius. *Richardis* Marchioniſſa obiit. *Ludevicus* de *VVippera* obiit. *VVernherus* Epiſcopus de Monaſterio obiit: cui ſucceſſit *Fridericus*.

Anno MCLII. *Conradus* Rex obiit. *Fridericus* Dux Sueviæ in regem eligitur communi conſenſu in media quadrageſima: qui proximum Pentecoſte *Merſeburg* celebrans *Sveno* Regi Daciæ circulum regium conceſſit. *Lamberius* Comes obiit. *Hermannus* Comes de Wincenburg cum *Luchara* uxore ſua prægnante in ipſa urbe à ſuis occiſus eſt. *Fridericus* XV. Magdeburgenſis Epiſcopus obiit XIX. Kal. Feb. ſedit

annis IX. mensibus IIX. diebus XIV. Post hunc electi sunt duo, *Hazzo* Decanus, & *Gerhardus* Præpositus majoris Ecclesiæ. His autem aliquamdiu pertinaciter singulis pro parte nitentibus, *VVicmannus* Nüenburgensis Episcopus sequester illis accessit, modisque, qui in ejusmodi causis præcipue valent, præmissis videlicet & muneribus pluribus, utriusque partis electoribus abstractis, ut se eligerent, persvasit. Quo facto, vasallis Ecclesiæ fidelitatem ei jurantibus Episcopatum obtinuit. Pallium autem, quia de irregulari introitu apud curiam Romanam infamatus erat, biennio per nuntios suos obtinere non potuit.

Anno MCLIII. *Fridericus* Rex Saxoniam pacifice intravit. *Henricus* Moguntinus Archiepiscopus à Cardinalibus *Bernhardo* & *Gregorio* deponitur: cui *Arnoldus* Cancellarius substituitur. Item *Henricus* Mindensis Episcopus deponitur, cui successit *VVernherus*. Item *Bernhardus* Hildensemensis Episcopus ab Episcopatu absolvitur & moritur: cui successit *Bruno*. *Eugenius* Papa obiit, cui successit *Conradus*, qui & *Anastasius*. *VVicboldus* cum alijs multis in Fresia periit. *Irmingardis* Marchionissa obiit. Dux *Henricus*, & Marchio *Albertus*, discordantes, incendiis Saxoniam turbaverunt. *Fridericus* Rex coram nuntijs Apostolicis ab uxore sua propter notam adulterii separatus est.

Anno MCLIV. *Ekkehardus* Sereni-montis Præpositus ædificium claustri in australi parte majoris Ecclesiæ construere aggressus est in loco præcipiti & scopuloso, & in quo non nisi laborem & impensam perdere omnibus inspicientibus videbatur. Quantum autem laborem in hoc ædificio non perdiderit, sed impenderit, nunc inspicientibus palam est. *Fridericus* Rex Magdeburg Pascha celebrat præsente *Gerhardo* Cardinali. *Anastasius* Papa obiit, cui *Adrianus*, qui & *Nicolaus*, Albanensis Episcopus successit. *VVicmannus* uenburgensis

Episcopus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [102] - 26
PUBLIC DOMAIN

Episcopus & Magdeburgensis electus pallij impetrandi causa Romam profectus est. Papa autem, licet de introitu ejus agnovisset, tamen quia contradictor nullus apparuit, posito in altari B. Petri pallio, Episcopo, si canonice se sciret electum, ut tolleret præcepit. Quo hæsitante, quidam Canonicorum ipsius *Tidericus* de *Hildeslove*, & unus militum, eum de hæsitatione arguentes, pallium tulerunt, & Episcopo sumendum obtulerunt. Eo anno contigit rumor reliquiarum de *Hugisburg*. *Fridericus* secundus Hallensis Ecclesiæ Præpositus obiit XVII. Kal. Maii: sedit annis X. mensibus II. diebus VII. Hic majoris Ecclesiæ Magdeburgensis Præpositus fuit antea, & sub *Lamberto* Præposito mutato habitu in Ecclesia Hallensi conversus, religionem, cujus studium, sub ejus magisterio fervere viderat, prælationis suæ tempore torpescere non permisit. Huic successit *Conradus*.

Anno MCLV. *Fridericus* Rex Romam cum exercitu profectus, ab *Adriano* Papa in Ecclesia B. Petri in Imperatorem consecratur, & cum Romanis ipso die congressus, mille & quingentos ex eis occidit, victoriamque obtinuit. *Spoletum* ab ipso deletum est. *Anshelmus* Havelbergensis Episcopus *Ravennæ* Archiepiscopus constituitur. *Sveno* Rex Danorum, à regni illius majoribus pulsus est: cujus regnum à *Canuto* & *VVoldemaro* nepotibus illius occupatur.

Anno MCLVI. *Conradus* Misnensis & Orientalis Marchio gratia divina se præveniente, incertitudinem vitæ suæ considerans, timensque ne, si labenti mundo diu inhærere voluisset, ipse quoque similiter ad lapsum traheretur; ipsum relinquere & monasterium petere stabili secum proposito diffinivit. Volens autem Ecclesiæ, ad quam anhelabat, scilicet Sereni-montis, quam jam sufficienter, prout oportunum ei fuerat, locupletaverat, in futurum prospicere, *VVicmanno* Archiepiscopo & *Alberto* Marchioni de Brandenburg,

filijs etiam suis Ecclesiasticis & secularibus viris nobilibus & ministerialibus accersitis ad locum venit, ut in eorum præsentia, quod intenderet, consummaret. Primo itaque possessiones, quascunque vel ipse, vel uxor ejus, loco contulerant, per manus filiorum suorum, *Ottonis* videlicet Misnensis Marchionis, *Tiderici* Orientalis Marchionis, *Henrici* Comitis de Wittin, *Dedonis* Comitis de Rochelez, & *Friderici* Comitis de Brene, offerri fecit, ne aliqua de his post mortem ejus quæstio nasceretur. Est autem quantitas harum possessionum CXXCII. mansi & dimidius, exceptis quæ ad Numicensem pertinent Ecclesiam, quorum numerus est LXX. & dimidius, & excepta silva, quam in diversis locis noscitur contulisse. Deinde filiorum vel hæredum quemlibet suorum seniorem post se Advocatum loci ordinarium hoc modo statuit, ne advocatia ipsa ulli unquam jure feudi concedatur: & ne Advocatus aliquid servitii secularis extra placitum fratrum in rebus Ecclesiæ, quasi ex jure, sibi audeat usurpare: & ut filij ejus, quod etiam ipsi promiserunt, & ministeriales ipsorum, in hoc loco sepulturam haberent; nimirum certus ex hac causa in temporalibus Ecclesiam maxime promovendam. His ita dispositis, coram altari B. Petri veteris hominis vestibus exutus, & regularis vitæ habitu per manus Archiepiscopi *VVichmanni* vestitus, voluntariam paupertatem pro amore Christi amplexus est, cum magno favore Principum, quibus etiã uberrimas devotio lacrymas extorquebat, quod tantam in viro tali mutationem videbant, in quo videlicet divina gratia & misericordia sensum omnem supergrediens luce clarius apparebat. Tunc demum jam tyro Christi filios advocat, ecclesiamque suam, cujus jam membrum effectus fuerat, gratiæ ipsorum commendat, ut ei tanquam in qua patrem suum sive viventem sive mortuum haberi scirent & matrem, & in qua cum ipsis requieturi essent, opem suam ubique præ-

tendere

tendere non dissimularent. Hæc acta sunt die B. Andreæ Apostoli, quo die nemus in Orientali parte montis adjacens, extremam oblationem suam B. Petro obtulit. Vixit autem post conversionem mensibus duobus & diebus quinque. Nec hoc semper sine speciali Dei providentia actum credendum est, quod cum in initio conversionis suæ adhuc in fervore spiritus existente, de tentationibus hujus seculi Dominus liberare dignatus est. Timeri enim poterat secundum humanam fragilitatem, ne cum vidisset filios suos coram se principali gratia pollentes, & ministeriales suos divitijs seculi, & mundiali pompa fulgentes, si non actu, tamen animum á quiete monasterij, quam elegerat, vel léviter revocasset. Unde convenienter de illo dici poterat, quod in libro sapientiæ de talibus scriptum est: Consummatus in brevi explevit tempora multa. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Placita erat Deo anima ejus, propter hoc eduxit illum de medio iniquitatum. Mortuusque est Non. Febr. anno vitæ suæ LIX. Sepultusque est à *VVichmanno* Archiepiscopo in medio Ecclesiæ, ubi in dextra ipsius uxor ejus, & post eam in eodem latere, soror ejus *Mechtildis* mater Archiepiscopi, cujus anniversarius est XII. Kal. Feb. consepultæ sunt. Exequijs etiam ejus interfuit *VValo* Havelbergensis Episcopus, & *Albertus* Marchio, & *Herimannus* filius ejus, omnesque filij ipsius præter *Ottonem* Marchionem, & alij multi. Qui quoniam tulerat crucem suam, & Christum secutus fuerat, discipulum Domini fuisse nulli dubium est. Unde merito animam ejus in æterna requie collocare dignabitur: sicut ipse talibus promisit dicens: Amen, Amen dico vobis, qui reliquistis omnia & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Fridericus Imperator *Halverstad* conventum habuit Kal. Maji. *Arnoldus* Colonienſis Archiepiscopus obiit: cui succes-

sit *Fridericus*. *Hinricus* Dux *Fresiam* hostiliter ingreditur, sed inactè revertitur. Imperator *Ratisbonæ* curiam celebrat, ubi ipso mediante *Henricus* Dux Saxonum Ducatum *Bavariæ* obtinuit. *Henricus* Bavaricus marchiam illius terræ obtinuit. *Henricus* Dux habita cum Bremensi Episcopo discordia, urbes & beneficia quæ voluit ab eo extorsit. Imperator in Pentecoste reginam de *Burgundia* in uxorem duxit. *Hermannus* Comes Palatinus Rheni post longam guerram inter se & Episcopum Moguntinum in pace moritur. Relicta ejus seculo renuncians monasterium petiit. *Henricus* Dux *Suenonem* Regem Daciæ expulsum restituit.

Anno M C LVII. *Evermodus* Præpositus de gratia Dei, cum esset vir bonus, suos præter usum cogere voluit, ut in quadragesima alternis diebus in pane & aqua communiter jejunarent. Propter hanc & alias causas, quibus eis gravis erat, amotus est. *Lambertus* Ecclesiæ illi Præpositus eligitur, vir tenuis scientiæ, sed qui hanc inopiam virtutum copia redimebat. Præcesserant tamen hanc electionem *Henricus*, qui postea *Khode* factus Præpositus; & *Siboldus* post eum, qui fuit *Moguntiæ* major Præpositus, sed quia nihil dignum in illa novitate fecerunt, prior eorum deponitur, *Siboldus* sponte cessit, *Lambertus* confirmatur. *Brandenburg* à *VVichmanno* Archiepiscopo & Saxonibus obsidetur & capitur, ubi occisus est *VVernherus* Comes junior de *Veltheim*. Imperator cum Saxonibus *Poloniam* hostiliter ingressus ad deditionem eos compulit: *Burgundiam* jam ab imperio alienatam recepit. *Kanutus* Rex à *Svenone* dolo interimitur, *VVoldemarus* vero vulneratus vix evadit. Non multo post factum est bellum inter *Svenonem* & *VVoldemarum*: *Svenonis* pars vincit, & ipse occiditur.

Anno M C LIIX. Imperator natalem Domini *Magdeburg* celebrat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [106] - 30
PUBLIC DOMAIN

celebrat. *Vlricus* Halberstadensis Episcopus & *Albertus* Marchio cum uxore & alijs multis iter peregrinationis ad partes transmarinas susceperunt. Dux *Bohemiæ* concesso sibi ab Imperatore circulo rex nominatur. Imperator cum expeditione *Italiam* ingressus, *Mediolanum* obsedit. In hac expeditione *Anshelmus* Ravennensis Episcopus obiit. *Eckebertus* Comes de Bavaria occiditur. In ipsa expeditione *Fridericus* Colonienſis Archiepiscopus obiit. *Henricus* Dux cum exercitu Sclaviam ingressus, terram ferro & igne devastat.

Anno M C LIX. *Friderico* Colonienſi Archiepiscopo successit *Reinholdus* majoris Ecclesiæ Hildensemensis Præpositus & Cancellarius. *Henricus* Dux & cæteri Principes cum expeditione post Imperatorem Italiam ingressi sunt. *Henricus* Dux propter Christianitatis religionem propagandam Episcopos constituendi in *Sclaviam* & investiendi potestatem ab Imperatore accepit. *Adrianus* Papa obiit. Post hunc *Rolandus* Cancellarius à quibusdam Cardinalibus electus est, mutato nomine *Alexander*, & à *Gallicana* Ecclesia susceptus est & approbatus. Cujus electioni *Fridericus* Imperator, quia eum prius exosum habuerat, tam crudeliter obstitit, ut cum suis fautoribus *Octavianum* Antipapam è diverso statuerit, quem *Victorem* vocaverunt, in cujus papatum fere tota Ecclesia consensit propter favorem Imperatoris: qui etiam edicto publico præcepit, ut quicunque ad *Alexandrum* Papam pergentes inventi fuissent, detinerentur, spoliarentur, & supplicio subderentur. Cujus mandati executione multis malitiose utentibus, plurimi iter agentium tanquam *Alexandrini*, non solum rerum perditionem, sed etiam mortis periculum pertulerunt. Hinc itaque schisma grave & diuturnum in Ecclesia exortum est.

Anno M C LX. *Arnoldus* Moguntinensis Archiepiscopus ab hostibus suis ejusdem urbis civibus in Ecclesia B. Jacobi

cobi occiditur, ipſaq; Eccleſia cum omnibus ædificijs monaſterij igne conſumitur. *Henricus* Dux cum Marchione *Thiderico* terram Sclavorum devaſtavit, & principem eorum *Nicoloth*, qui & *Nicolaus*, trucidavit, & ipſos ſibi ſubjugavit. *Vlricus* Epiſcopus Halverſtadienſis in peregrinatione conſtitutus, propter favorem *Alexandri* Papæ ab *Everhardo* Cardinali Legato *Victoris* damnatur: in cujus locum *Gero* Præpoſitus ſurrogatur. Imperator cum *Mediolanenſibus* congreſſus ipſos vicit, multiſque eorum occiſis, vexillum *B. Ambroſii* abſtulit. *Henricus* Dux in *Sclavia* Epiſcopos inſtituit *Geroldum* in Aldenburg, *Evermodum* in Ratisburg, *Bernonem* in Magnopoli, qui translatus eſt in *Zverinenſem* urbem. *Lampertus* Præpoſitus de gratia Dei obiit, cui ſucceſſit *Guntherus*. Imperator generale concilium *Papiæ* indixit, cui *VVigmannus* Magdeburgenſis Epiſcopus, cum magna multitudine cleri ſui interfuit. *VVickerus* Brandenburgenſis Epiſcopus obiit. *Crema* capitur & deletur.

Anno MC LXI. Imperator jam tertio invitat contra Mediolanenſes, ubi *Bertoldus* Cizenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Udo*. Duo electi Moguntinenſes deponuntur, & *Conradus* Saltzburgenſis canonnicus regularis ſubſtituitur. *Bruno* Hildenſemenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Hermannus*. *Gero* Halverſtadenſis Epiſcopus dignitatem ferendi pallium à *Victore* Antipapa accepit.

Anno MC LXII. Imperator *Mediolanenſes* longa obſidione ad deditionem coëgit, civitatem deſtruxit, habitatoribus uſquequaque diſperſis. Eo anno fames magna facta eſt. *Fridericus* Comes de *Sommerſchenburg* obiit. Imperator generale concilium *Biſunce* indixit, ubi nihil dignum memoria actum eſt.

Anno MC LXIII. *Henricus* Dux caſtrum Sclavorum *VVerle* obſidens ad deditionem coëgit. Divortium inter Ducem & ipſius

ipsius conjugem propter consanguinitatem factum est, hoc ipsum Imperatore juramento firmante. Imperator *Maguntiæ* curiam celebravit, muros civitatis cum turribus destruxit, interfectores Episcopi quosdam vita, quosdam rebus spoliavit. *Henricus* Dux *Lubeke* congregationem clericorum instituit, ecclesiam ex lignis constructam in honorem S. Mariæ & S. Nicolai dedicari fecit ubi pacis gratia principes *Rugianæ* insulæ ad dedicationem venerunt. *Poloni* filium Ducis sui expulsi receperunt, curia eis ab Imperatore indicta. Fluvij inundantes pericula gravia hominibus & animantibus intulerunt. Imperator *Alpes* transivit.

Anno Christi M C LXIII. *VVichmannus* Archiepiscopus peregrinationem ad partes transmarinas suscepit. Tonitrua & fulgura intempestiva cum vento vehementi v. Kal. Martij extiterunt. Inundatio occidentalium fluminum multa hominum millia & animantium interfecit, & ædificia destruxit. In *Magnopoli* capta & occisa est multitudo magna Christianorum à *Sclavis* XIV. Kal. Martij. Discordia magna inter *Reinoldum* Colonienſem electum & *Palatinum Rheni* facta est propter castrum *Rineke*. Ecclesia de *Dei-gratia* dedicata est VII. Idus Octobris à *VVichmanno* Archiepiscopo, cooperantibus *Gerungo* Misnensi, *Johanne* Merseburgensi & *Udone* Cizensi, Episcopis, in honorem Dei genetricis & S. *Victoris* martyris & sociorum ejus & S. *Pontiani* martyris, quem eodem die præfatus Archiepiscopus ipsi Ecclesiæ dedit. *Victor* Antipapa obiit, cui successit *VVido* Cremonensis mutato nomine Paschalis. *Conradus* III. Ecclesiæ Hallensis Præpositus obiit: sedit annis XIII. mensibus IIX. diebus II. Huic successit *Heidenricus* ejusdem Ecclesiæ Canonicus.

Anno M C LXV. monasterium Sanctimonialium *Herse* incensum est. In curia *Nurenberg* stipendia itineris in *Lombardiam* adjudicantur. Imperator *Lombardiam* intravit, sed sine

effectu rediit. *Verona* rebellat, *Saxones* Pomeranorum provinciam vastant.

Anno M C LXVI. *Arnoldus* Abbas S. Johannis Baptistæ *Magdeburg* obiit, cui successit *Sigfridus* de eadem congregatione per *VVichmannum* Archiepiscopum intrusus. *Arnesberg* destruitur. *VVirceburg* ab Imperatore & Episcopis & Principibus Teutonicis obsidetur. *Paschalis* Antipapa sacramento præstito confirmatur, & ab omni Clero, ut id fiat, decernitur. Milites Saxoniæ conjurant, ne jura antecessorum suorum infringi permittant. Factum est incendium Ecclesiæ Hallensis. *VVichmannus* Archiepiscopus & cæteri Principes Saxoniæ, contra Ducem *Henricum* provinciam turbant.

Anno M C LXVII. Filius *Conradi* regis filiam *Henrici* Ducis in matrimonium fortitus est, cujus invitatione *Bohemus* in *Suevia* multa monasteria & Ecclesias rapinis & incendio devastavit. *VVichmannus* Archiepiscopus clastrum *Nienburg* & castrum *Vrakeleve* concambio ab Imperatore accepit. Idem Archiepiscopus castrum, quod vocabatur vetus *Haldesleve*, & castrum *Niendorp* destruxit. Conradus Moguntinus Archiepiscopus cum esset fautor *Alexandri* Papæ, propter vitandam communionem schismatici Papæ & Imperatoris malam voluntatem, relicta *Moguntia Sabinam* recessit. Erat enim Sabinensis Episcopus, & Rom. Ecclesiæ Cardinalis. In ejus locum Imperator *Christianum* Merseburgensem Præpositum subrogavit.

Anno M C LXIIX. *Reinoldus* Colonienſis Archiepiscopus obiit. Hic schismatis autor & roborator præcipuus fuit, primusque Imperatorem, ut judicium Ecclesiæ de electione *Alexandri* Papæ contemneret, instigavit. Quem quidem talem futurum esse, ipse de se cum puer esset, prophetante, ordinator omnium Deus modo mirabili declaravit. Fertur enim, quod, cum in scholis *Hildenesheim* puer nutriretur,

quodam

quodam tempore Scholaribus, ut mos est, in meridie quiescentibus, iste inter cæteros dormiens repente hujusmodi vocem emisit: *Ego sum.* Quod cum sæpius repeteret, magister qui præsens erat, nec dormiebat, eum percontari studuit, dicens: *Quis es tu?* Tunc ille respondit: *Ego sum ruina mundi,* Exinde à coætaneis suis RUINA appellatus est. Huic Imperator, cum *Mediolanum* everteret, trium *Magorum* corpora, ibi reperta, dedit, quæ ille ad propriam sedem, scilicet *Coloniam*, munus eximium deportavit. *Reinoldo* successit *Philippus* Cancellarius. *VVichmannus* Archiepiscopus cum multis auxiliatoribus castrum *Haldisleve* obsedit, in quo, *Bernhardus* de *Lippa* cum multis alijs à Duce *Henrico* locatus provinciam civitati Magdeburgensi adjacentem rapinis & incendijs devastabat, ita ut nonnunquam etiam ad muros civitatis accedere non timeret.

Anno M D LXIX. In *Syria* quædam civitas terræ hiatu absorpta est. *Daniel* Pragensis Episcopus obiit, cui successit *Fridericus* de choro Magdeburgensi assumtus.

Anno M C LXX. *Gerungus* Misnensis Episcopus obiit in infirmitorio fratrum in Sereno-monte. Hic etiam Ecclesiam Sereni-montis magno semper affectu coluit, multisque eam suæ largitatis beneficiis affecit. Sepultus est autem in Ecclesia Misnensi. Huic successit *Martinus* ejusdem Ecclesiæ Canonicus. *Albertus* Marchio de *Brandenburg* obiit.

Anno M C LXXI. *Everhardus* Nuemburgensis Abbas obiit: cui successit *Sifridus* Abbas S. Johannis *Magdeburg*, priori tamen dignitate pariter retenta. Verum quia de *Nuemburg* Ecclesia loquendi se præbuit occasio, libet de exordio ejus aliqua hic inserere, cum pro honestate ipsius Ecclesiæ, quia videlicet regularis vitæ vestigia à viris Deum timentibus impressa in ea nec dum penitus deleta sunt, tum etiam, quia ejus & Sereni-montis fundatores quædam consanguinitatis ra-

tio videtur copulare. Temporibus denique primi *Ottonis* Imperatoris duo fuerunt fratres *Gero* Dux & Marchio, & *Sifridus* Comes. Horum soror *Hidda* dicebatur. *Gero* filium habuit unicum *Sifridum*, qui in juventute obiit, de cujus morte pater adeo turbatus est, ut Romam petens coram altari B. Petri arma deponeret, impetratoque S. *Cyriaci* à Pontifice brachio domum rediens, cum omni hæreditate sua ad Christum confugit, constituens Ecclesiam, quæ *Gerenrode* ejus nomine dicitur, filiique sui viduam *Hervvigam*, quam ille annis VII. habuerat, à *Bernhardo* Halberstadensi Episcopo velatam, eidem monasterio præfecit: consummatisque feliciter omnibus XIV. Kal. Julij obiit anno DCCCCLXV. *Sifridus* quoque frater ejus in honorem B. *Viti* constituxit Ecclesiam, quæ *Groninge* dicitur: *Hidda* vero nupsit *Christiano* Marchioni, qui genuit ex ea *Geronem* Colonienſem Archiepiscopum, & *Dithmarum* Marchionem. Hi fratres & mater ipsorum defuncto patre fundaverunt monasterium in honorem Deigenetricis in loco qui *Dancmarüsvelt* dicitur, & est in confinio castri *Anehalt*, congregatis ibi fratribus Deo juxta regulam B. *Benedicti* servientibus, & præposito eis Abbate, qui *Hageno* dicebatur, quem etiam Imperatoris consanguinitas illustrabat. *Hidda* autem servandæ viduitatis habens propositum, & Deo devota existens, Dominicæ passionis locum studio devotionis petiit, ubi constituta, à Rege *Hierosolymorum*, quia formosa erat, adamata, in conjugium petebatur. Quod ipsa fortiter contemnens, cum regis instantia gravaretur, faciem suam, pro cujus decore molestabatur, dehonestare non timuit, nasumque sibi mire truncans, terreno amatori deformem se studuit exhibere, sciens interiori suo decori, quo cœlesti sponso placere satagebat, nihil ex illius deformitatis vitio deperire. Hæc *Hierosolymis* mortua & sepulta est. Prius vero quam moreretur filijs mandavit, ut

locum

locum suæ novellæ plantationis Dei genitrici non placere: sed eam alium elegisse, videlicet castrum ubi *Sala* & *Boda* fluvij convenirent. Verum quia castrum idem, quod tum *Northringen* dicebatur de hæreditate fuit *Geronis* Marchionis avunculi ipsorum, quam ille totam Deo tradiderat datis pro eo Ecclesiæ *Gerenrodensi* IV. villis, quæ omnes uno nomine *Polige* vocantur, ipsum redemerunt. Contigit autem inter hæc castrum ipsum à *Slavis* trans-albinis capi, quod *Dithmarus* Marchio, multis quidem suorum perditis, recuperavit, qui occisi partim ibi sepulti sunt: qui etiam nostris temporibus crebro cum armis suis, ita ut nec calcaribus carerent, reperti sunt. Tempore itaque *Ottonis* II. Imperatoris, Anno Domini DCCCCLXXV. *Dithmarus* Marchio & *Gero* Colonienſis Archiepiscopus, congregationem suam de *Dancmarisvelde* transtulerunt in castrum *Northringe*, quod nunc *Niemburg* dicitur, ipsamque Ecclesiam, ut firmiori eam stabilitate promoverent, Imperiali majestati pro tuenda ejus libertate tradiderunt. Abbas vero ille *Hageno* cum alijs transferri non consensit, sed Deo potius in solitudine servire volens, in loco priori remansit. Erat circa locum ipsum venatio publica Imperatoris. Cum itaque Imperator aliquando ad locum ipsum venaturus venisset, ibi prædictum Abbatem reperit; cujus audita intentione & laudata, locum quendam ejusdem solitudinis ad incolendum ibi dedit ipsi, quem ille *Hagenrode* de suo nomine appellavit: & est hodie præpositura attinens Ecclesiæ *Nienburgensi*. Dedit quoque idem Imperator Ecclesiæ Niemburgensi castellum *Grimmisleve* dictum, cum cccc. mansis, quem secutus *Otto* III. dedit eidem Ecclesiæ civitatem, *Niemeze* vocatam, cum omni provincia ei attinente, quæ habet VII. millia mansorum. *Henricus* quoque hujus nominis II. Imperator dedit ipsi Ecclesiæ duas civitates, *Tribus* & *Lubicheh* dictas, istasque suas donationes privilegiis

firmaverunt. *Conradus* quoque II. & *Henricus* III. Impp. præfatæ Ecclesiæ libertatem privilegiis, sicut hodie videri potest, roboratam, salvam reliquerunt. Post mortem vero istorum incertum, utrum ex negligentia Prælatorum, an ex oppressione Imperatorum, proveniens consuetudo privilegijs antedatis contraria inolevit, ut Imperatori *Saxoniam* adveniенti xx. talenta de ipsa Ecclesia redderentur, insuper etiam regalis expeditio ei administraretur. Tempore vero *Friderici* Imperatoris *VVichmannus* Archiepiscopus avaritia stimulatus iniquum censum xx. talentorum, & servitium, & jus patronatus, quod Imperator in præfata Ecclesia habebat, datis ei de proprietate sua duabus in *Suevia* civitatibus, ab ipso redemit, salvo tamen omni jure, quod Ecclesia in suis possessionibus usque ad id temporis habuisset. Hoc itaque concambio vel mercatu facto, præfatus Archiepiscopus in festo Palmarum proximo, tanquam probaturus juga boum, quæ emerat, *Nienburg* advenit. Quale vero servitium exhibitum ei tunc fuerit ex eo perpendi potest, quod ipso die ad matutinalem comestionem, quæ puerorum tantum esse solet xv. esoces procurator Abbatis se asseruit expendisse. Accepto autem hoc gustu mercatus sui propter expensas sibi factas plurima Ecclesiæ ipsi bona superfluere reputans, civitatem *Niemeze* & provinciam ei attinentem, præterea *Tribus* & *Lubichoh* civitates abstulit, easque Imperatori pro provincia, quæ *Dame* dicitur, dedit, promittens se ablata bonis alijs restituere velle: quod tamen minime cognoscitur. Vereor autem, ne tanta injuria, quam intulit matri misericordiæ, nunc sit ei causa miseriæ. Consanguinitas vero inter Nienburgensem & Sereni-montis Ecclesiarum fundatores ratio sic est: *Dithmarus* Marchio duxit filiam *Hermanni* Ducis à *Luneburg*, *Suanehildam* nomine, ex qua genuit *Geronem* Marchionem. *Gero* genuit *Dithmarum*; *Dithmarus* genuit *Odonem*, qui sine liberis obiit,

obiit, & in eo posteritatis propagatio cessavit. Hi omnes provinciæ *Lusizensis* Marchionis fuerunt, quæ nunc *Orientalis Marchia* vocatur. *Odonis* Marchionis meminit *scriptura passionis B. Adelberti*, ubi dicitur: *Ode pugnax Marchio lanceis vexillis terga vertit.* Mortuo *Dithmaro*, *Svanehildis* ejus relicta nupsit *Ekkehardo* Marchioni filio *Guntharij* Marchionis de *Thuringia*, qui *Nuenburgensem* fundavit Episcopatum, qui genuit ex ea plures filios & filias. Unam filiarum ejus, quæ ex matre soror fuit *Geronis* Marchionis, *Machtilden* nomine, duxit *Tidericus*, genuitque ex ea *Thiemonem* Comitem & fratres ejus. *Thiemo* vero genuit *Dedonem* Comitem & *Conradum* Marchionem Ecclesiæ Sereni montis fundatores.

Anno M C LXXII. Eclipsis Lunæ facta est in octava Epiphaniæ in plenilunio, & luna per quatuor fere horas non comparuit. In Februario crebra micuerunt vulnera. *Ludevicus* Landgravius obiit.

Anno M C LXXIII. *Ludevicus* Monasterienſis Episcopus obiit: cui successit *Hermannus* de choro Wirtzburgensi. *VVillimarus* Brandenburgensis Episcopus obiit, cui successit *Sifridus Adelberti* Marchionis filius, de Ecclesia S. Mariæ Magdeburgensi. *VVulradus* de *Griez* collecta transvonensium militum copia *Zpurcie* venit villam ipsam despoliaturus: quibus *Fridericus* Comes de *Brene*, & *Conradus* Comes, filius *Tideri* Marchionis cum paucis supervenientes, opprobriosc eos fugere compulerunt, multis eorum vulneratis, pluribus vero captis. Hoc accidit XV. Kal. Febr.

Anno M C LXXIV. Imperator post assumtionem S. Mariæ *Longobardiam* cum exercitu intravit. *Eckehardus* Serenimontis Præpositus, destructo veteri sanctuario, quod pro sui brevitate congregationi erat inconveniens, (nam ubi modo chorum intrantes ad gradus inclinant, ibi ante majus erat altare) eam partem monasterij, quæ est ab arcu crucis, ædificare

ficare aggreſſus eſt. Ad operis hujus promotionem *Otto* Miſnenſis Marchio Advocatus Eccleſiæ duo juga boum, & carratam ferri, & centum modios, & x. marcas, annis ſingulis, donec conſummaretur, de ſuis reditibus deputavit. *Dedo* Comes de Groitz monaſterium *Cillenenſe* in honorem Dei genitricis fundavit, cui primus præfuit *Tidericus* Serenimontis Canonicus, ab *Ekkehardo* præpoſito miſſus, cui præfatus Comes ipſam Eccleſiam commiſerat promovendam.

Anno M.C.LXXV. (*Henricus* Dux *Aſchersleve* incendit, Landgravius caſtrum *Helpede*, inſidiis circumventum, cepit) *Conradus* Comes, filius *Tiderici* Marchionis, in exercitio militari, quod vulgo *Torneamentum* vocatur, lanceæ ictu occiſus eſt xv. Kal. Decembris. Tum enim idem peſtifer ludus in partibus noſtris ita inoleverat, ut infra unum annum XVI. in eo referantur milites periiſſe, pro qua re *VVichmannus* Archiepiſcopus omnes eos frequentatores excommunicationis vinculo innodavit. Comperta autem præfati Comitis morte, tunc in *Auſtriæ* partibus conſtitutus, miſſis nuntiis eum à ſepultura præcepit Eccleſiaſtica ſeparari. Tempore vero procedente, cum Archiepiſcopus idem convocatis ſuffraganeis ſuis, cum magna cleri frequentia conventum in Eccleſia Hallenſi haberet, pater occiſi Comitis & fratres ejus, *Otto* videlicet Miſnenſis Marchio, *Dedo* Comes de Groiz, *Henricus* Comes de Witin, & *Fredericus* Comes de Brene, cum multis nobilibus viris & miniſterialibus advenientes pedibus Archiepiſcopi ac totius cleri, cum magno ejulatu ac fletibus provolvuntur, poſtulantes, ut occiſo communionem concederet fidelium ſepulturæ, aſſerentes conſtanter, eum ante finem ſuum pœnitentem & abſolutum communionem Dominici corporis meruiſſe. Cum enim idem Comes vulnere debilitatus jaceret, contigit ſacerdotem quendam religioſum

sum transire, qui petentibus amicis ejus ad vulneratum accedens, magna ab ipso instantia rogatus est, ut pœnitentiam ejus & confessionem ejus admitteret, & à vinculo eum excommunicationis absolveret, fideliter promittens, si divina misericordia ei vitæ spatium largiretur, nunquam se de cætero tali causa excommunicationis sententiam meriturum, quin potius & de hoc, & de alijs suis peccatis, Deum sibi modis omnibus placaturum. Super hoc autem ad militandum Deo cruce signari devote petiit, ut ejus contritio manifestius appareret. Sacerdos vero ille cordis in eo contriti signa percipiens, confessione ejus audita, pœnitentia injuncta, ab excommunicationis nodo eum absolvit, sicque reconciliatum Dominici corporis participem faciens, sicut petierat, cruce signavit. Quibus peractis post modicum defunctus est. Cum itaque hoc Principes prædicti coram Archiepiscopo & clero assererent, sacerdos horum omnium executor, cum prius esset juramento obligatus, hæc confirmare, ut nulla remaneret dubietas, rogabatur. Quod ille alacriter implevit. Ipsi præterea principes, exigente hoc ab eis Archiepiscopo, *in reliquiis juraverunt à torneamento in perpetuum abstinere*, nec usquam in omni ditione sua hujusmodi exercitium permittere, hominesque suos & ministeriales ab eo modis omnibus coërcere. Sicque demum Archiepiscopus mortuo sepulturam concessit, salva tamen sedis Apostolicæ auctoritate. Unde factum est, ut tamdiu sepultura careret, donec unus militum, familiaris ejus, *VVernherus* nomine, consensum de hoc summi Pontificis reportaret. Qui etiam transmarinam peregrinationem pro ipso postmodum peragens, fidelem se ei manifestis indicijs, declaravit. Sepultus est autem in Sereno-monte xv. Kal. Febr. ante introitum Ecclesiæ majoris occidentalem, juxta quam *VVernherus* idem postmodum tumulatus est. Obtulit autem *Ti-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [117] - 41
PUBLIC DOMAIN

dericus Marchio pro anima filij ſui B. Petro x. manſos in villa, quæ *Marcgrevendorp.* dicitur.

Anno MCLXXVI. Imperator cum Longobardis conflictum faciens, victoriam perdidit, licet multos eorum interfeciſſet.

Anno MCLXXVII. *Alexander* Papa in vigilia B. Jacobi præſentibus Cardinalibus & infinita multitudine Epiſcoporũ & Abbatum & Principum ſecularium & populorũ *Venetiis* ante monaſterium S. Marci Imperatorem in oſculo reconciliationis ſuſcepit, mortuo jam *Paſchali* anti-papa, & *Johanne* qui ei ſucceſſit depoſito. Et hæc dies reconciliationis ab ipſo Papa & Imperatore & clero & populo ſolemniſſime peracta eſt. Hujus autem concordiæ reformandæ præcipuus cooperator fuit *VVichmannus* Archiepiſcopus, cujus induſtria Imperatoris animoſitas ad tantam manſuetudinem deducta eſt ut in condemnationem erroris ſui coram ſummi Pontificis pedibus proſterneretur. Fertur autem, quod cum ſublevandi eum Papa moram faceret, *Tidericus* Orientalis Marchio, qui cum Imperatore aderat, quaſi cum querela & redargutione exclamavit, *cur imperialem auctoritatem tantæ injuriæ ſubjeciſſet?* Papa vero idioma Teutonicum non intelligens, inquiſivit, quid diceret Alemannus? Quod cum didiciſſet, feſtinus accedens, Imperatorem ſublevavit, & ad oſculum ſuum erexit. Sequenti die concilio celebrato, ſchiſmaticos omnes, & à ſchiſmaticis ordinatos anathematiſavit; depoſitos quoque ſui cauſa in gradum priſtinum reſtituit. *Chriſtianum* intruſum Moguntinum mediante Imperatore confirmavit. *Conradum* vero Saltzburgenſi Eccleſiæ præfecit. *Ulricum* Halberſtadenſem *Gerone* depoſito reſtituit. Inter *Ulricum* & *Henricum* Ducem gravis diſcordia exorta eſt. Caſtrum *Horneburg* ab hominibus Ducis funditus evertitur.

Anno MCLXXIIX. *Alexander* Papa à Moguntinenſi & Worma-

Wormatiensi alijsque pluribus Episcopis & Principibus & viris nobilibus, quos Imperator cum ipso direxerat, *Romam* reductus, honorifice susceptus est. *Philippus* Colonien sis Archiepiscopus cum infinita multitudine ad repetendam hæreditatem *Ottonis* Comitis de *Asse*, sui nepotis, & *Christiani* Comitis de *Aldenburg*, contra *Henricum* Ducem venit: sed *Vvichmannus* Archiepiscopus multo labore pacem inter ipsos reformavit. *Ulricus* Halverstadensis Episcopus, auxilio *Ottonis* Marchionis Misnensis & *Bernhardi* Comitis, urbem novam in quodam monte prope *Halverstad* constituxit. Generale concilium ab *Alexandro* Papa indicitur.

Anno M C LXXIX. Concilium generale *Romæ* celebratum est ab Alexandro Papa, cui interfuerunt Patriarchæ tres, Archiepiscopi, & Episcopi & Abbates diversarum provinciarum, millenarium numerum excedentes: aliorum vero clericorum innumerabilis multitudo. Castrum *Horneburg*, reædificatum est. *Halverstad* ab hominibus Henrici Ducis cum omnibus Ecclesiis suis & monasterijs exusta est: in quo incendio tres majoris Ecclesiæ Canonici, pluresque presbyteri, aliorumque scolarium magna multitudo. Laicorum autem tam virorum quam fœminarum, exceptis puellis mille & amplius qui dignosci non poterant, perierunt. *Sclavi Lithevvizen* & *Pomerani* vocatione Ducis *Henrici* provinciam *Iuterbok* invaserunt, ipsaque vastata, & multis interfectis plures captivos, viros & fœminas abduxerunt. Abbas etiam monasterii, quod *Cinna* dicitur, qui & primus, tunc fuit interfectus. Henricus Dux *Calve*, & inde provinciam totam usque *Vrose* incendio vastavit.

Anno M C LXXX. *Ulricus* Halverstadensis Episcopus à Duce *Henrico* captivatus, multis pro absolutione sua & suorum feodis concessis & juramento firmatis dimissus & ad sedem propriam reversus est. Verum omnia quæ juraverat,

Apoſtolica ſimiliter & Imperiali auctoritate, tanquam violenter extorta, irrita fieri juſſa ſunt. Imperator in octava Epiphaniæ *Herbipoli* curiam celebravit, ad quam *Henricus* tertio vocatus venire renuit. Quamobrem ex ſententia omnium Principum reus majeſtatis damnatus eſt; omnisque ei hæreditaria proprietas & beneficiaria poſſeſſio abjudicata eſt. Horum vero malorum cauſa fuit Duci ſuperbia ipſius. Fertur enim quod, cum Imperator *Mediolanum* obſideret, viribus ſuis jam valde attritis, Principes *Saxoniæ* ad locum, qui *Bartenkirke* dicitur, & eſt in introitu Alpium, evocavit, & ut negotijs ſuis auxilium ferrent, rogavit. Omnibus autem alijs hoc alacriter ſpondentibus, Dux, licet in prioribus expeditionibus fidelem ſe ei exhibuiſſet, hac tamen vice, quia jam cum *Longobardis* contra Imperatorem conſpiraverat, ſuum ei prorſus auxilium denegavit. Imperator vero cum tanta humilitate, ei ſupplicavit, ut etiam pedibus ejus proſterneretur, cum quidem ille eum negligens, nec jacentem attolleret, nec in eo quod petebatur aliquatenus conſentiret. Quod factum Imperatoris ei odium acquiſivit, & utrum juſte an injuſte, lector judicet. Præter hæc autem inductu ejus *Sclavi* provinciam *Tiderici* Marchionis ingreſſi uſque *Lubin* omnia vaſtaverunt. Quidam vero miniſterialium ejus ad reſiſtendum collecti à *Sclavis* fugati, nonnulli capti, plures etiam occiſi ſunt. Inter quos & *Tidericus* de *Bejerſtorp* occiſus XIII. Kal. Octobr. in Serenomonte ſepultus eſt. Hujus itaque vulneris dolore Marchio ſtimulatus, Ducem, tanquam qui contra Imperatorem conjuraſſet, ad duellum coram Imperatore ſæpius provocabat. Sed ille, male ſibi conſcius, Imperatoris præſentiam declinabat. *Sifridus* Brandenburgenſis Epiſcopus filius *Adelberti* Marchionis, *Geilenhuſen* coram Legatis Apoſtolicis ad Archiepiſcopatum Bremenſem translatus eſt. Frater quoque

ejus

ejus *Bernhardus* Comes Ducatum *Saxoniæ* ab Imperatore obtinuit. *Ludovicus* quoque Landgravius Turingiæ, Comes Palatinus effectus est. *Henricus* Dux congregato exercitu Saxoniam aggreditur, folles *Goslariensium*, incidit, officinas operis eorum destruxit, ipsosq; cives fame, multisq; aliis modis afflixit. *Ludevicus* Landgravius & frater ejus cum cccc. & eo amplius capti sunt. *Bernhardus* Dux cum cæteris fuga elapsus est. Castrum *Northusen* & monasterium Sanctimonialium in eo situm igne consumtum est. *Sifridus* Abbas S. Johannis Baptistæ Magdeburgensis & Nienburgensis ad *Hersveldiam* Abbatiam electus est, cui in Ecclesia Magdeburgensi successit *Henricus* ipsius Ecclesiæ filius: In Nienburgensi vero *Heidenricus*. Imperator post festum S. Jacobi cum Orientalibus & Saxoniæ principibus *Henricum* Ducem aggreditur, & castrum *Lichtenberg* obsessum ad deditionem coëgit. *Ulricus* Halverstadensis Episcopus obiit, cui successit, *Tidericus* de *Crozuc*, ipsius Ecclesiæ Canonicus. Plurimi fautorum Ducis in castris, quæ tenebant, timore Imperatoris ipsi se tradiderunt. Imperator Ducis urbes ædificare cœpit, unam in monte, qui dicitur *Bischovesberg*, quæ ab Episcopo *Vlrico* incœpta erat, & intermissa: alteram *Hartsburg*, quæ olim ab Imperatore *Henrico* IV. ædificata, & à *Saxonibus* destructa est. Eodem tempore tradiderunt ei ministeriales has urbes: *Hennenberg*, *Levvenburg*, *Reginstein*, & alias plures. Imperator vero à Saxonia tunc recedens in nativitate S. Mariæ, statuto in *Bavaria* novo Duce, circa festum S. Martini disposuit redire. Dux autem absente Imperatore collectis viribus, urbem Comitis Adolphi *Sigeberg* dolo cepit, cum pacem juramento firmasset, & velut confœderatus in castro receptus fuisset. Dehinc expulsa matre Comitis & qui cum ipsa erant, urbem suis fidelibus communivit. Imperatori reverso in Saxoniam, *Hircesberg*, *Stoufenburg*; viri etiam nobiles

biles de *VValtingeroth*, de *Scartfelt*, de *Dannenberg*, de *Ilfeld*, se cum castris suis tradiderunt. *Cazamirus* Sclavorum Princeps repentina morte defunctus est.

Anno MCLXXXI. *VVichmannus* Archiepiscopus *Haldensleve* civitatem secunda obsidione vallavit, priori ex hujusmodi occasione soluta. Civitas eadem in palude ædificata erat, triplici vallo & muro forti munita. Palus autem circa civitatem porrecta, non patens sed sub cespite latens erat, & cespes ipse non solidus, sed vestigijs cedens, quasi immersionem desuper ambulantibus minabatur. Super hunc machinæ multæ, diversi generis, multo labore, & sumtibus magnis, ad capiendam civitatem construebantur. Interim vero hi, qui obsessi fuerant, stultum judicantes nihil per se agere, quoniam hujusmodi materies flammæ admodum capax est, cespitem ex ea parte, qua extremo civitatis vallo jungebatur, obsessoribus ignorantibus incenderunt. Ignis autem subterraneo meatu serpens cito dilatatus est; qui cum ad locum machinarum veniffet, cespes subter igne exesus molem superpositam ferre non valens repente subsidit, totaque illa structura cadendo secuta, copiosum igni pabulum ministravit. Equi etiam plurimi in hujusmodi cavernis ruentes in igne debilitabantur. *Philippus* etiam Coloniensis Archiepiscopus huic obsidioni fortis auxiliator accesserat. Quatuor enim, ut fertur, loricatorum millia, viribus suis confisus, aliquid dominationis in hoc negotio præ ceteris principibus, qui simul aderant, sibi arrogabat. Ideo Orientales Principes, *Otto* videlicet, Misnensis Marchio, & fratres ejus, fastum illius non ferentes, cum suis omnibus recesserunt, volentes maxime ei insultum hostium provocare: quod tamen non evenit. Quatriduo enim post illos remansit, & sic demum nullo se impediente ad propria remeavit. *VVichmannus* autem Archiepiscopus & machinarum perditione,

ditione, & auxiliatorum discessione debilitatus, obsidione soluta discessit. Verum hi, qui in civitate erant, adhuc si possent eam amplius munire cogitabant. Cum enim fluvius *Ora* ex una eam parte præterfluens valde muniret, alium tamen fluviolum, qui *Bivera* dicitur, ad alteram ejus partem derivantes, inaccessibilem penitus reddiderunt. Aquis enim circumquaque stagnantibus quasi insula videbatur. Sed hæc res civitati perditionem procuravit. Deprehensum est enim ex hoc situ terræ considerato, quod si decursus aquarum aggere jacto prohiberetur, civitas aquis sursum crescentibus mergeretur. Hoc etiam ad obsidionem Episcopum mox revocavit. Labore itaque maximo infra tres menses & duas hebdomadas aggere consummato in tantum aqua excrevit, ut pene super muros civitatis influeret. Tunc demum Episcopus naves armatorum plenas civitati jussit applicari. Obsessi autem & jam captivati rebus suis desperatis pacem ab ipso petiverunt, & salvis rebus suis & corporibus civitatem ipsius tradiderunt potestati. Quod consecuti, bono omine discesserunt. Episcopus vero civitate potitus eam funditus evertit, utile nimis opus perficiens & valde suis posteris profuturum. Inde *Magdeburgum* rediens cum magno gaudio cleri & populi, & divinis laudibus est susceptus. *Henricus* Comes de *VVitin*, filius *Conradi* marchionis, obiit III. Kal. Septembr. sepultusque est Sereno-monte ad sinistram patris sui. *Fridericus* Comes de *Brene* filius *Conradi* Marchionis obiit II. Non. Januarij, sepultus & ipse post patrem suum ad occidentem.

Anno M C LXXXII. Dedicatum est altare in septentrionali parte majoris Ecclesiæ Sereni-montis ab *Hugberto* venerabili Havelbergensi Episcopo in honorem S. *Johannis* Apostoli, & Evangelistæ Kal. Augusti. *Heidenricus* IV. Ecclesiæ Hallensis Præpositus obiit III. Id. Julij. Sedit annis XIV. mensibus VI.

bus VI. diebus II. Huic succeſſit *Arnoldus* ejuſdem Eccleſiæ Canonicus.

Anno MCLXXXIII. Dedicatum eſt oratorium in auſtrali parte chori, Kal. Auguſti in honorem Dei genitricis à *VVichmanno* Archiepiſcopo. *Henricus* Rex, filius Imperatoris, pro ſopienda diſcordia, quæ erat inter *Conradum* Moguntinum Archiepiſcopum, & *Ludevicum*, Landgravium Turingiæ, trahebatur, *Erfordiam* venit: ubi cum præfatis Principibus & alijs viris nobilibus ipſum negotium die B. Jacobi tractabat. Domus vero Præpoſiti Eccleſiæ Dei genitricis in qua convenerant tribus manſionibus ſuper ſe viciſſim ædificatis diſtincta erat: in cujus ſuperiori parte colloquium agebatur. Plurimis autem ad audiendum ingreſſis domus, multitudinis pondere victa, ruptis trabibus repente ſubſedit, aliamque ſubterpoſitam dejiciens plurimos ſuperſtantium ad caſum traxit, ex quibus nonnulli quidem caſu vexati, quidam vero mortui ſunt, quorum nomina ſunt hæc: *Fridericus* Comes de *Aveberge*, *Henricus* Comes de Svvartzburg. Hi duo in cloaca, quæ erat in extrema parte domus, merſi ſunt, *Goſmarus* Comes de Zigenhagen, *Ludovicus* Comes de Wartberge, *Goſmarus* Comes de Kirchberge, *Beringerus* de Meldinge. Iſte fuit miniſterialis, & quidam civitatis miniſterialis, qui Vribode dicitur. Rex autem & Epiſcopus, qui in feneſtra domus conſederant, ruinæ periculum evaſerunt, ſcalisque applicatis depoſiti ſunt. Landgravius quidem ruinæ particeps fuit, ſed ſine læſione permanſit.

Anno MCLXXXIV. Kal. Auguſti, ſecundo dedicatum eſt monaſterium Sereni-montis in honorem B. Petri ab *Everhardo* Epiſcopo Merſeburgenſi, *Hugberto* Havelbergenſi, & *Balderamo* Brandenburgenſi, Epiſcopis. Ipſo die dedicatum eſt altare in ſeptentrionali parte chori à præfato Merſeburgenſi Epiſcopo in honorem S. Johannis Baptiſtæ. Eo anno Im-

no Imperator in Pentecoſte feſtivitatem magnam celebravit *Moguntiæ*, in qua *Henricum* Regem filium militem fecit, multis illuc Principibus convocatis. Ibi *Tidericus* Orientalis Marchio, filius *Conradi* Marchionis, ægritudinem incurrit, qua longo tempore detentus eſt. In vigilia vero B. Thomæ in Montem-Serenum adductus, in infirmitorio clauſtri decumbens, ingraveſcente eadem moleſtia v. Id. Februarij defunctus eſt. Hic ab uxore ſua quæ ſoror erat *Meſoconis* Ducis Poloniæ *Dobergana* nomine, quæ & *Lucardis* vocabatur, de qua filios ſuſceperat *Conradum* Comitem, & *Gerdrudem* Gerbeſtadenſem Monacham, longo tempore ſeparatus, aliam conjugem Conigundam nomine, Comitiſſam viduam *Bernhardi* de *Plozke*, quaſi ſuperinduxerat, ex qua genuit *Tidericum* Epiſcopum Merſeburgenſem. Hic etiam parochiam in *Hileburg*, & capellam ejuſdem caſtri, quæ in honorem B. Petri conſecrata eſt, (ad quam pertinet *Culſoë* villa, & ſilva quæ *Luch* dicitur, & duo molendina, *Goſtemize* villa, *VVelpride* villa, *Nennevvize* villa, & quinque manſi in *Ride*) Eccleſiæ Sereni montis contulit, recipiens in concambio villam *Numik* cum parochiis ſuis, quas tamen parochias cum VI. manſis in decimatione beato Petro reſtituit, exceptis curtibus majoris eccleſiæ, quas ad villam *Numik* *Conrado* de *Moßiz* & uxori & filijs ejus jure feodali conceſſit. Molendinum etiam ſuper fluvium *Mildam*, in villa quæ *Groiz* dicitur, præfatæ eccleſiæ dedit. Civitatem *Schildoë* in fundo ipſius eccleſiæ ædificavit, & in adjacentibus villis LX. ut fertur, manſos de proprietate ejus abſtulit, quos tamen CXXX. manſis ſilvæ ad nigram *Aleſtram* reſtauravit. Affectu autem magno *Ekkehardum* præpoſitum & fratres Sereni-montis excoluit, quæres eos à provincialium infeſtatione maximè tuebatur. Unde etiam idem præpoſitus inter cætera, quibus ei obſequioſus erat, vineam minorem in *Podegruz*, quæ *Marchionis* vocabatur, ad uſus ipſius ſingulis

annis excolebat; quæ tamen eo defuncto ad ecclesiam reversa est. Dedit etiam beato Petro dorsale quoddam magnum, & duas marcas & dimidiam, ad opus calicis unius; qui postmodum à Comite *Vlrico* de *VVitin* apud Judæos *Hallis* impignoratus, cum quidam civitatis ipsius eosdem Judæos latrocinio invasisset, interfecto qui eum habebat, cum rebus alijs ablatus est. *Otto* etiam Misnensis Marchio, & *Dedo* Comes, fratres Marchionis prædicti, ad comparandos trium talentorum reditus, pro anima ipsius LX. marcas promiserunt: cujus pecuniæ partem mediam *Otto* Marchio statim solvit. Postmodum autem, cum *Ekkehardus* præpositus reditus quosdam in villa *Kokere* à *Dedone*, tunc Orientali Marchione emeret, quam villam ille ab ecclesia *Pigavienſi* redemerat, idem Marchio de pecuniâ sibi promissa XXX. marcas ecclesiæ & Præposito relaxavit. Sepultus est autem *Tidericus* Marchio post patrem suum in dextera *Friderici* Comitis fratris sui. Hic fundavit ecclesiam *Cistercienſis* ordinis in loco, qui *Doberluge* dicitur. Castrum etiam, quod *Landisberg* dicitur, construxit.

Anno MC LXXXV. v. Kal. Augusti, dedicatum est altare S. Crucis in Sereno-monte â *VVichmanno* Archiepiscopo. *Arnoldus* ecclesiæ Hallensis præpositus, vir bonus, & secundum Deum simplicitati studens, à seculi actionibus, quantum posset, abstinens esse decreverat, sapientiamque mundi, quæ nimirum apud Deum stultitia est, negligens, veram sapientiam sectari studebat, de qua dictum noverat: *Qui minorabitur, actu eam inveniet.* Pro qua re ei tanquam desidi, & commissæ administrationi minus idoneo, quidam de fratribus suis ei apud Archiepiscopum detrahebant. Nec erat inefficax derogatio eorum. Quia Episcopus alium de fratribus *Hugoldum*, curiæ suæ Capellanum, in locum præpositi substituendi jamdudum habens propositum, ut tædium ipsi faceret, gravem

se ei

se ei in causis quibuslibet exhibebat. Derogantes autem illi, Episcopi proposito concordantes, promotionem *Hugoldi* modis omnibus adjuvabant, ita ut etiam incantationes & horribilia quædam arcana, negocij promovendi causa tentare non abhorrerent, duce usi matre ipsius *Hugoldi*, quæ usum talium & peritiam habere ferebatur, justo Dei judicio ad hanc devoluti miseriam, ut qui talem virum, qualem non nisi à Deo datum pie quærentibus contemsissent, in quærendo alio non Dei, sed adversarij, se sperarent auxilio gubernari: Præpositus autem, satis ostendens dominandi cupidinem sibi nequaquam dominari, citò voluntati Episcopi satisfecit, resignatoque administrationis officio, ad privatæ vitæ quietem pristinam est reversus. Non autem ei successit alius, nisi is, quem fratres illi talibus, quibus dictum est, studiis meruerunt.

Anno M C LXXXVI. *Vdo* Cizensis Episcopus obiit, cui successit *Bertoldus* Nüenburgensis Ecclesiæ Canonicus. Imperator malam voluntatem circa se Episcoporum Teutonicorum intelligens, *VVormatiam* eos convocans, machinationem contra Imperium eis objecit. Sed illi negantes, juramento se, præter *Moguntinum* purgaverunt. *Colonienſis* autem nec venit, nec per alium pro se satisfecit. Imperator offensus, curiam ei *Straceburg* super expurgatione indixit.

Anno M C LXXXVII Pax inter *Vrbanum* Papam & Imperatorem reformata est. *Saladinus* rex Damasci, Ægypti & Syriæ, cum multitudine infinitâ paganorum, terram Hierosolymitanam intravit. Cui occurrit Hierosolymitanus Rex cum Templarijs & Hospitalarijs militibus, & alijs Episcopis terræ, & omni exercitu Christianorum, *crucem Domini* habentes in comitatu. Divino autem judicio Christiani victi sunt. Patriarcha Rex & Episcopi cum toto ferè exercitu occisi sunt, & crux Domini capta est. *Saladinus* victor totam terram obtinuit.

tinuit. Solam civitatem *Tyrum* filius Marchionis de *Monteferrato* de *Constantinopoli* adveniens salvavit. *Vrbanus* Papa obiit, cui successit *Gregorius* Cancellarius. Hic Imperatori & Principibus pro adjutorio terræ sanctæ nuncios misit. *Henricus* junior, Comes de *VVitin*, filius *Henrici*, filij *Conradi* Marchionis, obiit v. Kal. Januar. in castro *Gevekenstein*: sepultus verò est in Sereno-monte ad sinistram patris sui. Pro eo oblata est beato Petro villa *Terniz*, juxta villam *Nunik*, cum IIX. mansis; quam *Otto* Comes de *Brene* à *VValtero* præposito redemit, reditibus in villa *Clevvizz*, pro ipsa æquivalentibus, restitutis.

Anno MC LXXXIIX. Imperator, pro legatione Papæ, pro adjutorio terræ sanctæ, curiam *Moguntiæ* celebravit, ubi *Colonienſis* Archiepiscopus gratiam Imperatoris, se & civitate sua omni conditione remota traditis, obtinuit. Imperator in præsentia *Albanensis* Episcopi, Legati summi Pontificis, deinde filius ejus Dux Sueviæ, Lantgravius, & multi Episcopi, Duces & Comites, cum multis alijs nobilibus, & quatuor millibus virorum electorum, cruce signati sunt. Expeditio autem in annum integrum dilata est, & in die beati Georgij *Ratisbonæ* constituta. Civitas *Magdeburg* in vigilia Pentecostes penè tota exusta est. Monasteria etiam S. *Mariæ* & S. *Sebastiani*, cum parochijs & capellis XII. exusta sunt. *Otto* Sereni-montis canonicus ecclesiæ *Gerbestadensis* præpositus efficitur. *Otto* Misnensis Marchio à filio suo *Alberto* captivatus est, pro causa hujusmodi. Cum esset duorum pater filiorum *Alberti* & *Tiderici*, *Albertum*, qui major natu erat, Marchionem post se ordinaverat, juniori sufficientibus alijs deputatis. Mater verò juniorem plus diligens, marito persuadere conata est, ut fœda, quæ meliora habebat, ipsi assignaret. Ad postremum etiam, ut testamento mutato ordinationem de seniore factam in juniorem transferret. Ad hoc

hoc cum Marchio inclinatus facere intenderet, eo comperto senior filius consilio, ut fertur, *Bernhardi* Ducis avunculi sui, & aliorum quorundam amicorum fidelium, patrem captum, in castro *Devvinde* tenuit, testamenti ab eo prioris exigens confirmationem, deputatis ei custodibus, quorum unus fuit *Conradus* Comes, filius *Dedonis* Marchionis, fratris *Ottonis* Marchionis. Unde etiam præsumtum est ipsum *Dedonem* captivationis ejus conscium fuisse. Imperator verò rem gestam audiens graviter accepit, certumque erat, quod morte *Alberti* factum vindicaturus fuisset, nisi eum peregrinationis suæ promovendæ intentio prohibuisset. Missâ tamen legatione, ei sub obtentu gratiæ suæ præcepit, ut patrem à captivitate relaxaret, monens etiam patrem, ut dissimulato dolore in gratiam filium suum revocaret. Filio verò suo regi *Henrico* injunxit solicitè, ne facti detestandi negligeret ultionem. Sicque Marchio solutus est, thesauris suis, quos plurimos habebat, à filio ex parte jam maxima devastatis.

Anno MCLXXXIX. Imperator Henrico regi filio suo Imperij procuratione relicta, peregrinis, juxta condictum, die beati Georgij *Ratisbonæ* collectis, inde cum ipsis per *Austriam* & *Vngariam* profectus, in octava Apostolorum *Danubium* transiit, ubi Ungarorum & Græcorum regnum dividitur. Ubi in ripâ fluminis tentorijs fixis, exercitum diebus aliquot requiescere fecit. Deinde *Bulgariam* ingressus, maximis laboribus *Græciam* intravit. Rex autem Græciæ *Kirsach* nomine, *Saladino* regi paganorum contra Christianos confœderatus, receptis ab eo DCCC. sagittarijs *Turcis* in auxilium, Imperatorem à transitu regni sui modis omnibus prohibere intendebat, licet pax inter eos juramento firmata fuisset. Et primò quidem transeuntes silvam *Bulgarorum* peregrinos, latrocinijs tam diurnis, quam nocturnis, impetens, multis eos malis affecit: ad extremum verò fines *Græcorum* ingressos

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [129] - 53
PUBLIC DOMAIN

bello manifesto invasit. Propter quod Imperator ei tanquam perjuro, cum etiam legatos peregrinorum de pace missos non solum captivavit, sed etiam incarceravit, nequaquam ultra parcendum decernens, *Græciam* totam cladibus implevit, igne eam & ferro devastans, innumerabilesque hominum cædes faciens. Cum itaque per sex continuos menses Græcia peregrinorum gladijs tradita vastaretur, tandem rex, perfidiæ suæ serò pœnitens, Imperatori nuncios de pace direxit. Cui Imperator non aliter consensit, nisi juramento iterato obsides adderet. Quod ille gratanter accipiens, juravit & obsides dedit, vicissim à nuncijs Imperatoris solo juramento recepto. Hoc factum est Dominica *Invocavit*. Pace firmata, Imperator ad portum maris, quod *brachium S. Georgij* dicitur, cum toto exercitu venit, ubi naves cc. à rege paratas invenit. A die verò Cœnæ Domini, usque ad tertiam feriam Paschæ, omnes prospere transierunt, ita ut nec unus homo de tanta multitudine periret. Erat enim numerus bene armatorum, præter vulgus, C. millia. Ab eo loco Imperator misit ad terram Teutonicorum, qui omnia quæ sibi evenerant, *Henrico* regi filio suo, & cæteris Principibus, nunciarent. *Otto* Misnensis Marchio obiit XII. Kal. Martij: primusque fratrum suorum, contra fidem patri datam, videlicet ut in ecclesia Sereni-montis omnes ei consepelirentur, in ecclesia *Cistercienſis* ordinis, cujus ipse fundator fuit, quæ *Cella* dicitur, sepulturam accepit. Uxor enim ejus, cum aliquando in Sereno monte hospitio fuisset excepta, & inter loquendum cum fratribus, qui illi forte aderant, de Advocatia ecclesiæ ipsius audisset, eam ad Seniorem de progenie Conradi Marchionis, de constitutione ipsius Marchionis, pertinere; rediens ad maritum, mirari se dixit, cur ecclesiæ illi tantopere prodesse conaretur, cum filij ejus jus advocatiæ in ea habituri non essent. Rectum sibi potius videri, ut ecclesiam propriam ipse construeret, in qua

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [130] - 54
PUBLIC DOMAIN

qua tam ipsi, quam hæredibus suis, jus dominationis in perpetuum servaretur. Hâcque occasione ecclesia *Cellensis* fundata est. Idem vero Marchio, cum esset advocatus ecclesiæ Sereni-montis, tanto ei affectu erat obnoxius, tantopere eam gravantibus infestus, ut aliquando fratrem suum *Henricum* Comitem de *VVirin*, qui *Ekkehardo* præposito gravis erat, locatis in itinere ejus insidijs, captivare disponeret: sed ille præmonitus vix elapsus est. *Ekkehardus* etiam præpositus, cum bona quædam à *Friderico* Comite de *Brene* emeret, pro c. marcis, quas in continenti dare debebat, villam *Rochtendorp* usque ad certum terminum ipsi impignoravit. Instante autem termino, cum pecuniam ipsam non haberet, ad Marchionem recurrit consilium quæsiturus. Marchio verò Comitem, qui ipsi in c. marcis tenebatur, pro solutione debiti sollicitavit, qui ei villam assignavit pro c. marcis, quam Marchio ad dotem altaris beati Petri in consecratione ejus obtulit, sicque ad ecclesiam reversa est. Centum etiam marcas ad emptionem bonorum in *Lubarisdorp* eidem præposito dedit, præterea ad opus monasterij, quod per x. annos tractum est, x. marcas annis singulis dedit, & c. modios frumenti, & carratam ferri, & duo juga boum: in alijs etiam loco ipsi largitatis & benevolentiæ suæ monumenta plurima derelinquens. *Tidericus*, Cellensis præpositus primus, obiit VII. Kal. Decembris. Huic successit alter *Tidericus* Sereni montis canonicus.

Anno MC XC. Imperator cum peregrinis *Laodiceam* veniens, quæ est terminus Græciæ, consilio principum obsides honorifice remisit. Inde *Turciam* Ingressus, *Soldanus* rex Turcorum & *Melchin* filius ipsum primo latrocinijs valde affixerunt, cum tamen ex illis multi singulis diebus interficerentur. Nam *Fridericus* Dux Sueviæ filius Imperatoris uno die CCCC. ex eis occidit; quadam verò die plusquam c. millia repentè

pentè proſtravetunt: alijs autem ut evaderent nox adjutorium tulit. Ex peregrinis autem tres tantum ſervi occiſi ſunt. *Melchin* autem, congregata omni multitudine ſua, ſexcentis videlicet millibus equitum, peregrinos aggreſſus valdè vexabat. Illi autem fortiter reſiſtentes, adverſariorum ducentos occiderunt, alios autem in fugam verterunt. Imperator vero eos ſecutus, *Soldanum* cum multis nobilibus, qui *Meral* dicuntur, in *Iconium* compulit. Filius vero Imperatoris civitatem repentè aggreſſus cepit, in quâ innumerabilis multitudo hominum occiſa eſt. Imperator extrinſecus hoſtes invadens forti eos pugna vicit, quorum innumerabiles occiſi ſunt. *Soldanus* autem cum principibus ſuis in caſtro civitatis, quod erat fortiſſimum, receptus, nuncios Imperatori miſit, promittens, pacem ſe peregrinis per terram ſuam ſervaturum, ſi ipſe ab *Iconio* recederet. Quod Imperator amplexus, receptis ab eo obſidibus pacis, civitatem reliquit, tranſitaque tandem *Turcia Armeniam* intravit: occurrerunteque ei legati *Leonis* Ducis Armeniæ, munera ei plurima deferentes. Tranſeuntes autem *Armeniam* venerunt ad quendam fluvium, quem propter aſperitatem viæ terreſtris Imperator tranſvadere cupiebat, ſed equo non ſatis confiſus, contra voluntatem omnium qui ſecum aderant, miſit ſe in fluvium, volens natando tranſire. Aliquandiu vero natans, victus aquæ impetu, in medio flumine merſus eſt IV. Idus Junij, luctum maximum omnibus peregrinis derelinquens. Translatus eſt autem à militibus in civitatem *Seleph*, ubi & inteſtina ejus humata ſunt, corpus vero *Antiochiam* delatum ibique elixatum eſt, & caro quidem in ipsâ civitate terræ tradita, oſſa verò *Spiram* reportata & tumulata ſunt. Porro *Fridericum* filium ejus Ducem *Sueviæ* exercitus omnis pro ipſo principem ſibi conſtituit, à quibus & militia, quæ de *Teutonica domo* appellatur, eodem tempore inſtituta eſt. *Henricus* rex

rex ducendæ uxoris causa ad partes *Apuliæ* profecturus, *Dedonem* Orientalem Marchionem secum voluit proficisci. Qui iteneris illius asperitatem & aëris qualitatem corpori suo, quia crassus erat, contrariam sciens, pro tollenda intestinorum arvina medico adhibito, ventris incisione mortuus est, XVII. Kal. Septembris, & in ecclesiâ *Cillenensi*, quam ipse fundaverat, est sepultus. Continet autem scriptura, quæ anniversarium ejus repræsentat, quod oblatus sit pro ipso mansus unus beato Petro in Sereno-monte, & unus pro uxore ejus *Machtilda* Marchionissa, cujus anniversarius dies est XIII. Kal. Febr., quod hâc ratione verum est. *Tidericus* Marchio, frater *Dedonis*, *Groiz* possessionem quandam suæ proprietatis super fluvium *Mildam Cunigundi* Comitissæ & *Tiderico* filio ejus Merseburgensi Episcopo dedit, quamdiu viveret, possidendam. Eo verò mortuo, cum inter *Ottonem* Misnensem & *Dedonem* Orientalem Marchiones proprietatis ejus divisio fieret, jus proprietatis præfatæ possessionis in partem *Dedonis* cessit, & post eum ad filios ipsius, *Conradum* scilicet, Orientalem Marchionem & *Tidericum* Comitem de *Summerschenburg* transivit. Tempore autem præcedenti, *VValtherus* possessionem memoratam à *Tiderico* Episcopo emit. Jus autem proprietatis à Marchione & Comite fratribus pro LX. marcis comparavit XXX. marcis singulis eorum deputatis: quorum tamen uterque X. marcas suæ partis remisit, ut duo mansi possessionis ejusdem pro parte & jure ipsorum ascriberentur, qui singuli mansorum illorum X. marcis constabant. *Conradus* Marchio etiam reliquas XX. marcas sibi promissas Præposito relaxavit, cujus tamen factum laudabile frater imitatus non est. *Albertus* Marchio, filius *Ottonis*, audito, quod pater suus partem pecuniæ in *Cella* repositam moriens dimisisset, ad locum venit, pecuniamque ipse à Monachis exegit. Erant autem marcæ CCC. millia de justis omnino proventibus, & quæ nihil iniqui mammonæ admixtum habebant,

quas Marchiò pro remedio animæ suæ ecclesiis Dei deputaverat distribuendas. Monachi vero responderunt se depositum illud, ad quod prædictum est, conservandum in fide suscepisse, nec posse id tradere ad quodlibet inde faciendum, quin potius cum ipso ad ejus asylum velle confugere, cujus erat custodiæ deputatum. Hoc dicto, pecunia tota in altari Dei genitricis posita, eventum rei soliciti expectabant. Marchio vero, neglecta tantæ custodis reverentia, ablatis omnibus discessit. Nec mirum si mortuo patri violentus extitit, quem vivum non timuit captivare. Nec etiam fratri pepercit, sed in bonis partis illius violentus existens, paulatimque eum à castris, quæ ipsorum erant communia, excludens, exhæredare eum modis omnibus conabatur.

Anno MCXCI. *Henricus* rex à *Cœlestino* Papa in Pascha XVIII. Kal. Maji in Imperatorem consecratur. *Tidericus* II. Cillenensis præpositus obiit IV. Non. Aprilis. Hujus successor factus est *Henricus* ex plebano ecclesiæ, quæ *Zuencone* dicitur. *Albertus* Leodiensis Episcopus occiditur, juvenis ætate, suis omnibus admodum carus; quia præter alia animi bona, quibus abundabat, singulorum moribus mirabili quodam moderamine se noverat conformare. Hic erat frater Ducis *Brabantiæ*, eratque vehemens opinio, interfectorem ejus Imperatori, ne durius aliquid dicatur, non displicuisse, quia timebat, ne Dux, ejus confisus auxilio, novi aliquid contra Imperium moliretur. Tali autem opinioni etiam hoc fidem faciebat, quod Imperator mortem ejus non solum ultus non est, sed etiam interfectores ejus à gratiâ suâ, post perpetrationem tanti sceleris, non removit.

Anno M C XCII. *VVichmannus* XVI. Archiepiscopus Magdeburgensis obiit IIX. Kal. Septembris, vir gloriæ secularis appetitu detentus, quique in hâc assequenda plurimum prosperatus est in comprimendis adversarijs quibusliber.

Victorio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [134] - 58
PUBLIC DOMAIN

Victoriosùs quippe, qui & viribus potens, & animo liberalis, & ad large dandum promptus erat, paci suorum temporum præcipuè studens. Obiit in possessione sua, quæ *Couze* dicitur. In eo etiam veritas sententiæ beati *Gregorij*, asserentis, *quod vis animæ ex subtilitate suæ naturæ nonnunquam futura præsentiat*, modo aliquo declarata est. Apud ipsum denique populus histrionum magni favoris gratiam obtinebat, & præsentia eorum valde erat ei delectabilis & jucunda. Ante quinque autem ferè menses, quam ex hac vita discederet, quadam die *Calve* positus, cum esset in prandio positus, quendam talium coram se intrantem conspiciens, vehementer exhorruit, eiq;, ut exiret, clamare cœpit. Ille verò ad jocum secundum consuetudinem hoc eum facere credens, ipse quoq; arridens se amplius ingerebat. Episcopus vero indignationis nimietate exagitatus, magno vocis strepitu, manuumq; agitatione, eum expelli præcipiens, omnes qui aderant in admirationem convertit. Mortuo autem eo, cum præsentibus, ut exenterari debuisset, visum esset, quia crassus erat; ille histrio in corpore ejus carnificis officio functus est, ventremque ejus cultro aperuit, & intestina ejecit, quæ in prædicta possessione humata sunt. Corpus autem sale infusum, ne æstu corrumperetur, *Magdeburg* adductum est. Sepultus est autem in majori ecclesiâ ante altare S. crucis. A morte autem *Friderici* Archiepiscopi, cui successit *VVichmannus*, usque obitum *VVichmanni*, colliguntur anni XLIII. ita tamen, si duos menses & XI. dies anni primi istius collectionis, qui restabant à morte *Friderici* usque ad incarnationem Domini, totius anni appelles nomine: & rursus quinque menses & duos dies ultimi anni, qui fluxerunt ab incarnatione Domini usque ad obitum *VVichmanni*, item totius anni nomine nuncupare velis. Post *VVichmannum* electus est *Ludolfus* majoris ecclesiæ Decanus. Cum eo autem denominatus fuit

Recherus major præpositus à nonnullis canonicis: sed *Romarus* quidam ipsius Concanonicus denominationi ejus vehementer obstitit, cum irrisione asserens, *eum injuste ad episcopatum denominari, qui tertia ante hanc die filiam suam nuptiis tradidisset*; quod quidem verum erat. Idem tamen præpositus, salva reprehensibilium veritate, honestate præcipuus erat, ita ut in hoc ei nemo se facile comparaverit: cui assertioni quoddam ejus factum memorabile attestatur. Quadam namque die sedente eo ad ludum scacorum puer familiaris intravit, ministro qui promptuario ejus præerat, eique tunc adstabat, in aurem loquens, *nuncium cujusdam mulieris pauperculæ, quæ infirmabatur, modicum vini petere*. Præpositus autem casu verbum exaudiens, eidem, ut petenti vinum daret præcepit. Quo respondente, se vinum non habere, nisi in uno vase, quod nondum esset initiatum, ille nihilominus, ut daret, cum instantiâ præcepit. Servus autem reniti pertinaciter non ausus, quasi ut jussioni satisfaceret, egressus, nuncium cum indignatione vacuum rejecit. Vix autem horarum duarum spatio emenso, sonantibus circumquaque ecclesiarum signis, intelligens præpositus, hoc de exequiarum officio esse, misit qui inquirerent, qui esset, qui obiisset. Reversus nuncius indicavit, mulierem illam, quæ paulo ante vinum rogaverat, mortuam esse. Tunc præpositus, utrum vinum ei datum fuisset solicitè inquirens, non datum esse cognovit. Unde valde turbatus, accersito ad se vini ministro, ei ut dignus erat, cum vehementi indignatione exprobans præcepit, ut vinum omne quod haberet in terram decurrere faceret, dicens; *nihil de hoc unquam in suos usus sumendum, cujus pars minima Christo in paupere negata fuisset*. Ipsum denique ministrum à suo servitio removit, cum interminatione penè ei indicens, ne unquam de cætero in suâ præsentiâ appareret. *Ekkehardus* quartus Sereni-montis præpositus

obiit

obiit VII. Kal. Febr. vir longævus & qui LXXX. excesserat. Verum diuturnitas vivendi corporis in eo robur valde attriverat, vigorique sensuum ejus non parum detraxerat, ita ut per v. annos, quos extremos in hac vita habuit, cum frequentiæ fratrum imbecillitas eum interesse non permitteret, extra claustrum privata mansione cum deputatis sibi necessarijs uteretur. Quæres observantiæ regulari, quæ in annis prioribus cum ipso laudabiliter viguit, defectum irreparabilem procuravit, praviſque moribus, tanquam remoto obice, irrependi aditum patefecit. Sedit annis XLI mensibus. v. diebus XXIV. Incipit autem hæc computatio anno MCLII. die beati Jacobi minoris, quando videlicet idem præpositus primo in Sereno-monte receptus est: à quo die retrorsum usque ad obitum præpositi *Meinheri* VII. menses vacui relinquuntur, qui cum *Arnoldo*, qui ante ipsum electus fuerat, expensi sunt. Post mortem *Ekkehardi* præpositi, die sequenti fratres ad electionem collecti inter se divisi sunt. Nam pars eorum major *VValtherum* unum de fratribus, pars minor alterum, *Gotfridum* nomine, elegit. Licet autem uterque ad hoc opus esset idoneus, *VValtherus* tamen pro quibusdam causis utilior videbatur. Quia à puero ab antecessore regulariter enutritus, bonis pollebat moribus, cum alter jam provectior de seculo ad monasterium transisset; tum etiam quia in annis prioribus, cum in defectu esset præpositus *Ekkehardus*, ipse ejus vicarius, strenuè exteriora administrans, universis provincialibus, præcipueque principibus, notus & acceptus erat. Unde, quia in minori strenuus & fidelis apparuerat, etiam in majori futurus similis sperabatur. Cito autem & intra unius horæ spatium fratres, Dei gratia se præveniente, mediante *Ottone* Gerbestadensi præposito qui tunc aderat, ad concordiam sunt reducti, cum etiam *Gotfridus* electores suos, ut ad consensum alterius partis, utpote sanioris,

redirent, instanter & fideliter hortaretur: sicque *VValtherus* communiter electus, cum Dei laudibus ecclesiæ præsentatus & confirmatus est. Sepultus est vero die dehinc altera *Ekkehardus* præpositus, in Aquilonari parte ecclesiæ, ante altare S. Johannis Baptistæ, à *Conrado* Mersenburgensi abbate, præsentibus etiam *Vlrico* S. Mariæ Magdeburgensi, & *Hugoldo* Hallensi, & *Ottone* Gerbestadensi, præpositis, aliisque pluribus ecclesiasticis & secularibus viris, nobilibus & ministerialibus. Translata sunt quoque eodem die ossa *Meinheri* præpositi ab australi parte chori, ubi dudum requieverant, & in sinistra *Ekkehardi* præpositi tumulata.

Anno MCXCIII. *Hugoldus* Hallensis ecclesiæ præpositus à *Ludolfo* Archiepiscopo deponitur, assignata ei ad privatos usus ecclesia *Strouvene* cum sibi attinentibus bonis. Huic successit *Dudo*, de ecclesia S Mauritij ejusdem civitatis translatus, cujus erat præpositus idem, & primus. Libet autem hic ejus occasione *de principio ecclesiæ S. Mauricij* inserere. Apparet enim in eo, quod Deus malis hominum voluntatibus ad impletionem suæ bonæ voluntatis utitur ordinatè. Temporibus itaque *Heindenrici* præpositi, fuit in ecclesia Hallensi frater quidam *Rudolfus* nomine, *Scholastici* agens officium. Huic quadam die scholares sui, quos provectioris ætatis plures habebat, manus injicientes, usque ad fustigandum ipsum ausu nimis temerario processerunt. Qui licet ultione emendatoria regulariter coërciti fuissent, quidam tamen divitum civitatis prædictæ fratres illius, quod acciderat graviter tulerunt admodum, nec tamen palam aliquid contra agere præsumentes, occultum ulciscendi aditum perquirebant. *VVichmanno* enim Archiepiscopo, oportunitate captata de amplianda scilicet civitatis suæ, scilicet *Hallensis*, honestare, sermonem intulerunt, modum etiam suggerentes; videlicet ut novam in ea ecclesiam conventualem institueret, quia hoc

& ho-

& honestati civitatis proficeret, & insuper ipsi æternæ retributionis Deum constitueret debitorem. Ne vero, ut solet, difficultas principij negotio dilationem pareret, de possessionibus suis ipsam se ordinaturos ecclesiam se promiserunt. Valde tamen à simplicitate sermonis eorum dissonabat intentio, quoniam ipsi hoc facto nihil aliud, nisi detrimentum ecclesiæ *Novi-operis*, elicere conabantur, scilicet ut congregatione, sicut volebant, noviter instituta, quicquid hujus incrementis accederet, hoc illi ecclesiæ deperiret. Tali igitur occasione ecclesia S. Mauritij, quæ prius parochialis erat, tum in conventualem translata est à *VVichmanno* Archiepiscopo anno MCLXXXIV. primusque ei præpositus missus est *Dudo* de capitulo Novi-operis XIV. Kal. Junij, & cum eo alij fratres, quorum *Rudolphus*, de quo hic agitur, unus fuit. Transumto etiam *Dudone* ad matricem ecclesiam, *Rudolphus* idem ei successit.

Anno MCXCIV. *Tidericus* Comes de *VVizenvels*, fratris sui violentia diu pressus, pro auxilio petendo ad *Hermannum* Turingiæ Lantgravium se contulit: quem ille aliquandiu suspendit, dicens, se, ut Marchioni bellum inferret, occasionem idoneam non habere. Habebat autem filiam jam nubilem. Comite verò petitionem jam sæpius iterante, Lantgravius respondit, *si gener ejus fieri vellet, se ei modis omnibus succursurum*. Quod ille primò quidem, quia puella oculis ejus propter sui deformitatem displicebat, renuit, sed necessitate coactus tandem consensit, conjugioque facto, ex hinc auxilio Lantgravij fratre cœpit superior apparere. Denique cum Marchio castrum novum in hoc, qui *Sibodenberg* dicitur, constrüeret, Comes superveniens ipsum fugavit, pluresque ex militibus ejus captivavit. Cum itaque jam manifestis Lantgravius inimicitijs Marchionem appeteret, ille in loco, qui *Reveninge* dicitur, militibus collectis, ipse

quoque

quoque hoſtem ſe Thüringis oſtendere modis omnibus intendebat. Cujus conatum Lantgravius anticipans, caſtra ejus cum ſuis improviſus irrupit, turbatiſque omnibus, qui circa ipſum erant, eos ad fugam coëgit, non paucis eorum, licet aliquandiu viriliter reciſterent captivatis. Marchio vero cum tribus vel quatuor ſocijs fugiens Serenum-montem venit, quorum equi horrendis vulneribus debilitati, ſigna certaminis oſtendebant. *VValtherus* autem præpoſitus equos alios procurans, ipſum Marchionem cappa clauſtrali pro diſſimulanda perſona indutum, aliquanto viæ ſpatio *Lipzke* tendentem proſecutus eſt. Verum Marchio, licet his adverſis, nihil à magnanimitate ſuâ alteratus reparandi belli firmum haberet propoſitum, non parum tamen eum Imperatoris, de qua erga ſe certus erat, dehortabatur indignatio, cujus miniſteriales ſpeciali eum bello jam appetere diſponebant. Neceſſarium itaque credens, ſi id efficere poſſet, Imperatoris primò gratiam recuperare, ad partes tranſalpinas, ubi tunc Imperator conſtitutus erat, profectus eſt. Sed cum non ſolum recuperandæ gratiæ omnimoda ei difficultas eſſet facta, verum etiam vitæ ſibi periculum impendere cognoviſſet, ſuis omnibus apud Imperatorem relictis, uno tantum comite ſumto, fuga quidem propter inſidias Imperatoris difficili uſus, ad propria reverſus eſt. Recogitans itaque, quoniam nulla niſi ardua virtus ipſi etiam Imperatori, ſi ſic neceſſe eſſet, repugnaret, diſpoſuit munitiones ſuas alias, præter *Lipzeke*, & *Chamburg*, & *Miſnam* deſtruere; has autem viris & victualibus bello præparare, finali conſilio ordinavit: certumque erat eum cladem maximam patriæ procuraturum fuiſſe, ſi non cum vitæ terminus præveniſſet. *Gotfridus* Sereni-montis Canonicus *Rezovviensis* eccleſiæ præpoſitus datur.

Anno M C XCV. *Albertus* Marchio veneno, ut fertur, à quodam

quodam familiarum suorum *Hugoldo* nomine sumpto ægritudinem incurrit. De *Vriberge* verò, uti ægrotare cœpit, *Misnam* festinans, cum nec equo nec curru propter evidentiam morbi vehi posset, à viris in gestatorio ad hoc ipsum composito portabatur. Verum emenso unius milliaris spatio ingravescente molestia etiam portari non sufferens in villa quadam *Henrichsdorff* depositus, ibique defunctus est IIX. Kal. Julij. Sepultus verò est in cella juxta patrem suum. Vxor quoque ejus paucis evolutis diebus eodem veneno extincta est. *Henricus* Dux de *Brunesvvich* obiit, sepultusque est in monasterio S. Blasii, quod ipse construxit, juxta uxorem suam. Hæc fuit soror *Rikardi* regis Angliæ: de qua hos habuit filios *Henricum* Comitem palatinum Rheni, *Ottonem* Imperatorem, *VVillehelmum* de Lüneburg, *Luderum* qui in adolescentia obiit. *Sifridus* Hersveldensis abbas, Nienburgensem abbatiam resignavit ad cujus administrationem *Heidenricus* electus est.

Anno M C XCVI. *Tidericus* Comes in partibus transmarinis morte fratris sui cognita, cum redire disponeret, Imperatoris insidijs adeo arctatus est, ut publice navem ingredi non auderet, sed à fidelibus suis lagena inclusus, & navigio illatus, sicque, donec in altum navis procederet, occultatus est. Imperator denique Marchiam Misnensem suis reservans usibus, fidelibus suis eam commiserat procurandam, quæ etiam usque ad mortem Imperatoris per eosdem administrata est.

Anno M C XCVII. *Cœlestinus* Papa obiit, cui successit Innocentius hujus nominis tertius. *Henricus* Imperator hujus nominis VI. moritur in Apuliâ anno Imperij sui VII. regni verò X. Hic *Neapolim* & *Salernum* civitates prælio vicit, *Apuliam* & *Siciliam Calabriamq;* subegit: *Panormi* palatium obtinuit, thesauris infinitis refertum ex collectione Regum prio-

rum Sicilienſium in tantum, ut priores divitias paupertatem putaret, Filiam regis Græcorum ibi captam fratri ſuo *Philippo* uxorem dedit. *Tidericus* Comes ad patriam reverſus omnem hæreditatem paternam obtinuit & Marchiam Miſnenſem.

Anno M C XCVIII. *Philippus* ultimus filiorum Friderici Imperatoris in campis *Erpsfordiæ* à *Ludolfo* venerabili Archiepiſcopo, cæteriſque Saxoniæ, Sueviæ & Bavariæ principibus, in Regem eligitur Romanorum. Eodem tempore *Otto* Pictavienſis Comes, filius *Henrici* Ducis de Bruneſvvich, à Colonienſi Archiepiſcopo & Principibus Rheni ad Imperium evocatus eſt. *Odoacrus* rex Bohemiæ *Philippo* regi confœderatus, cum exercitu Moguntiam venit, tranſitoque *Moſella* fluvio, & *Ottone* rege, qui vadum ejus occupaverat, violenter pulſo, *Bunnam* civitatem, reliquaque oppida & contermina, depopulatus eſt.

Anno M C XCIX. Factum eſt incendium eccleſiæ Sereni-montis, in quo quidem præter utilium amiſſionem à pluribus ſuperfluis & noxijs ædificijs locus ipſe, purgatus eſt: atque utinam à cauſis incendij fuerit emundatus. Ut autem hi, qui hoc flagello caſtigati ſunt, earundem cauſarum recognitionem ignorare non poſſent, judex æquiſſimus eos, impendente jam hujus animadverſionis articulo, in exceſſu valde notabili labi permiſit, ut videlicet ſe intelligerent culpis non levibus provocaſſe, quos in tanto conatu pœna ſuperveniens inveniſſet. Quidam enim ex fratribus, cum eis potus communis diſplicuiſſet, die beati Felicis in cellarium ingreſſi violenter tantum inde vini abſtulerunt, ut & ſibi, & alijs ſumere volentibus, ad prandium & in cœna, ex eadem copia miniſtrarent. Die verò clauſo, & nocte ex parte aliqua jam tranſacta, cum adhuc vinum eſſet in ore ipſorum, ecce clamor factus eſt, qui incendium nunciaret. Ædificium enim quod-

quoddam manſionis præpoſiti ex lignea materia, infirmitorio clauſtri à parte occidentali adhærebat, in quo miles quidam eadem nocte receptus hoſpitio, cum propter frigus veſpertinum ignem copioſum conſtrueret, ipſum accendit, ita ut, priuſquam ipſe hoc ſentire potuiſſet, domus ignem conceptum à parte ſuperiori flammis erumpentibus eructaret. Ventus vero ſubinde tanquam ad negotium promovendum exſurgens tanta vi torquebat incendium, ut parte clauſtri proxima necdum bene attacta, pars ulterior jam arderet. Sicque totam clauſtri & eccleſiæ majoris, præter turris ſuperficiem, & ædificia eis adhærentia, ignis depopulatus eſt. Vetus tamen capella in medio pene periculo conſtituta, non ſine admiratione multorum ſervata eſt. Poterat autem, ſi non Deus in ira miſericordiæ memor fuiſſet, grandis ex oppreſſione hujuſmodi, ſub illa ruina trabium & ſaxorum, pro ereptione rerum quarumlibet, diverſantium miſeria provéniſſe, quorum omnium nemo, non dico periit, ſed nec leviter quidem læſus fuit, cum etiam luna clare ſplendens diſcurrentibus deſerviret. Aberat tunc *VValtherus* præpoſitus in partibus Poloniæ, ad colloquium quoddam à *Conrado* Marchione evocatus. Rediens verò, & perſonas omnes à periculo per Dei gratiam ſervatas agnoſcens, de perditione ædificiorum parum doluit, ſed de exceſſu fratrum admodum turbatus eſt: quos nimirum bene agentes, male flagellari potius voluiſſet. Nec tamen factum, ſicut oportuerat, ultus eſt, tum propter numeroſitatem reorum, tum propter parentes unius ex ipſis, qui capitaneus facti erat, de quo ad dicendum in ſequentibus locus opportunior reſervatur. Ex eodem tempore, uſque ad reædificationem clauſtri, fere biennio *domus hoſpitum* fratribus præbuit manſionem. Nullum autem hujus occaſione mali neceſſariorum ſuorum defectum fratres ſuſtinere coacti ſunt: nec quenquam eorum ad locum alium,

propter intolerantiam expensarum, præpositus voluit destituere. Sed non similiter religio claustralis integritate sua gavisa est: imo vero perditionem ædificiorum tanta ruina morum subsecuta est, ut veraciter quis religionem cum claustro dixerit conflagrasse. Quia enim flagellandi noluerunt suscipere disciplinam, evenit modo miserabili, ut ex medicamento, quo curari debuerat morbus, sumeret incrementum. Horum autem probatio, qualesque ex his fructus provenerint, diligentiæ lectoris ex consequentibus apparebit. *Conradus* Moguntiensis Archiepiscopus de peregrinatione transmarina rediens, non biennio supervixit. Qui dum ante paucos obitus sui dies languens ad mensam comesturus consedisset, paululum obdormiens & in extasi factus, repente turbatis vocibus exclamavit; *indignum esse, ut Dominus Siffridus de Eppinstein tales injurias præsumeret irrogare*. Cumque querelas iteraret, & circumstantes de qualitate injuriarum eum interrogarent, manum ad sinum reducens; *nunquid*, ait, *non videtis, quam dedecorosa profusione vestem meam contaminaverit?* Qui statim ad se rediens, futuri schismatis maculam, ecclesiæ suæ per ipsum *Sifridum* inferendam, significari prædixit. Mortuo denique ipso, *Luppoldus* Wormatiensis Episcopus pro eo eligitur: sed quia *Philippo* regi favebat, cui summus pontifex adversabatur, electionem ejus Papa cassavit, & prædictum *Sifridum*, à tribus tantum electum, misso ei per nuncios suos pallio, consecrari præcepit.

Anno M.CC. *Albero* Præpositus de *Lusinitz* de dilapidatione rerum ecclesiæ suæ, & incestatione fœminarum, quibus præerat, multipliciter infamatus, à *Bertoldo* Nuemburgensi Episcopo ab administratione remotus est; & successit ei *Marcwardus* Sereni-montis Canonicus. *Henricus* tertius, Cillenensis ecclesiæ Præpositus obiit, cui successit *Wilhelmus*, Sereni-montis canonicus. *Dudo* Hallensis Ecclesiæ præpo-

præpositus. fratrum suorum importunitatem non ferens, administrationem suam resignavit, & deinceps usq; ad terminum vitæ suæ vixit privatus. In locum autem electi sunt duo de eadem ecclesia, *Appollonius* præpositus de *Valbeke*, & *Conradus* custos Hallensis: sed partibus concordantibus *Appollonius* obtinuit. *Conradus* Herbipolensis Episcopus, *Henrici* Imperatoris, & post ipsum *Philippi* Regis Cancellarius, eidem regi in suspicionem venerat, eo quod parti *Ottonis* Regis consentire pro favore summi Pontificis ferebatur. Hinc occasione & consequendi sumpta fiducia, *Henricus* majoris ecclesiæ Magdeburgensis Decanus Concellarij officium ambiebat, & pro eo apud Regem cœperat negotiari: quod Cancellarium non latuit. Fertur autem quod comperto ejus conatu annulum ei aureum miserit, mandans *gemmam ejus contra morbum perfidiæ multum valere*. Ille autem callide respondit: *mirari se cur ea ipse carere voluerit, qui maxime hoc remedio indigeret*. Cum itaque Decanus, prædictum agens negotium, die quadam ad Regem pergeret, *Gerhardus* frater Cancellarij, cognomento Uberbein, juxta claustrum *Haldisleve* ex insidijs cum armatis ei occurrens, oculos ejus eruit, ut ad scriptoris officium, ad quod anhelabat, deinceps inutilis haberetur. Idem tamen *Gerhardus* præter pecuniariam quam Decano postmodum exhibuit satisfactionem (nam duas marcas ei solvisse dicitur) tanta pœnitentiæ humilitate Deum placare studuit, tantumque divinæ gratiæ consecutus est, ut etiam diem mortis suæ feratur non ignorasse; quod ex facto illius colligi potest. Denique cum in monasterio *Hilburgerodes*, quod ex proprietate majorum ejus fundatum erat, moriturus ægrotaret, die beatæ Mariæ Magdalenæ ad missæ celebrationem in ecclesiam se portari rogavit, ibique sago superpositus, cum in fine Evangelij legeretur: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*; animam reddidit. *Everhardus* Mer-

seburgensis Episcopus obiit, pro quo electus *Tidericus* ejusdem ecclesiæ Canonicus, filius *Tiderici* Marchionis.

Anno MCCJ *Heidvvigis* comitissa, vidua *Friderici* Comitis de *Brene*, monasterium fœminarum in villa *Brene* cepit, XIIX. Kal. Septemb. Hæc in annis prioribus, adhuc viro suo vivente, *Ekkehardi* Præpositi & fratrum Sereni-montis familiaritatem consecuta, defuncto marito postulavit ab iisdem, ut in parte aliquâ montis ædificium sibi construere permitterent, in quo ipsa à tumultu secularium tempore requiesceret oportuno. Sed quia hoc impetrare non potuit, pro eo quod famæ suæ negligens esset, & lasciviam sectaretur, à priore voluntate alterata, cum prius iisdem fratribus favorabilis admodum extitisset, extraneam se eis & malivolam cæpit exhibere; ac postremo ut repulsæ suæ permaclesiæ pentem rependeret ultionem, in detrimentum illius ecnovum hoc monasterium inchoavit. Primus autem eidem monasterio præfuit *Meingotus* de ecclesia Hallensi. *Heidenricus* Nienburgensis Abbas obiit, cui successit *Hermannus* de eadem congregatione. Terræ motus fuit. *VValtherus* Sereni-montis Præpositus cum *Conrado* Marchione, qui pro *Philippo* Rege apud *Innocentium* Papam legatione functus est, Romam profectus, magnamque summi Pontificis gratiam consecutus, privilegium exemptionis ecclesiæ suæ renovari petiit, & obtinuit, fratribusque licentiam publici & communis usus carnium impetravit. Est autem hoc ejusdem licentiæ rescriptum. *Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conventui Sereni-montis salutem & apostolicam benedictionem. Exposuisti nobis, fili Præposite, innostrâ præsentiâ constitutus, quod cum ecclesia vestra sit in excelsi montis cacumine constituta, & distet non modicum à locis illis, in quibus piscium consuevit abundantia inveniri, non potest vobis congrue in esu piscium provideri: propter quod humiliter postula-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [146] - 70
PUBLIC DOMAIN

lebas à nobis, ut vobis infra septa ecclesiæ vestræ vescendi carnibus licentiam præberemus, cum & necessitas postulet & utilitas hoc requirat, quia sufficientiam piscium absq; magnis impensis habere nequitis, & abstinere tam à piscibus, quam à carnibus, gravissimum reputatis. Nos igitur devotionem vestram in Domino commendantes, quod sine speciali licentia nostra consuetudinem ecclesiæ vestræ noluistis infringere, præsenti vobis pagina respondemus: quod cum regula beati Augustini, quam estis professi, vobis esum carnium non inhibeat, sed concedat, vos secundum tenorem regulæ, nisi voto vos astrinxeritis speciali, ab esu carnium penitus abstinere, carnes certis & statutis diebus, dummodo sine scandalo fiat, de nostra licentia commedatis. Sic autem id moderate fieri concedimus, quod & regularis ordo servetur illæsus, & vos videamini non ad saturitatem, sed ad necessitatem, potius postulasse. Datum Laterani XI. Kal. April. Pontificatus nostri anno V. Ejus Romanæ profectionis socius *Tidericus* Merseburgensis electus, qui pro eo, quod non erat de legitimo matrimonio natus, non videbatur sine licentia summi Pontificis posse promoveri. Sed interventu *Conradi* Marchionis Papa eum legitimavit, &, ut consecrationem ab Episcopo *Hildenesheim* acciperet, præcepit: quia *Ludolfus* Magdeburgensis Archiepiscopus pro favore *Philippi* regis gratiam sedis Apostolicæ non habebat. *Apollonius* Hallensis ecclesiæ Præpositus administrationem illius ecclesiæ resignavit, priori scilicet de *VValbeke* servata, & successit ei *Conradus* custos Hallensis.

Anno M CC II. *VValtherus* Præpositus de partibus rediens transalpinis XVII. Kal. Junij Serenum-montem advenit, privilegiumque exemtionis, quod obtinuerat, secum exhibens, fratribus, tam de sua salute, quam de prospero successu, magnæ lætitiæ causa effectus est. Elapsis inde paucis diebus, eis de licentia comedendi carnes innotuit, ut & sub certa forma

forma fieri hoc ordinavit: videlicet, ut tribus tantum diebus in hebdomada, die dominica, feria tertia, & quinta carnibus uterentur. Tribus autem hebdomadibus ante festum S. Johannis Baptistæ, si occurrerent infra ipsum & octavam Pentecostes, & à festo S. Martini, usque ad natalem Domini, à carnibus abstinerent, diebus tamen Dominicis exceptis, & per totum *Adventum* ad nonam comedentes lacticinijs uterentur. In Dominica vero *Circumderunt* carnis privium haberent, reliquis diebus usque *Esto mihi* lacticinia comedentes: & hanc formam requisito omnium à maximo ad minimum beneplacito & consensu in perpetuum in ipsa servari Ecclesia districte præcepit. *Conradus* Herbipolensis Episcopus & Cancellarius occisus est. Hic *Ekkehardum* quendam nobilem civem Herbipolensem exaltaverat, cujus consiliis in quibusque negotijs, quia justi tenax erat, eique fidelissimus, utebatur. Duo quoque fratres, quorum nomina sunt *Henricus* & *Bodo*, de *Ravensburg*, quorum avunculus erat *Henricus* de *Calathin*, Marschalcus regis *Philippi*, cives erant ejusdem civitatis: inter quos & prædictum *Ekkehardum* discordia diu tracta hunc finem habuit, ut *Ekkehardus* idem ab iisdem interficeretur. In cujus facti ultionem Episcopus, cum quidem illi personaliter evasissent, ædificium ipsorum, quod in civitate habebant munitum, funditus evertit: vinum LX. ut dicitur carratas effudit, omniaque, quæ illorum erant, vastavit. Nec vero illi impune se lædi patiebantur, sed è contra Episcopo, quæcunque poterant, damna vel contumelias irrogabant. Sed non erat dubium Episcopum cum omnimodo illorum detrimento se ulturum fuisse, si non eum ipsorum audacia prævenisset. Rebus enim suis desperatis, cum nec regis quidem petitio Episcopum ab impetu cohibere potuisset, avunculo, qui vir erat crudelis ingenij, eos ad malum incitante, die quadam hora vespertina cum aliquibus armatis clam

tis clam civitatem ingressi, Episcopum ad Ecclesiam euntem aggressi, occiderunt, opus nimis temerarium perficientes. *Philippo* autem regi Herbipolim venienti occurrit clerus omnis cum multitudine populi de interfectione Episcopi conquerentes, & manum ejus, quam ille, cum occideretur, capiti opposuerat, & quæ abscissa fuerat, cum vestibus cruentis ostendentes, & cum multis lacrymis cantantes Responsorium: *Videns Jacob* &c., regisque super his judicium implorabant. Et rex quidem compassibiliter lacrymatus est, sed tamen judicium facere dissimulavit: alijs dicentibus, eum de morte Episcopi, propter hoc quod in parte *Ottonis* sentire cœperat, non vere doluisse: alijs vero afferentibus, eum timore Marschalci à ferenda contra homicidas sententia impeditum. Non autem iidem maligni etiam cœlestis regis judicium evaserunt. Tempore enim schismatis quod inter *Innocentium* Papam & *Ottonem* Imp. ortum est, cum *Otto* Herbipolensis Episcopus, sicut & cæteri Episcopi, excommunicato Imperatori oppositus esset, illi collectis in civitate armatis pluribus Episcopum expulerunt, juvenem quendam, Ecclesiæ ipsius canonicum, alterius ipsorum filium, pro eo auctoritate Imperatoris instituentes. Episcopus vero militibus collectis mature quidem civitatem recuperavit, illos autem, equis & armis, & omnibus quæ in civitate habebant, relictis, nudos fugæ præsidium quærere coëgit. Deinde castrum *Ravensburg* obsedit, cepit & destruxit. Omnibus autem, quæ illorum erant, rapinis & incendio devastatis, tam illi duo fratres malorum Capitanei, quam cæteri qui parricidij participes extiterant, vagi & profugi effecti, diversis cladibus attriti sunt; alij quidem interfecti, alij vero divinitus cœcati, seu alijs morbis gravibus correpti, & ad mendicitatem publicam deducti, miserandum de se spectaculum præbuerunt. *Hermannus* Thuringiæ Landgravius *Philippo* regi fidelitatem juravit: de-

inde hortatu Innocentij Papæ ad *Ottonem* rediit, secumque regem Bohemiæ *Odacarum* à *Philippo* defendere persuasit.

Anno M CC III. *Otto* Rex benedictionem regalem à quodam Cardinali Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, Coloniæ accepit. Idem vero Legatus *Ludolfum* Magdeburgensem Archiepiscopum multis comminationum literis ad partem Ottonis deflectere conatus est. Sed quia hoc efficere non potuit, exercitum Bohemorum & Thuringorum, cum alijs regis auxiliatoribus ad oppressionem Episcopi evocavit. Qui venientes in confinio Merseburgensis & Hallensis oppidi consederunt, & per IX. hebdomadas totam adjcaentem provinciam depopulati, cœmeteria, Ecclesias, & ecclesiasticas personas, multis damnis & contumelijs affecerunt. Tantus autem eorum timor omnes invaserat, ut nec in civitate *Magdeburg* se tutos credentes, ad partes trans-albinas res suas cum uxoribus & filijs deportarent. Cum vero die quadam pars aliqua ipsorum ad prædandum *Vonam* fluvium transissent, *Otto* Comes de *Brene* cum paucis socijs armatis, revertentibus in confinio castri *Landisberg* occurrens, CCCC. ex eis prostravit, inter quos & nobilis quidam, quem valde planxerunt, occubuit, cæteri fugere sunt compulsi; & ex illo die discurrere cessaverunt: Videns autem Cardinalis se contra Archiepiscopum nihil proficere: cum & personaliter evocatum multis cum verborum contumelijs affeciisset, inobedientiam ei exprobrando, & delirum senem appellando; illo, quia vir erat literatissimus, omnes assertiones ejus efficaciter evacuante, eum excommunicavit, ipseque cum rege *Coloniam* rediens, cæteros ad propria quemque redire permisit. *Constantinopolis* à peregrinis S. sepulchri & Venetianis, ordinatione *Philippi* regis, propter socerum ipsius regem à Græcis expulsum; obsessa & capta, prædaq; ejus inter victores divi-

divisa est. Ibi *Conradus* Halverstadensis Episcopus, qui unus fuit peregrinorum, multiplicem ornatum Ecclesiasticum in indumentis pontificalibus,& rebus alijs consecutus, multis & maximis reliquijs ibidem acquisitis, Halverstadensem Ecclesiam insignivit: ad quarum venerationem dies proxime sequens Assumtionem Dei genetricis deputata est, multis undique ad ipsam celebritatem concurrentibus: quando & reliquiæ ipsæ aspectui omnium, vel etiam contactui, exponuntur, & advenientes peccatorum suorum, auctoritate Apostolica, consequuntur remissionem. Ex eo tempore, captionis videlicet urbis, Græci ad communionem Romanæ Ecclesiæ redierunt. *Otto* comes de *Brene* obiit x. Cal. Januarij Sepultusque est à matre in Ecclesia *Brene*. Pro eo oblatus est beato *Petro* in *Sereno-monte* mansus unus in villa *Chlevviz*.

Anno M CC IV. *Philippus* Rex collecto forti exercitu *VVizensi* obsedit omni circumjacente provincia depopulata. Landgravius autem Regem Bohemiæ ad auxilium suum multis precibus advocavit. Qui adveniens consideratis copiis Regis, qui ab obsidione recedens, ei occurrebat, congrediendi fiduciam non habebat. Erant enim in exercitu Regis, præter milites qui ipsius erant speciales, *Ludolphi* Archiepiscopi expeditorum pugnatorum XXX millia, *Tiderici* vero Marchionis Misnensis milites quidem M D peditum autem C M. Accensis itaque focis plurimis, quibus suam præsentiam mentirentur, relictis omnibus, quæ oneri esse poterant, Bohemi totam fiduciam ad fugæ præsidium contulerunt. Diluculo autem fuga eorum cognita, Rex electos pugnatores post eos occupandos direxit, qui ad undecimum milliarium insequentes reversi sunt. Lantgravius auxilio nudatus ad gratiam Regis se contulit, fidemque illi servare, datis obsidibus, juramento firmavit. *Philippus* Rex dimissis auxiliatoribus Goslariam cum suis regreditur; ubi cum Rex *Otto*

militibus collectis cum ipso congredi tentaret, *Henricus* Palatinus, frater ipsius, ad *Philippum* transiit, præstitâque ei fidelitate, Advocatiam Goslariensem ab eo promeruit. *Tidericus* Merseburgensis, electus *Hildenesheim* ab *Hartberto* Hildenesheimensi, & *Dithmaro* Mindensi, *Nortberto* Brandenburgensi, & *Hellemberto* Havelbergensi, Episcopis, in Dominica post jejunium decimi mensis in Episcopum consecratus est. Moram vero ejus consecrationi fecerat, quod *Otto* Rex transitum ei noluit concedere, nisi episcopatum suum ab ipso reciperet: à qua tamen conditione liber, postea conductum Regis per *VValtherum* Sereni-montis Præpositum, & *Rudolphum* Stiderburgensem Præpositum, impetravit.

Anno M CC V. *Ludolphus* Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus obiit XVII. Cal. Septemb. Pontificatus sui anno XIII. vir strenuus & Ecclesiæ suæ utilitatibus efficaciter intentus. Gratiam vero summi Pontificis, priusquam moreretur consecutus, & ex ejus mandato communioni Ecclesiæ restitutus est. Post eum, ex arbitrio *Conradi* Halverstadensis Episcopi, electus est *Albertus* majoris Ecclesiæ Magdeburgensis Præpositus, eo tempore *Coloniæ* in scholis constitutus. *Philippus* Rex Aquisgrani à Colonienſi Archiepiscopo, qui tunc in gratiam ejus rediit, & per quem ipsam civitatem recepit, benedictione Regali consecratus est. Propter quod etiam idem Episcopus à Domino Papa excommunicatus est, aliusque in locum ejus electus. *Albertus* Brandenburgensis Marchio filiam *Conradi* Marchionis Orientalis majorem, duas enim habebat, *Mechtildem* nomine, duxit uxorem; cujus nuptias *Tidericus* Comes de Summerschenburg in castro *Groiz* cum magna gloria & expensarum copia celebravit. His nuptijs *VValtherus* Sereni-montis Præpositus à *Conrado* Marhione vocatus interfuit, indeque rediens statim ægritudinem incurrit, de qua & mortuus est II. Cal. Septemb. Sedit

annis

annis XII. menſibus VII. diebus V. Sepultusque eſt in dextera anteceſſoris ſui à *Tiderico* Merſeburgenſi Epiſcopo. Vir iſte plurimum à Domino gratiæ conſecutus, & ſi non uſque quaque irreprehenſibilis, talibus tamen, quales nunc eccleſia patitur, prælatus diſſimilis cognoſcitur exſtitiſſe. Fuit enim, prout ſe noſtrorum ſtatus habet temporum, laudabiliter religioſus, & quantum ab exteriorum occupatione negotiorum vacare potuit in congregatione, choro, & refertorio, aſſiduus, nec aliud ſibi licere judicavit. De commiſſorum ſibi utilitate indeficienter ſolicitus, moribus temperatus, quales *diſciplinatos* vocare conſuevimus, quæ duo ſeveritatis aliquid moribus ejus admiſcuiſſe videbantur. Diſciplina enim & ſolicitudine gravis non facilis erat ad riſum, nec favores hominum verbis, quæ non intenderet, aucupabatur. Unde & à quibuſdam, qui hanc in eo cauſam perpendere neſciebant, ſuperbus judicatus eſt. Honeſtate non mediocriter pollebat, ſed plus alijs, quæ acceperat, verecundiæ in eo donum enituit, quæ etiam in eo ex vultu gratia, qua non carebat, modo quodam decentior videbatur. Poterat ejus induſtria religionis ruina maxima ex parte reſtaurata fuiſſe, ſi non eum & ſua & aliorum negotia, & maxime *Conradi* marchionis Orientalis, cujus rebus promovendis valde erat deditus, retardaſſent. Emit autem Eccleſiæ ſuæ in villa *Othmarisdorp* V. manſos & pratum unum: *Kokere* III. manſos: *Groiz* IX. *Kobirshagen* VII. molendinum *Türgowe* conſtruxit, cujus fundum *Vlricus* Comes de Witin pro calice aureo, qui pro ipſo inpignoratus apud Judæos Hallis perditus fuerat, Sancto Petro dedit. Allodia etiam *Groiz*, & *Lubacisdorp*, ædificavit, in quorum altero multitudinem armentorum, quorum numerus fuit CL. cum alijs pecoribus aggregavit, de quorum uſu commodum magnum fratribus præſtabatur. Vineam novam in *Podegrüz*, quæ major eſt, plantavit. Duæ enim aliæ anteceſſorem ipſius

auctorem habuerunt. Omnia clauſtri ædificia poſt incendium reparavit. Ædificium curiæ, quæ *Præpoſiti* vocatur, conſtruxit. Ambitum emunitatis clauſtri muro amplexus eſt: à parte meridiana, ad cujus introitum primus portam fecit, cum prius uſque ad *Domum hoſpitum* & uſque ante *Dormitorium* fratrum, acceſſus tranſeuntibus patuiſſet. Parietem chori occidentalem cum omni ſuo opere ædificavit, & præter hæc multa opera utilia per diverſas Eccleſiæ poſſeſſiones fecit, quæ ſuperfluum eſt enumerare. Hujus viri terminus Eccleſiæ Sereni-montis multorum malorum principium fuit. Denique cum eo mortuo fratres omnes, quinque tantum exceptis, fratrem ipſius carnalem, *Iohannem* nomine, in Præpoſitum elegiſſent. Illi excepti alium *Tidericum* nomine, qui tempore incendij in ablatione Vini capitaneus fuerat, elegerunt. Erat iſte filius *Hermanni* Camerarij de *Landisberg* habebatque fratres clericos, *Bertoldum* Merſeburgenſem Præpoſitum, & *Henricum* ejuſdem Eccleſiæ Camerarium, qui fratri poſtmodum in Præpoſitura ſucceſſit. Laicos vero *Hermannum* de *Roſinvelt*, *Ottonem* de *Zvvirze*, & *Fridelhelmum*: univerſisque miniſterialibus, qui de *Landisberg* appellabantur, aliiſque pluribus provincialium, conſanguinitate proxima jungebatur. Propter quod à primæva tempore à Prælatis & magiſtris cæteris delicatius enutritus, & in quadam ſui æſtimatione habitus, ipſe quoque ex alieno favore, non ex virtute propria ſe metiens, magnum aliquid de ſe jam dudum ſentire, & dominandi cupidine ſe teneri, ſignis quibuſdam erumpentibus declarabat; videlicet derogando majoribus, & de mala eorum adminiſtratione ratiocinando, & meliora de ſe, ſi unquam eum poſſe contingeret, promittendo. Si qui etiam pro ſuis exceſſibus forte regulariter corriperentur, his quaſi compatiendo & nonnunquam pro eis litigando, & iniquitatem judicantium accuſando, commeſſationes & potationes ſui

sui similibus intempestivas procurando, & cum eis jucundis quibusque & ludicris insistendo, quibus rebus stultorum animi quam maxime capiuntur. Electus itaque, licet propositum obtinendi, propter suorum paucitatem, nullam haberet fiduciam, cum eis *Iohannes*, votis & solemnitate debita præcedentibus, prælationis honore, cum summa omnium gratia, potiretur, aliquandiu tamen restitit; donec amicorum ejus quibusdam, præcipueque *Conrado* Hallensis Ecclesiæ Præposito, adnitentibus, *Hospitalis pauperum* procuratione sibi commissa, ad fratrum rediit unitatem; qui post electionem privatus remanere deforme nimis & contemtibile judicabat. Ad hoc primum tempus fratres Sereni-montis Appellationis, & verborum Decretalium, eis hactenus ignotorum, usum habere cœperunt: quarum rerum præfati *Tiderici* electores, à *Bertoldo* Mersenburgensi Præposito, & *Henrico* ejus fratre informati, auctores fuerunt. Ad sepulturam *Waltheri* Præpositi super sigillo Ecclesiæ appellantes, ne quid videlicet vel pro parte adversa, vel contra ipsos, nomine capituli scriberetur.

Anno M CC VI. *Iohannes* Sereni-montis Præpositus administrationis suæ tædio fatigatus, cum onus ejus deponere cogitasset, singulis privatim fratribus suam aperire cœpit voluntatem, dicens, *se, utpote procurationis prorsus inexpertum, tantis rebus gubernandis non sufficere, nimisq; dolere, si pro eo tantum, ut ipse Præpositi nomine & honore gauderet, status Ecclesiæ laudabilis deperiret: pro quo divinum posset formidare judicium.* Licet autem pro se hæc allegaret, nulla tamen ratione ad resignandum, nisi privatæ vitæ commodo, trahebatur. In omnibus enim, quæ curæ domesticæ poscit necessitas, in nullo fratre suo Præposito minor erat, excepto eo (si tamen etiam hoc in talibus necessarium judicatur) quod linguæ officium expeditum non habebat. Nam tantum balbus erat, præ-

propere,

propere, &, ut de talibus dici ſolet, ingutture loquens, in quotidiana locutione minus bene intelligebatur. Si autem cum mora aliquanta eum loqui contingebat, non valde in eo defectus hujuſmodi apparebat. Rogabat vero ſingulos, ut in locum ſuum *Rudolphum* Stiderburgenſem Præpoſitum eligerent, qui pro experientia rerum (nam illam Eccleſiam novem annos rexerat) eos poſſet ſe melius gubernare. Verum cum fratrum, qui eum in principio elegerant, nullus ei ad propoſitum conſentiret, adjecit; *Deponendæ adminiſtrationis intentionem ſe indeclinabiliter concepiſſe, & ſi abſolute id faceret, gravem eis de electione prælati poſſe diſcordiam oboriri. Ideoq; eſſet melius, ut in perſonam prænominatam, quia eſſet idonea, conſentirent.* Omnibus itaque ejus inſtantia pluribus tamen pro ejus reverentia & dilectione, qua eum nec in petitione prorſus irrationali contriſtare volebant, deflexis, nono à morte *VValtheri* Præpoſiti menſe, & ipſius menſis die XII. ſequenti videlicet Aſcenſionis Domini die fratribus à voti vinculo abſolutis, adminiſtrationem reſignavit, & *Rudolphus*, qui tunc præſens erat, pro ipſo, ut petierat, electus eſt. Huic in Eccleſia *Stiderburgenſi* ſucceſſit *Otto* de *Schoninge*, *Martinus* cuſtos campanam de L. centenarijs fudit, quam *Hellembertus* Havelbergenſis Epiſcopus conſecravit, *Petronellam* nominans. *Hellembertus* Havelbergenſis obiit, cui ſucceſſit *Siboto* de *Steintale* Decanus. *Vlricus* Comes de Witin, filius *Henrici*, filij Marchionis *Conradi* Senioris, dyſenteria laborans, obiit in caſtro *VVitin*, IV. Cal. Octobr. relinquens filium *Henricum* ex filia *Bernhardi* Ducis, *Hetvvige* nomine, ſepultuſque eſt in Sereno monte in ſiniſtra *Friderici* Comitis patrui ſui de *Brene*. Pro eo oblati ſunt beato Petro agri in villa *Lethnitz*.

Anno M CC VII. *Hermannus* Niemburgenſis Abbas adminiſtrationem ſuam reſignavit, in cujus locum *Fridericus* ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitus eſt electus. Eccleſia major Magdeburgenſis

deburgensis cum clausstro die Parasceve, quæ fuit XII Cal. Maji igne deleta est. Sequenti Sabbatho *Engelhardus* Nuenburgensis electus in Presbyterum, & die Sancto Paschæ in Episcopum, ab *Alberto* Magdeburgensi Archiepiscopo consecratus est. *Tidericus* Comes de *Summerschenburg*, filius *Dedonis*, filij *Conradi* Marchionis Senioris, cognito, quod *Vlricus* Comes de *VVitin* adhuc vivens pecuniam uxori suæ & filio servandam in monte-Sereno deposuisset, eam ablaturus hac ratione quia tutor pupilli erat, feriâ secunda Paschali ad locum venit, scrutatusque ecclesiæ Secretaria, in quibus ipsam pecuniam se reperturum speraverat, non invenit, quia Rodolphus Præpositus molitione ejus præcognita, nocturno eam tempore inde sublatam, fecerit diligentius occultari. Erat autem summa ut ferebatur cc marcæ. Cum itaque inveniendi desperatione ab inquisitione cessans jam abire disponeret, quidam de fratribus quorum unus fuit *Tidericus* supra memoratus, ad eum accedentes, locum ei ubi, quod quærebat, occultatum erat, monstraverunt. Qui inventum aufferens depositum, *Herbipolim*, quo eum *Philippus* Rex cum alijs Principibus evocaverat, profectus est. Die dehinc quarta, septimana Pentecostes, quæ fuit Idus Iunij, mortuus est, sepultusque in Ecclesia Cillenensi juxta patrem suum. Oblati sunt pro eo tres mansi beato Petro in villa quæ *Kukukisdorp* appellatur. *Tidericus* Cellerarius novum organi instrumentum fecit: Vetus enim incendio ecclesiæ periit.

Anno M CC IIX. *Rodolphus* Sereni-montis Præpositus, *Ileburg* in domo parochiani ægrotans, obijt feria III Palmarum, quæ fuit IV Non. April. Eodemque die domum reductus, die Cœnæ Domini sepultus est in australi parte chori ante lavatorium sacerdotum. Hic à *Friderico* Comite de *Brene* XIV. mansos in villa *Niendorp*, partim pecunia, partim aliorum bonorum commutatione redemit, quod factum,

M 2 etsi

etsi aliquid in persolutione pecuniæ difficultatis, multùm tamen utilitatis cognoscitur habuisse. Ex eoenim tempore fratres longe melioribus quam prius pane & cerevisia uti coeperunt, beneficio tritici, quod de ipsis mansis solvebatur. Comes etiam ecclesiam ipsius villæ cum quatuor mansis ei attinentibus beato Petro dedit, hoc se velle insinuans, ut defuncto *Hervvico* Mersenburgensi canonico, qui etiam tunc tenebat, fratrum usibus, modo aliquo qui esset conveniens, aptaretur. Emit item Præpositus IV. mansos in villa *Croiz* ab *Ottone* de *Pouch* seniore. Post mortem ejus fratres omnes, exceptis electoribus *Tiderici*, iterato *Iohannem* concorditer elegerunt. Sed nec illi excepti vacabant, suum rursus eligentes Præpositum, ab unitate recedere non timuerunt. Ipse quoque electus, licet paucioribus quam prius electoribus niteretur, (hâc enim vice tantum tres habebat) non tamen tam facile, ut antea, quiescere passus, sed ex officio hospitalis, cui præerat, equos habens, discurrere, & per se agere cœpit; adeo ut *Albertus* Archiepiscopus *Conrado* Orientali Marchioni pro ipso scriberet, admonens, ut favorem suum ipsi impenderet, asserens quod *trium sacerdotum rationabilis esset electio*. Miror autem quare non & alterius partis rationabilem asseruerit electionem, quæ cum fratribus minoribus plus quam XV sacerdotes habebat: nisi forte, quia illi præpositum, plenitudine potestatis utentem, jam habentes, ejus testimonio non egebant. Marchio itaque die quodam itineris occasione ad locum veniens, habens in comitatu *Fridericum* Comitem de *Brene*, & plures ex *Tiderici* parentibus eorum inductus suasione à præposito & conventu petitionem exegit, ut contra ipsum *Tidericum* & ei cohærentes nihil innovarent, donec per se ad negotium tractandum posset accedere, quia hoc ei ad præsens non vacaret, & ut illi medio tempore de his quæ ad regularem disciplinam pertine-

tinerent, non ad Præpositum, sed ad Priorem, respectum haberent. Sed cum pluribus elapsis diebus causam negle-ctui daret, & illi suâ libertate gaudentes pro velle viverent, & insuper verbis sæpe Præposito & fratribus injurioſi exi-sterent, Præpositus *Tiderici* Marchionis Misnensis adjuto-rium, contra eorum insolentiam postulavit. Qui missis nun cijs, eos á consortio fratrum fecit & ab ecclesia removeri. Quod factum *Conradus* Marchio, quia advocatus erat Eccle-siæ, non bene ferens, eos per suos nuncios remisit. Post-modum tamen & ipse personaliter accessit, adhibito secum *Tiderico* Merseburgensi Episcopo, multis opinantibus *Tide-ricum* propter expulsionis injuriam eo die Præpositum futu-rum. Fratribus autem petentibus ut privilegium, quod *VValtherus* præpositus ipsius adjutorio impetraverat, recita-retur, Marchio consensit: auditoque quod ibi contineretur, *quod is qui à fratribus omnibus, vel à parte majori & saniori, in præ-positum electus fuerit, obtineat*; consilio habito *Tiderico* & suis præcepit, ut in electione cæteris suis fratribus concordarent. Et hunc finem habuit secunda electio *Tiderici*. Veruntamen Præposito, usque ad vitæ ipsius terminum adversari, tam ipse, quam sui sodales minime desierunt. Inter hæc mor-tuo *Hertvvico* Mersenburgensi Canonico, *Iohannes* Præposi-tus Ecclesiam *Niendorp* uni de fratribus commendavit, vo-lens eam juxta placitum donatoris fratrum usibus applicare. Evoluto tempore aliquanto Archiepiscopus Ecclesiam ip-sam *VValthero* cuidam Ecclesiæ majoris Decani filio conces-sit, dicens donationem ejus ad se devenisse, quia Præpositus eam infra legitimum terminum personæ tali, quali oportu-erat, non locasset, quoniam curam parochialem habere claustralibus non liceret; eumque per archidiaconidia, *Con-radum* videlicet Hallensem Præpositum, in possessionem mi-sit, de quo erat opinio, quod ipse ad hæc Archiepiscopum

incitasset. *Iohannes* vero Præpositus rumore comperto motus animo, maturè die altero *Niendorp* venit, & Walthero jam abeunti occurrens, & cur ecclesiam suam contra jus occupasset, inquirens, manu injecta violenter eum de equo deposuit, & nisi hic qui circa ipsum erant, eum continuissent, certum erat, quod nequaquam sine gravi contumelia recessisset. Ei tamen ire permisso interminatus est, ne de cætero occasione simili villam ipsam intrare præsumeret, alioquin passurum, quod non sperabat, veraciter affirmabat. Hoc facto permotus Archiepiscopus contra Præpositum, tanquam pro violenta manus injectione in clericum in canonem incidisset, denunciationis gladium eduxit, quo eum sine dissimulatione ferire cæpit, qua-qua-versum excommunicatum eum præcipiens denunciari. Eo tempore *Simeon* de *Dibele* miles capellam, quam in Sereno monte supra sepulturam uxoris suæ in Septentrionali parte majoris Ecclesiæ construxerat, dedicare volens, Archiepiscopum ad locum invitavit. Quem cum fratres cum processione solemni vellent suscipere, non consensit, nisi prius absolverentur, præstito juramento, quod starent ejus mandato, quoniam excommunicatos eos, pro communione Præpositi asserebat. Qui mandato gravari timentes diu renuerunt; donec consilio eorum qui aderant accedente, præcipue tamen *Simeone*, ne in expensis quas copiose procuraverat, damnificaretur, suppliciter rogante, consentiente Præposito per *Sibodonem* Episcopum Havelbergensem, sine omni gravamine absoluti sunt: qui tamen Episcopus constanter dicebat hoc ab eis exigi non debuisse, quoniam etsi præpositus juste forsitan excommunicatus fuisset, conventum pro ejus communione hoc vinculo non teneri. Sicque acephala, id est sine capite, Præposito videlicet, facta processione, in suscepto Archiepiscopo, ab eodem Archiepiscopo, & *Sibo-*

done

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [160] - 84
PUBLIC DOMAIN

done Havelbergensi & *Baldvvino* Brandenburgensi, Episcopis capella dedicata est, II. Cal. Octobris. *Philippus* Rex à Palatino de *VVitelingesbach Bavenberg* occiditur: necis ejus *Ekkehardus* Bavenbergensis Episcopus, & frater ejus Marchio de *Andesse* consocij ferebantur. Sive autem hæc opinio vera fuerit, sive non, certum est Episcopum periculum à fidelibus Regis timentem, propter hoc diebus plurimis exulasse: fratrem vero ejus suis omnibus exspoliatum, & Marchiam ejus à Duce Bavariæ occupatam. Palatinum vero *Henricus* de *Calathin*, Marschalcus Regis, postmodum interfecit. Post mortem *Philippi*, *Otto* Rex communi consensu Principum in Romanorum Imperatorem electus est. Ab hoc *VValtherus* prothonotarij officium consecutus, honoris novitate delectatus, ecclesiæ *Niendorp* renunciavit, & *Iohanni* Præposito reconciliatus est. Archiepiscopus etiam, priori indignatione deposita, denunciationem ejus revocavit, & injuriam eum passum publice protestatus est. Sicque demum præpositus ecclesiam illam uni de fratribus concessit, qui eam sine cujuslibet quæstionis scrupulo possedit.

Anno MCCIX. *Tidericus* Misnensis Marchio colloquio in Sereno-monte quibusdam fidelium suorum indicto ad locum venit. *Tidericus* vero ejusdem Ecclesiæ canonicus jam commemoratus, & quidam de fratribus ei cohærentes, *Arnoldo* cuidam clerico Marchionis non bono persuaserunt consilio, posse eum ecclesiam *Niendorp* adipisci, si Marchio pro ipso petitionem porrigere voluisset. Ille consilio credulus, Marchionem ad petendum induxit; cui cum nec præpositus, nec fratrum aliquis acquiesceret, exceptis qui consilium dederant, hi enim statim consenserunt, indignatus vehementer inquisivit, an sciret quis esset, qui peteret, & utrum ei aliquid negare, ac per hoc malam ejus voluntatem mereri sibi crederent expedire. Fratres autem reniti non

valentes, quoniam petitiones Principum coactionem habent, Præpositum invitum admodum turbatum *Arnoldo* ecclesiam concedere permiserunt. Consiliatorum vero fuit intentio, ut consensu speciali devotos se principi mentirentur, & si exauditus non fuisset, ipsius ex parte una, si vero exauditus fuisset, Comitis ex parte altera offensam Præpositus lucraretur, & in ultimo quidem intentione fraudati non sunt. *Conradus* orientalis Marchio *Lubus* castrum soceri sui *VVlodislai* Ducis Poloniæ, propter multas quas ab eo patiebatur injurias, obsedit. *VVlodislaus* vero obsidionem vi solvere volens, collecto exercitu copioso, Marchioni mandavit, se ei altera die congressurum. Vespere autem diei præcedentis *Oderam* fluvium cum suis omnibus transgressus, improvisus super venire hostibus moliebatur. Vnus vero eorum, qui *Supani* dicuntur, vehementer ei coepit obsistere, monens ne tempus pugnæ statutum præveniret, quia hoc factum nullius rectius, quam infidelitatis posset nomine appellari. Quem cum Dux timiditatis argueret, & fidelitatis, qua ei teneretur, commoneret, respondit: *ego quidem ad pugnam pergo, sed scio me patriam meam de cætero non visurum.* Habebat autem Ducem belli Pythonissam quandam, quæ de flumine cribro haustam nec defluentem, ut ferebatur, ducens aquam, exercitum præcedebat, & hoc signo eis victoriam promittebat. Nec latuit Marchionem adventus eorum, sed mature suis armatis & ordinatis occurrens, forti congressu omnes in fugam vertit, Pythonissa primitus interfecta. Ille etiam Supanus viriliter pugnans cum multis aliis interfectus est. Et nisi hora tardior fugientibus præsidium attulisset, cruentam nimis victoriam fieri contigisset. Multi tamen ex eis cum fugerent, mersi in paludibus ferebantur. Marchio vero post victoriam reversus, castrum cepit, tutoribus ejus suspendio condemnatis. *Otto* Rex ab Innocen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [162] - 86
PUBLIC DOMAIN

nocentio Papa III in Imperatorem consecratur. Primi prædicatores genti *Prutenorum* missi sunt. *Elizabeth* Marchionissa, uxor *Conradi* Marchionis, soror *VVlodislai* ducis, obijt IV. Non. Aprilis, sepultaque est *Doberluge*. Hæc beato Petro præter multa alia bonæ voluntatis indicia XIIX. marcas obtulit.

Anno M. CC. X. *Conradus* Marchio Orientalis, filius *Dedonis*, filij *Conradi*, Marchionis senioris, obijt, II. Non. Maij, sepultusque est *Cillene* apud patrem suum: Vir audax & in armis strenuus, largus & fidelitate præcipue famosus. Ecclesia sereni montis turbatione non minima fluctuabat. *Tiderico* enim ejusque socijs machinationibus novis assidue Præpositum impetentibus, cum fratres alij, præcipue juniores, inconsulta animositate se ejs opponerent, frequentes & asperæ inter eos verborum pugnæ excitabantur. Illis quidem occasionem nullam, si qua eis forte porrecta fuisset, obmittentibus, quin Præpositum detractationibus lacerarent; de mala enim administratione culpantes: Istis autem obsequium se Deo præstare arbitrantibus, si eum, quem injuriari certissime noverant, etiam litibus tuerentur. Sed non eo modo servitur Deo, quia in sciſſura mentium Deus non est. Inter hæc unus de fratribus senioribus, qui quidem alias laudabilem ducebat vitam; sed derogantibus facile credebat, cum petitionem ejus aliquam Præpositus non admisisset, & pro hac re turbaretur, ad animum ejus turbatum accessit Tidericus sæpe-dictus, perditionis filius, & fermentum omnis turpitudinis, docens nullo erga eum affectu teneri Præpositum, sed solummodo voluntati juniorum inclinatum, qui ut pro eo litibus deservirent, eos, ut ipse posset perpendere, ad placitum vivere non vetaret; persuasit homini, & ita eum à priori intentione subvertit, ut palam adversarium se Præposito demonstraret. Non parum autem

auctoritatis parti suæ apud extraneos, qui causam veraciter nesciebant, tali socio acquisivit, quibus jam prorsus irrationabilis non videbatur ejus motus, quem talis viri probaret assensus. Cum vero & alius quidam de junioribus ad partem ejus declinasset, tantâ fiduciâ uti cæpit, ut ad *Tidericum* Marchionem Misnensem, ad quem advocatia loci mortuo *Conrado* Marchione devenerat, crebro curreret, & Præpositum accusaret, petens, ut ecclesiæ illi mature consuleret, alioquin in brevi ad extremum desertum per negligentiam Præpositi foret ventura. Et ne forte à Præposito pro hujusmodi discursu gravaretur, literam quandam cum sigillo Marchionis Præposito missam exhibuit, cujus tenor fuit, *velle Marchionem, ut Tidericus & ejus socij, qui ibi nominatim exprimebantur, pro ecclesiæ suæ negotiis liberè ad ipsum irent & redirent, nec debere eos propter hoc quicquam gravaminis sustinere.* Vtrum autem hæc litera subreptitia fuerit, an vera, incertum est. Præpositus tamen propter illam nec plus nec minus patiens fuit, sed eodem modo semper æquanimiter toleravit. Tanta autem instantia cooperantibus amicis suis accusationem promovit, ut ad cognoscendam causam Princeps accedere cogeretur. Verum quod illo tempore inter ipsum, & filios *Bernhardi* Ducis avunculi sui *Henricum* Comitem Aschariæ, & Albertum Ducem, discordiæ vigebant, cavens, ne eorum pateret insultui, cum c & xxx militibus, die natali Apostolorum, Serenum-montem venit, ita contra Præpositum animo concitatus, ut nullus dubitaret eum administratione removendum. Aderant cum eo Episcopi duo *Tidericus* Mersenburgensis & *Philippus* Razispurgensis. Aderat quoque fortis Præpositi adversatrix conjunx Marchionis, contra ipsum ob querimonias *feminarum conversarum*, quæ *sorores* appellantur, vehementer incitata, propter quoddam earum ædificium superfluum & nocivum, & de quo

quo non semel locus fuerat, infamatus, quod Præpositus destruxerat, in quo grave eum feciſſe damnum eccleſiæ querebantur. Harum etiam apud Principem legatione *Tidericus* functus eſt. Quomodo non vir iſte flagellum in ſe Dei cognoſceret, contrà quem etiam propter feminarum illarum deliramenta Principes commovebantur? Propter quod patientiæ ſemper ſtudebat, ne malitiæ alienæ per impatientiam auctor exiſtere videretur. Verum *Philippus* Epiſcopus, cum de toto negotio à fidelibus Præpoſiti plene ſuiſſet inſtructus, veſpere ad Marchionem accedens, eum diligenter de ſingulis expedivit, oſtendens omnem eum motum illorum adverſus Præpoſitum non ex zelo Dei, ſed ex radice malitiæ principium ducere, eumque ab indignatione ex parte maxima revocavit. Veruntamen Marchio talia ſe de Præpoſito auditurum arbitrabatur, propter quæ non poſſet ab ejus gravamine temperari. Die ſequenti Præpoſito cum fratribus in domo capituli congregatis Marchio cum Epiſcopis & tribus nobilibus *Guncelino* de *Crozuc Conrado* de . . . . . & *Burchardo* de *Manſuelde*, & quibuſdam miniſterialibus intravit. Conſedentibus autem omnibus, accuſatores iſti in medium procedentes, advocatum à Marchione petierunt *Ekkehardum* Merſeburgenſem canonicum, qui erat conſanguineus *Tiderici* in quo etiam non parum, quia competenter literatus erat, confidere videbantur. Marchio reſpondens, inconveniens ſibi videri, ut *Ekkehardus*, cui ignota eſſet regularis ordinis diſciplina, cauſæ illius advocatus exiſteret; eligerent potius unum de fratribus ſuis, vel ipſi pro ſe, ut poſſent, melius loquerentur. Tunc frater ille ſenior jam dictus inquiſivit; an ſecundum jus eccleſiaſticum eis juſtitiam de Præpoſito ſe promitteret exhibere? Marchio audiens jus eccleſiaſticum, veloci intellectu conjecit, quod erat verum, eos aliquid cauſæ criminalis objectare

ctare velle: & respondit, se confessionis audiendæ officium nonhabere, nec de peccatis sibi judicium usurpare, sed si de dispendio rerum suarum aliquid haberent dicere, ut hoc ad emendationem veniret, se modis omnibus cooperaturum. Illi vero protulerunt scripturam, accusationes Præpositi multiplices continentem, quarum aliquæ parum quidem rationis habebant, sed tamen malitiam accusantium non celabant: Quædam vero satis erant graves, sed ad Præpositum non pertinentes, licet ad eum violenter detorquerentur. Quis enim rectum sapiens, si, verbi gratia, Prælati cujusque subditus quilibet ipso ignorante, & quantum potest prohibente, fornicationem, vel aliud peccatum grave, commiserit hoc Præposito dixerit imputandum, ita ut pro eo ipse criminalis culpæ reus teneatur? Propter quod etiam audientibus cunctis accusationes illi valde displicuerunt, ita ut diceret, eos digne tali loco detrudendos, in quo solis aspectus eis per anni spatium negaretur. Omnibus autem objectis à Præposito dissolutis, cum etiam Marchio nonnulla ipsum præveniens improbaret, considerans illos ad hoc niti tantum, ut, si fieri posset, Præpositus gravaretur; quia tamen de defectu præbendæ inter cætera non siluerunt, benigne Præpositum admonuit, ut de hoc quantum posset fratribus suis satisfaceret: tum quia ipsi hoc cotidiano Dei servitio mererentur, tum ut eis malignandi contra se accusationem de cætero amputaret. Cum vero etiam Præpositus de illis querimoniam deponeret, respondit Marchio, rectius eum de subditorum excessibus in capitulo suo tractare secundum sui ordinis disciplinam: sicque discedens illius colloquii finem fecit. Præpositus considerans proterviam sibi adversantium sua nutriri patientia, die altera fratres ipsos de his quæ contra ipsum & ecclesiam suam commiserant in capitulo arguere cæpit. Illi autem contra stimulum calcitran-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [166] - 90
PUBLIC DOMAIN

citrantes, ad præsentiam Marchionis appellaverunt, & contumaciter de capitulo recesserunt. Præpositus vero missis post eos fratribus benigne eos commonere studuit, ut se Deo pro suis excessibus humiliantes, ad pœnitentiam redirent, nec se â fratrum, suorum consortio amputarent. *Philippus* quoque Episcopus qui post discessum Marchionis in loco remanserat, à Præposito & fratribus rogatus, ad meliu. eos exhortando diutius laboravit. Sed cum admonitione nullatenus flecterentur, Præpositus consilio Episcopi excommunicationis contra ipsos sententiam promulgavit, præcipiens etiam eis victualia denegari, sicque pariter ab Ecclesia recesserunt. Frater autem ille senior aliquantis evolutis diebus cum humilitate reditum petens, cunctis gratulantibus receptus est, licet rancorem conceptum usque ad finem visus fuerit tenuisse: Cæteri autem diversis Tiderici amicis eos colligentibus, hospitia mutantes diutius remanserunt. Inter hæc Præpositus duos de fratribus ad gradum sacerdotij promovendos *Alberto* Archiepiscopo Magdeburgensi destinavit, quod Tidericum non latuit, sed etiam ipse & duo ejus socij pariter affuere, rogantes Archiepiscopum & capitulum ne ordinarentur, dicentes, eos in suum judicium promoveri. Petebat autem pro eis *Albertus* Decanus, qui *Walthert* filij sui veterem adhuc videbatur in Præposito injuriam vindicare. Consilium autem capituli fuit ut Archiepiscopus missos ordinaret, quia si hoc propter istorum vanam suggestionem non faceret, isti secundum suum privilegium libertatem haberent à quocunque vellent Episcopo ordinari, quo facto tantum juris ei in illa ecclesia deperiret. Sicque remotis contradictoribus illi ordinati, & ab Archiepiscopo cum literis commendatitijs ad suam ecclesiam remissi sunt. Amici vero Tiderici minis multis Præpositum attentabant, qui etiam ab ejus injurijs, ubicunque ad eorum veniret præ-

sentiam, videlicet in placitis provincialibus, vel aliis locis, ubi eum diversari ecclesiæ suæ cogebat necessitas, minime temperabant. Sed cum ille propter hoc in nullo à sui rigore propositi laxaretur, cum nulla eis de Marchione fiducia remansisset, tandem ad preces convertuntur, primo quidem hoc obtinere volentes, ut absolute & sine pœna qualibet reciperentur, & *Tiderico* Hospitalis officium redderetur. Quod cum penitus impetrare non possent, tandem eo contenti fuerunt, ut cæteris cum disciplina debita receptis, *Tidericus* tantum nudis pedibus & habitu nigro veniam petens, nihil pœnæ alterius sustineret. Post-inde autem multis pro eo petentibus, & præcipue Tiderico, Mersenburgensi Episcopo, Præpositus ei officium hospitalis reddere coactus est. Sed cum nec dum ab ejus vexatione ille quiesceret, tandem consilio habito eum in parochiam *Ileburg* destinavit, fratre, qui eam prius tenuerat in Hospitalis officio collocato. *Tidericus* Marchio Misnensis Marchiam orientalem pro xv. millibus marcis ab Imperatore redemit ex quibus x. millia solvit, quinque vero Imperator ei remisit. *Hervvigis* Comitissa de *Brene* obijt xi. Cal. Martij, sepultaque est in Ecclesia sua *Brene*, Pro eo oblatæ sunt beato Petro xv. marcæ.

Anno M CC XI. *Conradus* Hallensis Ecclesiæ Præpositus, cruce signatus ad partes trans-marinas proficiscens in itinere obiit in portu, qui *Ancona* dicitur: ubi & *Albertus* Decanus Magdeburgensis, & multi alii ejusdem peregrinationis socii, obierunt. Huic successit *Poppo* ejusdem Ecclesiæ canonicus. *Gothefridus* quoque Præpositus de *Rezovve*, administratione sua resignata, canonicus Sereni montis, adclaustrum quoddam sui ordinis *Lenin* nomine, non quidem in habitu, sed in loco specialiter sibi deputato manens, se contulit, ubi & mortuus est. Pro quo prædictus *Poppo* electus, & in præposituram, inductus, audita morte Præpositi *Conradi*

radi pedem retraxit, à voto sororum, & cura suscipienda interim se suspendens, & attentans tam per se quam per alios, si forte in ejus locum sibi daretur copia succedendi. Quod consecutus, suo promovit consilio ut Ecclesiæ, ad quam primo electus fuerat, unus de suis Canonicis *Ericus* nomine, quo libenter carebat, in Præpositum eligeretur. *Fridericus* Nienburgensis Abbas obijt, cui successit *Gernotus*. Hic in Ecclesia Elvvardisdorp nutritus, inde recedens *Nienburg* hospes collectus est. Vbi cum pueris aliquandiu præsuisset, à *Friderico* Abbatte in capellanum assumptus, & ab eodem Præposituræ officio prælatus, ei in abbatia advena successor factus est. *Otto* Imperator cum in consecratione sua, ut fieri solet, jurasset, se bona Imperij conservare, & à quolibet detenta repetere velle, *Viterbium* & quasdam alias civitates, quas antecessores sui beato Petro contulerunt, hac ratione cepit impetere, quas etiam multis & gravibus damnis affecit. Præterea *Henricum* Regem Siciliæ, *Henrici* Imperatoris filium, persequi & expugnare aggressus est, eumque regnum suum de manu ejus accipere compellebat. Pro his causis ab *Innocentio* Papa excommunicatus est. Fertur autem, cum in Sicilià moraretur, somnium vidisse, quod ursus parvulus lectum ejus, cum ipse in eo quiesceret, ascendisset, qui paulatim ita crevit, ut ipsum de lecto eiiceret, & solus lectum occuparet. Quod cum fidelibus suis retulisset, ipsi hoc super eodem Rege Siciliæ interpretati sunt, quod videlicet pro eo esset imperium habiturus. *Iohannes* Sereni-montis Præpositus ex multa animi turbatione, cujus ei cottidiana sibi adversantium insultus causa fuerunt, ægritudinem incurrens decubuit. Cumque dietim deficientibus in eo viribus morbus augeretur, sciens pulsanti Domino aperiendum esse, ad mortem æquanimiter ex ipsius voluntate perferenda se studuit præparare. Cui etiam hoc præsentis vi-

tæ tædium generaret, quod cùm per eos, cum quibus, & pro quibus, ſalvari ſperandum ei fuiſſet, ad ſalutis periculum duceretur. Deinde memoria retinens, quoniam judicabit Dominus extrema terræ, hoc eſt, unum-quemque hominem, ſecundum ea, in quibus eum finis invenerit: faciem ejus devota & fideli confeſſione præveniens, evocatis ad ſe fratribus, omnes generaliter, deinde nominatim eos, quos adverſarios habuerat, ſoliciter rogavit, ut ea, in quibus per ipſum aliquando gravati fuiſſent, pro vera caritate ex corde ſibi remittere dignarentur, quod ei ſe facere fideliter teſtabatur, ac eum ſacri olei unctione & Chriſti corporis communione ad communem exitum præparaturum. His cum devotione debita conſummatis, veſtiri ſe petijt & calciari, ſicque à circumſtantibus à lecto levatus, ipſis juvantibus ſupra cilicium cinere aſperſum ſterni jubet, in eo ſuæ vocationis horam deſiderans exſpectare. Cum vero in hoc ſtratu pernoctaſſet, & die ſequenti per ſigna ſudoris erumpentis evaſurus ſperaretur, fratribus rogantibus imo cogentibus, ad lectum reduci ſe permiſit, qui ejus ſalutis deſiderio tenebantur. Tempore vero non longe ante hoc exacto, aliud in eo malum apparuerat, à quo tamen per Dei gratiam medici fidelis adjutorio liberatus eſt. In toto enim corpore, etiam in volis pedum, cutem per loca crebra rumpebat, & ipſæ rupturæ ſanie plenæ quaſi cauteria videbantur. Febre itaque per ſudorem terminata, naſus ab interiori parte paulatim nigreſcens, in hoc malo totus occupatus, & omnino à capite ſeparatus, magnæ deformitatis ſpectaculum intuentibus exhibebat. Nec deerant etiam medicinæ artis periti qui veneni hæc eſſe ſigna manifeſta teſtarentur. Igitur cum infirmari Præpoſitum *Ileburg* nunciatum fuiſſet, *Tidericus* ſtatum ejus cotidianis nuncijs ſtuduit explorare, quem deſperari audiens, ipſe quoque perſonaliter advenit, & olim

lim sibi attentato negotio nunc totis viribus insistebat, multis & diversis promissionibus, parti suæ fautores conciliando; quorum etiam rebus prospere cedentibus in tantum auctus est numerus, ut pene adhuc Præpósito vivente confideret se eligendum. Verum, cum, sicut dictum est, febre liberatus, naso perdito victurus crederetur, hoc ei pro crimine cœperunt objcere, dicentes se nolle habere Præpositum denasatum. In quo tamen divinæ voluntati, licet diversa fuerit voluntatum qualitas, concordabat. Nam quod Deus quoque justa & bona voluntate non esse diutius Præpositum voluerit, declaravit, quem tertio illius mutilationis die ab hac luce subtraxit. Obijt autem feriâ quarta hora vespertina die martyrum Perpetuæ & Felicitatis; atque utinam ad perpetuam abierit felicitatem. Sedit annis III, mensibus XI, diebus IIII, sepultus vero est à *Poppone* Præpósito in dextera *VValtheri* Præpositi fratris sui. Hujus temporibus *Fridericus* Comes de *Brene* propter rancorem, quem de Ecclesia *Niendorp* habuit, quædam bona in villa *Lubarisdorp* & loci vicinis, quæ ecclesia *Sereni-montis* diu possederat, cœpit repetere, dicens, ea suæ proprietatis esse, & sine suo consensu vendita fuisse. Pro his dedit ei Præpositus L. marcas. Ab eodem Comite emit tres mansos pro LXX. marcis. Magnam etiam partem pecuniæ, quam *Rodolphus* Præpositus pro villa Niendorp reddere tenebatur solvit; & inter hæc domi omnibus bonis abundavit.

Post humationem *Iohannis* Præpositi die sequenti, quæ fuit sexta feria septimanæ *Lætare Ierusalem*, fratribus in capitulo collectis, Prioris hoc fuit consilium, ut exhortatio & electio, donec post solemnitatem Paschalem differretur, ne forte ejus occasione aliqua inter ipsos turbatio in sacro tempore proveniret. Sed illi qui de *Tiderico* eligendo jam concordaverant, isti consilio non consenserunt. Sicque ad eo-

rum

rum instantiam electione facta fratres inter se divisi sunt. Prior enim & alij cum eo XII. unum de fratribus *VVichnandum* nomine elegerunt. Erant autem isti, qui *Iohanni* Præposito usque in finem familiarius adhæserunt: alii omnes vicenarium numerum excedentes, multiplicati enim erant super numerum, *Tidericum* elegerunt. Isti nihil aliud, nisi electionem suam ipso jure roboratam indissolubilem judicantes, partem alteram, utpote infirmam, ad consensum suum deflectere conabantur, & instanter hoc agebant, adeo ut simul omnes coram illo procedentes eos ab electione sua quæ stare non posset, cedere postularent. Illi vero cum eis similem reverentiam exhibuissent, similia ab eis petentes, verentes tamen, ne numero confisi aliquid violenter agerent, electionem suam appellatione sua interposita munierunt, & ita ab invicem recesserunt, uno ex eis, qui Tidericoâ primo conatu suo cooperatores exstiterant, dicente: ut considerarent, quod electus ipsorum vir talis, & cujus parentibus hac occasione ecclesiæ obligatis, bonum maximum incommune eis procuraturus esset, jam tertio ab illis maxime, à quibus etiam nunc conventus, rejiceretur, ea sola causa, quia scirent, se potestate, qua hactenus super eos injuste se extulissent, faciente ejus justitia carituros, & ut pro his etiã indignari addiscerent, quod illi pauci tot inique opprimere molirentur. Alter vero hoc electum suum admonebat, ut memoria retineret, non idcirco eum ab illis electum, ut cum illi honoris causa extiterint, postmodum confirmatus nunc sibi adversantes in dignitatibus & commodis agere, se autem privatos & abjectos vivere patiatur. Erat autem in parte altera Prior, & proximus ei senior Parochianus capellæ veteris, Hospitalarius qui electus, Custos, Cellerarius, Parochianus de Numic, Parochianus de Zaubicke, ad quorum officia plærique istorum aspirabant: nonnulli autem ipsorum

non

non propter ista sed pro solo odio quorundam fratrum alterius partis in electione *Tiderici* consenserant, scientes eum Præpositum factum occasione inventa ab eorum gravamine nullatenus abstinere. Talibus causis, scilicet spe commodi vel honoris consequendi, & pro privatis odijs vindicandis, vir ille electus; neque enim Dei causa eligi potuit, qui Dei timore semper vacuus, & dominandi cupidine plenus fuit. Talem enim fuisse nulli meliùs quam electores sui noverant, sed eis ob causas prædictas maximè idoneus videbatur. Miror autem considerantibus electionis rationem, si non horrenda videtur ejusmodi electio. Eligere namque aliquid, est ipsum optimum judicando è numero aliorum legere, id est *tollere*. Verbum verò electionis simile est verbo jurationis. Cum enim dicitur: *In nomine patris & filij & Spiritus sancti, eligo talem in patrem spiritualem & Præpositum:* tale est, ac si diceretur: *dico per Patrem Filium & Spiritum sanctum, talem optimum hominum mihi videri ad ecclesiam regendam, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus*; ut pater spiritualis ad spiritualium, Præpositus ad temporalium, provisorem pertinere videatur. Quamvis in communi sermone nomine Præpositi utrumque intelligere soleamus. Propter hoc væ assumenti nomen Dei summi in vanum, & per invocationem tanti nominis aliud quam gloriam Dei quærenti, & ob hoc inutilem & nonnunquam noxiam scienter electionem facere non timenti. Verum isti licet finem causæ magnoperè desiderarent, tamen usque ad Pascha quieverunt. Interim diversis *Tiderici* amicis partem alteram attentantibus, si ad compositionem faciendam eos vellent admittere, non consenserunt: sed unum de numero suorum feria III. Palmarum ad *Tidericum* Marchionem destinantes rogabant, ut eis & ecclesiæ suæ in hoc negotio provideret, electionem alteram impediendo, cum & ipse virum illum ad regimen ecclesiæ minus idoneum non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [173] - 97
PUBLIC DOMAIN

ignoraret, quod etiam Marchio fatebatur. *Tidericus* verò, metuens ne conatus ejus per Marchionem impediretur, die Parasceve ad Priorem accedens dicebat, se cum dolore pensare, diuturnitatem illius dissensionis valde damnosam esse, se omnino ad rei finem tendere & *Tidericum* Merseburgensem Episcopum, ut fini adesset, invitare velle; petebatque ut literas invitatorias sigillo ecclesiæ sigillaret. Prior verò nihil aliud his verbis significari credens, nisi quod ab electione cedere vellet, & se consilio Episcopi submittere, literis illis sigillum apposuit: quod ille callidè consecutus, fratribus alterius partis ignorantibus, ad secundam feriam Paschalem Episcopum ex parti capituli invitavit. Eo tempore *Albertus* Archiepiscopus contra Imperatorem sedis Apostolicæ legatus fuerat constitutus, ad quem duo de Electoribus Tiderici venientes petebant, ut parti ipsorum adjutor fieri dignaretur. Quo, de modo adjutorij ab eis inquirente, talem modum suggesserunt, ut electo ipsorum curam porrigeret, eique præposituram confirmaret, quia hoc eum ratione legationis suæ posse facere videretur. Archiepiscopus respondit: se non ignorare quantum juris in ecclesia ipsorum haberet, etsi hoc ipsi forsitan scire nollent, nec aliqua ratione jus sibi summi Pontificis usurpare.

Anno M CC XII. *Tidericus* Merseburgensis Episcopus, à capitulo *Sereni-montis* se invitatum credens, feria II. Paschæ ad locum venit. Eo anno solemnitas Paschalis evenerat in die Incarnationis Christi, Die sequenti, hora dici tertia, omnes *Tiderici* Electores, adjunctis sibi pluribus laicis, fratres, qui omnes in parte ipsorum sentiebant, ad Episcopum convenerunt, petentes, ut numerositate eorum considerata, electioni ipsorum favorem suum impenderet, addentes se, quod jure facere deberent, in facto suo velle præcedere, electo suo solemnitatem debitam impendendo. Episcopo autem

autem hoc non esse sui consilij dicente, nimis stultè eos agere, & ut quiescerent potius exhortante, illi ab eodem recesserunt, & eodem itinere claustrum ingressi secundùm quod ipse electis eis ordinaverat, assumtis scolaribus, quorum magister partis ipsorum erat, elevatis in cantum vocibus, electum suum ducentes, ad Ecclesiam festinabant. Quorum unus, qui tamen præcipuus negotij executor fuerat, nescio unde corde motus, alteri cuidam loquens, *vereriſe* dixit, *ne ille sublimis cantus flendi eis causa fieret.* Tantus autem fuit eorum impetus, ut per duo ostia ecclesiæ, quæ ad claustrum ducunt, simul irruerent, processionis ordine non servato. Custodes etiam tam ad ostia quàm ad signa de suo numero, ne quod à parte altera impedimentum surgeret, & unum fratrem laicum in pulpito, qui populum ad Dei laudes pro electo sibi Præposito commoneretur, & ipse primus canere inciperet, ordinarunt. Sicque clero & populo concurrente, & signis consonantibus *Tidericus* ad faciem patroni ante altare producebatur. Inter psallendum verò clerici dextrum, & laici fratres sinistrum chorum tenebant; quod monstrum nunquam prius in ecclesia visum est. Ad quod tamen figurandum istos fortassis antiquum Romanorum induxit exemplum, qui aliquando pro sui paucitate servos ad militiam assumere sunt coacti, licet isti legitimarum personarum numero abundarent. Fratribus sane laicis in electione Prælatorum nihil unquam juris fuit: nec ad solemnitates hujusmodi admittebantur, tantum electo simpliciter obedientiam promittebant. Verum isti numerum extrinsecus tantopere requirentes, parum se de causa suæ justitia confidere declarabant. Fratres vero alterius partis, etsi possent nihil tamen ineptè contra agere molientes, quidam turbati se subtrahebant, quidam vero illis admixti finem negocij exspectabant. Episcopus præsentiam suam superva-cuam esse considerans, & se fraude quasi ad spectandam in-

eptiam invitatum intelligens, graviter tulit, & refectione festivè percepta discessit. *Tidericus* itaque omnibus suis fœminis etiam sororibus, per quas non parum adjutorij partiejus accessit, voto sibi obligatis, de cætero pro Præposito se gerebat. Denique Cellerario misso nuncio mandabat, ut claves cellarij & coquinæ, quas ille remotis eorundem officiorum fratribus, tulerat, sibi præsentaret. Quod cum ille renueret, alium pro eo Cellerarium ordinavit, sic quod per biduũ in Præpositi dignitate se exhibens feria quinta *Ilenburg* profectus est. Nuncius interea hujus solennitatis ad fratrem illum, qui alterius partis legatione apud Marchionem fungebatur, & nec dum ab eo recesserat, directus est. Marchio statim rumore comperto fratrem ipsum ad quendam fidelem suum *Tidericum* de *Sladebach*, qui ab eo tempore castrum *VVittin* tenebat, destinavit, mandans ei ut personaliter accedens ad locum, omnia quæ à *Tiderico* innovata fuerant, irritaret, ipsumque ab omni præpositi excluderet potestate. Mandaverat etiam omnibus ejus fautoribus victualia denegari, à quo eum frater ille, ne hoc majoris discordiæ causa fieret, revocavit. Ille itaque juxta mandatum adveniens novum Cellerarium ab officio removit, vetere restituto. Cui etiam claves curiæ Præpositi præsentari fecit, rebus *Tiderici*, quæ illuc erant comportatæ, exportatis, fratribus etiam laicis in officijs constitutis præcepit, ut si gravamine carere vellent ei & non alteri obedirent. Hac itaq; mutatione facta *VVitin* reversus, unum post se servorum suorum relinquens, per quem, si quid novi surgeret, scire posset. His autem *Ileburg* nunciatis, *Tidericus* videns difficultatem sibi factam, ab accessu claustri interim sibi abstinere melius judicavit. Veruntamen quidlibet adgredi quam ab incepto cedere, apud se irrevocabiliter diffinivit. Nec defuerunt inter hæc fratribus in claustro constitutis contentiones & pugnæ verborum, his qui erant

rant partis ejus hoc fixe proponentibus, quod si eorum Præpositum aliquid, quod non sperarent, à Marchione pati contingeret, nequaquam se ab alterius partis gravamine temperarent. Consilio itaque fratris sui *Henrici* Mersenburgensis Præpositi & aliorum quorundam amicorum animum Marchionis per *Ekkehardum* Mersenburgensem Canonicum suum consanguineum attentare cœpit, si eum ad suum consensum posset aliquo modo inclinare. Quid multa, flexus Marchio Priori mandavit & capitulo, ut in Dominica qua cantabatur, *Jubilate Deo*, sex de partibus singulis *Lipzke* ad ejus præsentiam mitterentur, cum quibus de causa Præposituræ tractare vellet. Prior partis suæ quinque senioribus fratribus secum assumtis profectus est. Tidericus verò duobus tantum junioribus domi relictis alijs omnibus suis comitatus venit. Episcopi qui cum Marchione aderant, *Engilhardus* Nüenburgensis, & *Tidericus* Mersenburgensis de verbo Marchionis à partibus exegerunt. Quo compromisso collocuti Marchioni redierunt, *Tidericum* Præpositum esse debere ex arbitrio pronunciantes, & ut ab eis qui essent præsentes alterius partis in continenti eligeretur præcipientes, quod sic factum est. Episcoporum sane alter Mersenburgensis, postmodum hujus arbitrij non parum pœnitens, pro voluntate Marchionis sententiam se tulisse, cuidam familiarium suorum confessus est, eumque pro consensu suo accepisse pecuniam testabatur. Ipse etiam Marchio, eo tempore quo *Ekkehardus* apud eum negociabatur, cuidam clericorum suorum LX. marcas sibi pro Præpositura Sereni-montis quasi jocando retulit oblatas fuisse. Idem annis singulis vinum, quod fratribus superesse poterat, emere solebat, ex quo mercatu tempore quo *Iohannes* Præpositus obiit fere CCC. marcas reddere tenebatur. Cujus debiti cum ejus *Conradus* Episcopus de *Sichem* petente capitulo postea commo-

neret, totum sibi dimissum esse respondit. In ipso autem instanti quo arbitrium promulgandum fuit, cum cunctari aliquantum Marchio videretur, & familiares ejus secreto cum Tiderico crebrò colloquerentur, frater ille senior, quem Tidericus à familiaritate Johannis Præpositi averterat, cujus erat nomen *Hartmodus*, suspectum habens negocium, ansa familiaritatis quæsivit ab eo, quæ esset causa horum colloquiorum, & pro qua re Marchio cunctaretur. Ille autem, tum pro reverentia, viri tum etiam inquisitionis instantia, verba quibus veritatem convenienter palliaret non inveniens, ægrè quod verum erat respondit, causam, prout vellet, terminari non posse nisi in continenti c. marcas Marchioni promitteret se daturum. Hæc frater ille post modicum, rebus inter ipsum & Præpositum aliter quam tunc se habentibus, fatebatur. Uxorem etiam Marchionis & quosdam familiares ipsorum expertes donationis non fuisse compertum est. Sed has omnes difficultates *Henricus* Mersenburgensis Præpositus, utpote vir literatus & prudens, breviter absolvit, dicens: *fratrem suum non Præpositurам, sed gratiam comparasse Marchionis, pecunia.* Viderit tamen ipse utrum rectè appellaverit gratiam, non gratis datam. Tiderieus itaque Præpositus confirmatus, habens in Comitatu Ecchardum Marchionis nuncium, domum venit, collectisque fratribus ejus qui de parte altera restabant, idem nuncius verbis Marchionis præcepit, ut in electione alijs concordarent, aut de loco ipso sibi emigrandum cognoscerent. Illi consortio fratrum suorum carere malum maximum judicantes licet contra suam conscientiam, eligere quam recedere maluerunt. Poterat Ecclesia Sereni-montis alterum æquè fortassis utilem & minori constantem pretio Præpositum habuisse: si non æquissimus ille rerum ordinator hujus importunitate victus, atque utinam non iratus, hoc nomen cum consequi permisisset.

Albertus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [178] - 102
PUBLIC DOMAIN

Albertus Archiepiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus Imperatorem crebro excommunicatum denunciabat, & ne quis cum Imperatorem appellaret, ſub pœna excommunicationis prohibebat. Nec verò Imperator ei parcebat, omnia quæ illius & ſuorum erant quantum poterat devaſtando, quamvis & ipſe nonnunquam ex parte Epiſcopi damni aliquid pateretur. Tanta autē fuit & hujus in denunciando, & illius in devaſtando, conſtantia, ut rectè quidam dixiſſe laudetur: *quod Epiſcopatus Magdeburgenſis ab Ottone Imperatore & Alberto Archiepiſcopo conſtructus, ab Ottone Imperatore & Alberto Archiepiſcopo deſtrueretur.* Æquivoci enim erant coſtructores & deſtructores: licet Archiepiſcopus non aliunde deſtructor fuerit, niſi quod occaſionem præbuit deſtruendi. Eo maximè tempore Eccleſia Magdeburgenſis *Ludolfi* Archiepiſcopi ſenſit induſtriam in ædificatione caſtri *Hunoldusburg*, quod præcipue excurſus Brunesvvicenſium frenabat. Imperatore itaque, ut ſolebat, devaſtante *Magdeburg* adjacentem provinciam, Epiſcopus militibus collectis cum eo congredi tentavit. Imperator talium peritiſſimus, cum & audacia & corporis viribus parem non haberet, adventu hoſtium cognito paulatim ceſſit, eoſque inſequentes longiùs à civitate protraxit. Deinde cum impetu ad eos convertens omnes in fugam convertit ccc. ferè militibus captivatis, quæ pugna maximum Epiſcopo damnum procuravit: cum ipſe pro captivis ſolvere cogeretur: & Imperatore, quicquid ſolvere poterant, ab eis non negligenter extorquente.

Anno M CC XIII. Cum Eccleſia *Hilſeneburg* Abbate careret, *Albertus* Archiepiſcopus ratione legationis ſuæ, quia *Fridericus* Halverſtadenſis Epiſcopus, Imperatori favens, excommunicationis jugum ferebat, in cujus diœceſi eſt illa Eccleſia, *Hartvvicum* Pigavienſem Monachum ei Abbatem dedit. Quem cum monachi recipere nollent, Archiepiſcopus

pus eos excommunicationis vinculo innodavit. Sed cum difficile inveniri potuisset, timore Imperatoris, qui ipsius sententiæ literam Hilseneburgensibus exhibet, Hartuicus cognatum *Henricum* de *Rekkin* Sereni-montis Canonicum eum ad se tacito negocio vocavit, quem permittente Præposito ad se venientem cum eisdem literis destinavit. Qui exhibitis literis factione monachorum captus, & suis omnibus exspoliatus est. Interim monachi misso cum suis literis nuncio, *Tiderico* Præposito de Henrico conquesti sunt, quod Ecclesiam suam exhibitione illarum literarum, ad perturbationem maximam produxisset. Præpositus occasionem non negligens, (nam Henricus unus fuerat electioni suæ adversantium) eum, cum in castro *VVernigerode* captivus teneretur, communione sua suspendit, & ab ingressu claustri, si redierit, arceri jussit; cum tamen regula nusquam aliquem à societate fratrum projici jubeat, nisi quis peccans emendatoriam vindictam non curaverit sustinere. Henrico vero cum pace redeunte, Præpositus eum ab ingressu claustri prohibere conatus est. Quod cum implere non posset, eò quod plures de fratribus ei faverent, districtè eum præcepit ab omnibus evitari. Cujus motum ille mitigare cupiens, nudis pedibus in veste nigra scopam ferens, cum Priore & quodam alio fratre seniore, pedibus ejus prostratus petebat, ut si quid peccasse ostensus fuisset, de hoc eum in claustro pœnitentiam agere pateretur. Præpositus verò nihil his mitior factus, cum ille à claustro abesse nullo modo consentiret, egit ut per *Hartmannum* quendam villicum Marchionis ab Ecclesia pelleretur. Qui veniens, & cum armatis claustrum ingressus, hora refectionis Henricum de refectorio protractum, extra claustrum à suis servientibus educi fecit: sicque ille discedens magnam fratribus tristitiam dereliquit, cum etiam eos, qui ei faverant, gravati à Præposito contigisset.

Erat

Erat autem ſtudium ingens his qui Præpoſito adhærebant, ut eos, qui in electione diverſæ partis fuerant, à ſuo conſortio removerent, in qua intentione etiam eis Præpoſitus concordabat. Henricus itaque à *Sifrido* Pegavienſi Abbate patruo ſuo receptus, Archiepiſcopo quam paſſus erat injuriam initiavit. Archiepiſcopus vero, legationi ſuæ contumeliam in hoc irrogatam affirmans, cum occaſione facti ſui gravari illum contigerit, Præpoſitum de receptione ejus crebrò ſtuduit commonere. Sed cum nec monendo nec petendo quicquam proficeret, ejuſdem legationis auctoritate excommunicationis contra eum & quoſdam collaterales ipſius, qui maximè ei in hoc facto cooperatores extiterant, ſententiam promulgavit.

Anno M CC XIV. *Henricus* de *Rêkkin* Sereni-montis Canonicus expulſus, cauſæ ſuæ oportuno tempore captatæ in Sabbato Paſchali Præpoſito ad benedictionem foris aſtante venit, & prius appellatione interpoſita literam Archiepiſcopi excommunicationis ſententiam continentem ei porrexit, quam cum ille non reciperet, miniſtris ſimul adſtantibus & poſt eos ſingulis fratrum exhibere curavit. Nullo autem eam recipiente, ipſe in medio Eccleſiæ ſtans, excelſa voce recitare cœpit, Præpoſito è diverſo benedictionem foris ſublimiter pronunciante : Intellectum tamen eſt quid illa litera contineret. Poſt recitationem Henricus exiit, & finito baptiſmi officio Præpoſitus ad pulpitum cum excommunicatus excommunicavit, & omnes ei conſentientes, credens aliquos fratrum hujus facti conſcios extitiſſe. Henricus autem extra Eccleſiam occultatus, explorabat, utrum Præpoſitus poſt ſententiam celebraret : de quo certificatus itinere ſuo diſceſſit. Familiaribus verò Præpoſiti conſilium dantibus, ſequenti ſecunda feria *Magdeburg* ad præſentiam Epiſcopi veniens, ad cautelam abſolvi poſtulavit.

vit. Quem ille juxta formam Ecclesiæ absolvi fecit, sed præstito juramento: absolutoque, ut Henricum reciperet, præcepit sub debito juramenti, quod ipse minimè complevit. Henricus cum literis Archiepiscopi, causam suam Papæ significantibus, Romam profectus, judices contra Præpositum impetravit. Eo tempore, indicto ab Innocentio Papa *Romæ* generali concilio, universi Ecclesiarum Prælati ad profectionem se parabant. Præpositus vero sicut & pleriq; alii ad concilium prævenire cupientes, ut cõmodior ei copia fieret sua negocia promovendi, cum à judicibus Henrici citatus fuisset, appellavit, & copiosa sumta pecunia Romam profectus est. Et de causa quidem appellationis apud summum Pontificem siluit: referebat autem, se subditum quendam habuisse, qui cum officium cellerarii sibi contra ejus voluntatem usurpare voluisset, & ex hac causa lites concitare cœpisset, ipse eum à consortio fratrum & ab Ecclesia rejecisset: petebatque, ut si talis ad ejus veniret præsentiam, accusationem ejus non reciperet, sed potius eum ad Ecclesiam suam compelleret redire, quia eum pœnitentem recipere paratus esset, metuens ne, si Henrico audientia data fuisset, ejus ineptiæ publicarentur. Et ut efficaciter, quod intenderat, consummaret, Notarium quendam non parva conduxit pecunia, ut huic negocio præesset, & se Henrico, si veniret, pro se adversarium exhiberet. Cui etiam alium Marchionis Clericum de *Niendorp*, qui præsens erat, & post eum in curia remanebat, adversarium ordinavit. Aliorum autem quæ petijt nihil potuit impetrare. Erant autem hæc: *ut in die dedicationis Ecclesiæ suæ populus adveniens indulgentiam haberet*: & *ut Papa ei unum Episcoporum terræ suæ, quem eligere maluisset, vice sua judicem ordinaret*: & *ut ei in causis Ecclesiæ suæ excommunicandi concederet potestatem*. Præpositus à curia recedens, Henricum se insequentem *Poloniæ* invenit, missoque

foque ad eum quodam civitatis magistro, tentabat si cum eo in concordiam redire posset: in quo ille nulla ratione voluit consentire. Cum verò in præsentiam Apostolici venisset, volens Papa ut ad Ecclesiam suam rediret, literas, per quas restitueretur, suggerente Præpositi notario dari ei præcepit. Henrico autem instanter audientiam sibi dari postulante, Papa motus ejus instantia & causa cognita jussit, *ut literas datas dentibus scinderet*, quod literis cassatis fieri solet; jam enim, alijs etiam referentibus, de statu Ecclesiæ Sereni-montis Papa cognoverat, & Henricum de singulis subtiliter interrogabat, ita ut expressè de nemore monti proximo, quod Præpositus nimis damnosè incidi & vendi fecerat, an ita esset percunctari studeret. De omnibus autem, quæ ille vera fatebatur, juramento sibi fidem facere compellebat, ac sic demum literas ei dari mandavit, quibus Præpositus redire ad concilium cogebatur. Aliàs etiam pro Abbate Pigaviensi contra Marchionem literas impetravit. *Arnoldus* vero Clericus Marchionis impedire eum volens & non valens, de eo quod adversatus ei fuisset pœnitentiam agens, reconciliari eum sibi humiliter postulavit. Henricus de partibus rediens Trans-alpinis *Herbipolim* venit, ibique *Arnoldum* qui se præcesserat invenit. Cumque inde recederet, priusquam *Pigaviam* pervenire potuisset, ejus Arnoldi traditione ab hominibus Marchionis captus, & suis omnibus spoliatus atque in castro *Hagenesberg* incarceratus, aliquamdiu detentus est. Et hic casus Præpositum à necessitate redeundi ad concilium liberavit.

Tempore quo Præpositus Romam proficisci parabat, & cum eo *VVillehelmus* Cillenensis Præpositus, *Tidericus* Marchio *Zurbeke* constitutus, eis, ut in die profectionis suæ ad se venirent, mandavit, intendens ut ablatis omnibus quæ haberent, eos ab itinere prohiberet, quoniam hu us-

modi expensas supervacuas asserebat. Præpositus conatu ejus per quosdam suos amicos cognito, diem profectionis præveniens, solus ad eum accessit, diuque ei familiariter collocutus, eum ad suum placitum inclinavit. Exiit autem talis rumor quod XL. vini carratæ, quas Marchio de recenti solvere tenebatur, Præposito licentiam impetrassent. Denique cum post profectionem ejus Prior & capitulum unum de fratribus pro quibusdam Ecclesiæ caussis ad principem destinasset, ille rumoris veritatem explorare cupiens, eum tam de veteri quam de novo studuit commonere. Marchio respondit se totum debitum persolvisse : quod autem nec ante, nec post solverit, & quod Præpositus nunquam exegerit, certum est. Imperator cum Rege Franciæ pugnâ commissâ victoriam perdidit, multis ex parte ejus captis, & plurimis ex utraque parte occisis : ex quo tempore nomen Teutonicorum satis constat apud Gallicos viluisse. *Wernherus* de Ecclesia S. Mauritij, Hallensis primus Præpositus, *Lipzke* missus est. In civitate Hallensi factus est concursus ex hujusmodi caussa. Presbyter quidam ex vicarijs parochiani Ecclesiæ forensis, *Petrus* nomine, egit arte quam ipse noverat, ut ad imaginem quandam crucifixi, quæ in ipsa erat Ecclesia, sanitates conferre ægris adventantibus putaretur. Quo rumore diffamato, provinciarum omnium circumjacentium populis ad civitatem confluentibus, tanta fuit offerentium multitudo, ut infra paucos menses, quibus illa duravit insania, præter oblationes ceræ, supra CL. marcas sit sacrificium computatum. Ex his cesserunt in partem Archiepiscopi, ut fertur, LXX. marcæ, reliqua in usus Ecclesiæ *Novi operis* sunt recepta. In tantum verò etiam prudentes viros eadem delusio dementavit, ut non solum *Poppo* Præpositus assidua prædicatione virtutes quæ ibi fierent, populis intimaret, & contradicentes vel irridentes

post

post excommunicationis quoque sententiam prohiberet: sed etiam *Conradus* de *Sichem* horum veritati publicè in suis sermonibus testimonium perhiberet. Interim servitii sui tempore exacto, Presbyter à civitate recessit, & omnis ille virtutum effectus cum eo pariter emigravit. Constat enim nihil ibi talium postmodum accidisse.

Anno M CC XV. *Fridericus* rex Aquisgrani die beati Iacobi coronatus est & cruce signatus. *Christianus* primus post beatum *Adelbertum* genti Prutenorum Episcopus consecratus est. *Tidericus* Episcopus Mersenburgensis mortuus est IIII. Idus Octobr. pro quo ex arbitrio *Conradi* Episcopi de *Sichem*, & duorum Canonicorum Mersenburgensium, *Ekkehardus* ejusdem Ecclesiæ Canonicus electus est. Oratorium S. *Augustini* in *Sereno-monte* dedicatum est à *Conrado* Episcopo de Sichem V. Idus Octobris. Synodus Universalis Romæ in Ecclesia Salvatoris, quæ *Constantiniana* vocatur, mense Novembri celebrata est, Præside *Innocentio* Papa III. Pontificatus ejus anno XVIII, in qua fuerunt Episcopi CCC XII. inter quos erant Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Antiochenus languore detentus misit suum vicarium Anteradensem Episcopum. Alexandrinus, sub Sarracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit; misit pro se Diaconum germanum suum. Primates autem & Metropolitani fuerunt LXXI. Abbates & Priores ultra DCCC. Absentium vero Archiepiscoporum & Abbatum non est numerus comprehensus. Legatorum verò, regis videlicet Siciliæ in Romanum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Franciæ, regis Hungariæ, regis Hierosolymitani, regis Cypri, regis Arragonensis, nec non aliorum Principum & magnatum & civitatum, aliorumque locorum ingens affuit multitudo. *Sifridus* Abbas Pigaviensis *Henrico* de *Rekkin* Montis-Sereni Canonico expulso in concilio

commissionem obtinuit, cujus exemplar hîc inserere libuit pro testimonio veritatis. *Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filÿs Præposito S. Nicolai A. Cellerario & H. Canonico Magdeburgensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cum olim ex literis venerabilis fratris Alberti Magdeburgensis Archiepiscopi Apostolicæ sedis legati, quam ex conquestione dilecti filÿ Henrici Canonici Ecclesiæ montis-Sereni Magdeburg. diœcesis, nostro fuisset Apostolatui reseratum, quod Tidericus ipsius Ecclesiæ Præpositus eundem Henricum, pro eo quod nostras & ejusdem legati detulerat literas, ab eadem Ecclesia turpiter expulisset, faciens quosdam laicos ad hæc specialiter convocatos in eundem manus injcere violentas, & quosdam de fratribus suis, quia nolucrunt tyrannidi consentire, punire graviter præsumsisset, & insuper cum complicibus suis, post excommunicationem à præfato legato pro ipso in eosdem prolatam, divina non fuisset veritus officia celebrare, quodque, postquam à jam dicto legato fuit juxta formam Ecclesiæ absolutus, memoratum Canonicum ad suam Ecclesiam revocare nullatenus voluisset, licet hoc ipsi ab eodem injunctum fuisset sub debito præstiti juramenti, vobis dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet jam dictum præpositum ut Canonicum memoratum benignè reciperet & tractaret, monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellere curetis, ipsi & complicibus ejus pro præfatis excessibus pœnam Canonicam nihilominus inflicturi, ut ea docente cognoscerent, quod temerarium esset contra stimulum calcitrare. Cum autem, sicut ex vestrarum intelleximus continentia literarum, Præpositum ipsum auctoritate mandati nostri peremtorie citasseris, ut vestro se conspectui præsentaret, jam dicto Canonico super his quæ præmisimus responsurus ipse nec venit nec pro se misit idoneum responsalem, verumtamen quidam Clericus, nullis tamen exhibitis literis comparuit coram nobis, qui pro eo à vobis in nullo gravato sedem Apostolicam appellavit. Licet autem appellationem ipsius reputasseris frivolam & inanem, quia tamen intellexisti, eundem ad sedem Apostolicam accessisse,*

ceſſiſſe, ut in præſentia partium plenius veritas appareret, jamdictum cum veſtris Canonicum literis proceſſum veſtrum continentibus ad noſtram præſentiam tranſmiſiſtis. Nos igitur ejuſdem Canonici compatientes laboribus & expenſis ipſum ad vos duximus remittendum, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ſi res ita ſe haberet ad locum & beneficium ſuum reſtituentes eundem, non permittatis ipſum ſuper his à quoquam indebitè moleſtari, nihilominus Præpoſito à dictis & ſuis complicibus de illatis injurijs ſibi competenter ſatisfieri, facientes contradictiones per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita. Cæterum quoniam Præpoſitus memoratus de Simonia, dilapidatione, perjurio & alijs multis criminibus dicitur infamatus, & quod etiam excommunicatus divina celebrare præſumſerit, ac inſuper ante confirmationem à nobis obtentam adminiſtratione Eccleſiæ Montis Sereni, tam in Spiritualibus quam in temporalibus ſe impudenter ingeſſit, à quibuſdam de fratribus Eccleſiæ coram ſeculari judice obedientiam exigens & extorquens, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus inquiſita ſuper his diligentius veritate, quod canonicum fuerit, appellatione poſtpoſita, ſtatuatis facientes quod ſtatueritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Quod ſi non omnes &c. Acceptis itaque his literis, Henricus, priusquam per eas aliquid agere potuiſſet, ſummi Pontificis morte præventus eſt.

Anno M CC XVI. *Ekkehardus* Epiſcopus Merſenburgenſis Electus, conſecratur die S. Bonifacij, qui tunc fuit in octava Pentecoſtes, ab *Alberto* Magdeburgenſi Archiepiſcopo, *Brunone* Miſnenſi & *Balderamo* Brandenburgenſi Epiſcopis, & *Conrado* Epiſcopo & Monacho de Sichem. Innocentius Papa III. obijt, vir ſtrenuus & literatus & qui in multis cauſſis honori & utilitati Eccleſiæ cognoſcitur præfuiſſe. Huic ſucceſſit *Honorius* III. Eccleſiæ montis-Sereni gravis turbatio nata eſt ex hujuſmodi cauſa. Tidericus Præpoſitus fratribus illis, quos in electione ſua adverſarios paſſus fuerat,

imper-

importunum se consueverat exhibere, & causas, pro quibus eos justè persequi videretur, nonnunquã confingere, ita ut aliquando in capitulo dicere non erubuerit, quod à quibusdam amicis suis veraciter audivisset, timendum sibi esse, ne ab his vitæ periculum sustineret. Totus enim contra ipsos ejus motus facilè ad minus in superficie mitigari potuisset, si illi suo eum arbitrio in his quæ agere voluisset relinquentes, mulcere adulationibus voluissent: quibus tantum delectabatur, ut per eas à sibi faventibus ad permittendum eis quid libet duceretur. Verum quia hoc ab istis consequi non poterat, qui non solum ei non adulabantur, sed etiam ubicunque contra utilitatem & honestatem Ecclesiæ aliquid agere voluisset, fiducialiter resistebant, non solum ipse eos persequi, sed & numerum eos impugnantium augere studebat, juvenes immaturæ ætatis propter hoc ipsum emancipando, & ad sacros ordines promovendo, quod tamen non usquequaque pro ejus arbitrio procedebat: quia illorum nonnulli, postquam libertatem consecuti fuissent, consideratis causarum circumstantiis, ei adversantium numero jungebantur. Tanta autem erat libertas ad libitum vivendi his, qui ei contra non suos militabant, quod duo ipsorum, quorum alter fuit filius fratris ipsius *Hermanni de Rosinvelt*, in tantam exarsisse feruntur insaniam, ut in cameram quandam, quæ erat in extremitate claustri à parte occidentali constructa, mulieres introducendi consuetudinem facerent, ut securè possent suas miserias augmentare, quæ res maximè Dei consuevit iracundiam provocare. Talis enim iniquitas *ex adipe* prodire dicitur, hoc est, ex superabundantia & securitate. Quod cum non solum familiæ, sed etiam provincialibus, notificari cœpisset, Præpositum latere non potuit, de quo etiam cum Priore & aliis quibusdam sæpe conquerendo tractabat, ita ut aliquando cum uno ipsorum secretè

cretò ad considerandum locum accessit, ubi mulieres fama vulgabat introduci. Dissimulabat tamen sicut de omnibus electionis adjutoribus, & quibuslibet sibi adulantibus, facere solebat, vel memor beneficii, vel adulationibus delectatus, vel etiam, quod minus verum non est, ut si forte aliqui ipsorum contrariari ejus sententiæ cœpissent, haberet unde ora eorum obtundere potuisset. Cum itaque aliquando à servientibus claustri diffamatum esset, mulieres ad locum illum introductas fuisse, rumore in tantum dilato, ut in villis & castris circumjacentibus de eodem facto etiam cantaretur, cum & mulier ipsa, ut consuetudo talium est, quasi pro jactantia, ad claustrum se fuisse, cunctis audire volentibus testaretur: Præpositus die quadam fratribus in capitulo congregatis, nullo de hac re verbum movente, dicebat, iniquè agere eos qui fratres suos de causis turpibus mala voluntate compositis infamarent, quod nuper factum esset, declinans omnino rem verbis manifestioribus aperire. Quidam enim familiarium illorum, quos infamia pulsabat, ei suggesserant, rumorem illum à quibusdam sibi adversantibus confictum pro odio eorum, qui libenter ei servirent. Licet autem Præpositus hoc non fictum, sed potius verum esse crederet, volebat tamen sibi suaderi, ut crederet fictum esse, & ut dissimulationem suam, quæ nimirum erat damnabilis, sibi excusaret, conscientiæ suæ vim faciens, se ipsum quod non credebat credere compellebat. Volebat vero per illum suum tractatum hoc efficere, ut his, quorum verebatur insultum, de hac re quidquam loquendi audacia tolleretur. Sed aliter quàm putabant evenit. Denique quidam ipsorum ex hoc magis moti, quod ipse causam, de cujus correctione pro timore Dei & honestate Ecclesiæ suæ tractare deberet, supprimere conaretur, responderunt; frustra sibi super hac re silentium imponi, quæ per ora omnium pro-

vincialium volveretur, petebantque ut de camera illa vindictam Deo faceret, quia de ea frequenter infamia nata esset, quod ipsi non aliunde magis, quam ex ipsius narratione didicissent. Præposito autem cum indignatione negante, se de hac re quicquam scire, nec aliquid ab eo de hoc auditum fuisse, illi eum Prioris, cum quo de hac re tractaverat, testimonio convicerunt. Vnde magis motus, & pene quid ageret nesciens, dicebat se conscientiam puram declarare velle, quia judicio illorum hujus facti conscius videretur, & stola sumta reos tacitis nominibus excommunicationis vinculo innodavit, præcipiens Priori, ne in confessione secreta eorum reciperet, nisi peccatum suum publicè faterentur. Ad se autem post iram reversus, graviter tulit, se pro illorum instantia tulisse sententiam, eosque die sequenti incusavit, quod ipsi fratres suos infamassent, & ut de hoc Deo & sibi & capitulo satisfacerent, præcepit. Illis autem pro eo, quod se non feciisse sciebant, pœnam sustinere recusantibus, eos excommunicavit, præcipiens eos à fratribus evitari. Hinc orta est inter fratres gravis dissensio, plurimis eorum dicentibus, injustè eos gravari, qui Dei causam exequi viderentur, nonnullis etiam, ut eos vitarent, nulla ratione consentire volentibus. Verum illi, ne turbationem augerent, à celebratione divinorum se subtrahere decreverunt. Hæc in adventu Domini gesta sunt. Porro familiares eorum quos opinio reos judicabat, in familiam illam falsa dicta esse contendebant, eamque excusantes, alterius facti, de quo melius taceretur, vestire pallio nitebantur. Neque vero ipsa sibi excusatio, diversis diverso modo excusantibus concordabat, nec videbant excusantes suis se conatibus impediri. Si enim nihil factum erat, quare excusando laborabant, ubi enim mali conscientia non est, excusatio necessaria non est. Vbi vero excusationem prætenderis, ostendis te ha-

te habere aliquid, quod excusatione indigeat, colorari igitur aliquid factum erat. Sed cum excusatio ipsa, præter hoc quod in rei veritate scitur, falsa fuisse etiam alio modo, scilicet sui diversitate, seipsam impugnans, destrueret, nonne tibi videtur id quod fama clamabat verum esse. Fratrum verò illorum, qui à Præposito gravabantur, (erant autem tres) unus ad Marchionem profectus, de violentia Præpositi conquestus est, nec tamen causam gravaminis ei etiam cum instantia requirenti voluit indicare, ne fratres suos infamasse apud principem videretur. Petebat autem ut Præpositum per nuncium suum ab eorum vexatione compesceret, per quem etiam posset ei causa competentiùs intimari. Marchio eum *VVitin* ad *Tidericum* de *Sladebach* cum suis literis destinavit, mandans ei ut causam sibi insinuandam cognosceret, & si posset amico fine terminaret alioqui eam suæ juberet audientiæ reservari. Prævenerat autem fratrem illum nuncius Præpositi de ipso & sociis suis Marchioni querimoniam faciens, & petens, ut eos, quia sibi obedientes esse nollent, ab aliorum præciperet consortio removeri. Marchio respondit se neminem ejicere, nec ut ipse quenquam ejiceret, pati velle. Militem verò de suis fidelibus, *Elegerum* nomine, qui causam, prout posset, convenientius terminaret, misit: Sed ne fratres illi in aliquo gravarentur interdixit. *Elegerus* villico quodam Marchionis, *Vlrico* nomine, cum aliis armatis, propter discordiam quæ inter Marchionem & Principes Transvannenses vertebatur, assumto, Dominica qua cantatur *Gaudete*, ad locum venit, & ipse inermis, cæteri verò armati, quidam etiam in nudis loricis claustrum ingressi, duos de fratribus illis, quia tertius à Marchione nec dum redierat, coram Præposito & capitulo, pro qua causa Præposito inobedientes essent, minaciter percunctati sunt. Illis autem pro se loqui volentibus,

Præpositus audientiam non esse eis dandam dicens, iracundiæ præcipitatione impulsus, causam illam nudis verbis expressit, addens illos hoc de suis fratribus confinxisse, scilicet quod mulier ad cameram illam introducta fuisset, & hac occasione misera illa fabula tota in auribus laicorum illorum effusa est. Consilium autem Præpositi cum illis tale fuit, ut duos illos terroribus tentarent, quod facere non dissimularunt, præcipientes eis ex parte Marchionis ut Præposito satisfacere maturarent, alioqui scirent à fratrum suorum consortio removendos vel certè incarcerandos, & Marchionis præsentiæ reservandos. Cumque in hujusmodi negotio magna diei parte consumta illi nihil à suo Præposito remolliti, alter ad recedendum paratus esset, alter verò vim potius exspectare velle se diceret; Elegerus fines mandati transire non præsumens, Præpositum cum nihil proficeret, ut ad concordiam cum eis rediret, & ab excommunicatione eos absolveret, hortabatur. Præposito hæc se facere promittente, si jurarent stare mandatis ejus. Illi petebant ut à Priore & fratribus inquireretur, utrum eos talem absolutionis modum antecessorum suorum auctoritas docuisset. Priore vero respondente, hæc ipsorum consuetudinem non habere, nuncius, ut eos sine juramento absolveret, postulabat. Quod cum se nulla ratione facturum diceret, ille indignatus, cum suis discessit, causa in medio remanente. Porro Præpositus conatum suum inanem esse videns, graviter tulit, seque jam de facili contemni posse considerans, pro eo quod ejiciendi à claustro sibi adversarios copia ei videretur ablata, in quo maximè ejus erat fundata fiducia, convocatis fratribus iracundia stimulatus, recessurum se, nec de cætero quamdiu inobedientes illos & excommunicatos ibi esse cognosceret rediturum, nec in aliquo eorum necessitatibus provisurum, animi motum gestu corpo-

corporis exprimens, minabatur. Quia verò plerique de fratribus junioribus à communione illorum abstinere nullatenus patiebantur, ut de his quoque vindictam caperet, quia erat in jejunio Decembris, alios eis inferiores in sacris ordinibus supponere conabatur, quod tamen per Dei gratiam efficere non potuit, Episcopo Merseburgensi, à quo promovendi erant, causis aliis à faciendis ordinibus impedito. Duravit autem hæc dissensio usque post circumcisionem Domini: post quod tempus Præposito jam de Merseburg, ubi natalem Domini celebraverat, reverso, *Tidericus* de *Sladebach* ipsum, & tres illos fratres, ut causam illorum, secundum Marchionis mandatum, cognosceret, *VVizin* evocavit: & adnitente *Poppone* Hallense Præposito, qui ibi aderat, negocium ad hoc usque tractando produxit, ut illi eo modo, quo Prior faciendum diceret, absolutionem petentes à Præposito absolverentur, & hoc fine totam discordiam terminaret. Die sequenti, quæ fuit vigilia Epiphaniæ Domini, Prior assumto Præposito Hallensi, juxta conditum fratribus illis dixit, ut in habitu quotidiano venientes veniam peterent & absolutionem. Deinde de suo tàm ipse quàm Præpositus cum instantia eos rogabant, ut scopam pariter secum exhiberent. Et hoc facto tàm ipsi quàm hi qui eis communicaverant, à Præposito absoluti ad concordiam redierunt.

Anno M CC XVII. Hujus anni die primo hoc est, III Kal. Aprilis obiit *Henricus* puer, Comes de *VVitin*, filius *Vlrici*, filii *Henrici*, filij *Conradi* Marchionis Senioris, anno ætatis suæ XII. sepultusque est in monte-Sereno in sinistra patris sui. Pro eo oblati sunt beato Petro duo mansi in villa *Richenbach*. Magna hunc puerum gratia Deus præveniisse cognoscitur, quia usque ad vitæ terminum calculi morbo castigatus est, & priusquam hæreditatis paternæ, quæ non us-

quequaque juſta erat, dominatum acciperet ex hac vita ſublatus eſt. *Tidericus* Sereni-montis Præpoſitus gravi debitorum pondere, quod ipſe ſibi alligaverat, preſſus, ſtulto nimis & noxio cum quibuſdam ſibi familiaribus conſilio inito, XXIV. manſos, quos *Rodolfus* Præpoſitus à *Friderico* Comite de *Brene*, etſi difficulter admodum tamen utiliter, emerat in villa *Niendorp*, eidem Comiti inconſulto capitulo obtulit redimendos hoc modo, ut ipſorum manſorum precio computato à CC. marcis quos Iudæis reddere debebat, quoſque ignorantibus fratribus mutuo acceperat, eum abſolveret, & reliquam partem reditibus aliis compenſaret. Eo tempore caſtrum *VVitin* ad jus Comitis, pacto inter ipſum & *Tidericum* Marchionem facto contigit devenire. Conventione autem inter Præpoſitum & Marchionem facta, Præpoſitus die quadam fratribus in capitulo inſinuare cœpit, quod Comes ei de bonis prædictis emendis inſtaret quia eis ad caſtri ſui ſervitium carere non poſſet. Volens autem ut coactionem etiam quadam ex parte Comitis intelligerent, dicebat Comitem hoc aſſerere, quod tempore primæ emtionis illorum bonorum talis inter ipſum & conventum fuiſſet facta promiſſio, ut partem reſiduam conventus tempore emeret conſequenti, quod etiam privilegium contineret. Vnde vellet, ut juxta promiſſum emtionem diutius non differret. Hæc autem à ſe ipſo ad ſternendam negotio viam, ut tamen ſalva Dei gratia exprimatur veritas, componebat. Quomodo enim eſt credibile, tam contrariis modis principem pro ſe agere voluiſſe. Si enim bona Eccleſiæ emere neceſſe habebat, cur bona ſua Eccleſiam emere compellebat. Fratribus verò dicentibus, illud privilegio non contineri, conſulto privilegio, illud ibi non haberi inventum eſt. Quaſdam præterea difficultates ab amicis ſuis expreſſas proferebat, quibus, quòd amiſſio illorum bonorum eis

eis Comite mortuo immineret, ostendere conabatur. Insuper advocatiam bonorum eorundem, quam bonis venditis, Comes se non vendidisse affirmabat, ipsum Comitem *Burggravio* de *VVitin* concessisse dicebat: à quo utique gravem essent violentiam toleraturi. Sicut autem, qui pugili sæpe congreditur, quâ parte ferire velit ex ejus gestu solet cognoscere, ita fratres ex assiduis tractibus, quasi ex congrediendi consuetudine, omnes Præpositi conatus facilè intelligentes, responderunt; quod si bona illa vendendi, sicut sibi videretur, haberet propositum, sciret eos sibi in eo nullatenus consentire. Ille verò tale propriè se non habere dicebat, sed tamen ista eis, ut voluntatem Comitis & scrupulos in bonis ipsius latentes cognoscerent, intimaret. Nec de hac re de cetero verbum movit: sed inde ad Comitem abiens, juxta modum præscriptum, negotium terminavit. Reditus autem alii, quos Comes recompensavit, habentur in villa *Provostinhagen* & *Richenbach*. in *Szoberiz* quidem XXV. chori, hoc est *VVischepele* triticum, reliquis verò duabus VI chori siliginis & XIX marcæ fertone minus. Porrò mansi de *Nienborch* in foribus ecclesiæ positi solvebant LXXX. choros de quatuor generibus frumenti, & servitium rusticorum.

Anno M CC XIIX. Fames magna facta est, quæ priori anno inchoata tantum invaluit, ut modius siliginis qui vulgo *Heimece* dicitur, tribus marcis & non nunquam cariùs venderetur. Hujus temporis necessitatem ecclesia Sereni-montis præ cæteris experta est. Cum enim multæ provinciales ecclesiæ rebus ha. longè inferiores nullum in se famis haberent vestigium, in ista tantùm viguit, ut fratres die quadam panem quò ad prandium uti debebāt mutuare in villis circumjacentibus cogerentur. Quadam verò vespera pane deficientes, incœnati manentes, omnium vicinorum suorum fabu-

fabula ſunt effecti. Tunc etiam hordeaceo & avenatico pane uti didicerunt: quibus priorum Prælatorum temporibus ſiligo nonnunquam intolerabilis videbatur. In aliis quoque eorum cibarijs tanta erat tenuitas, ut, quod dictu verecundum eſt, eos non ſemel in die lacticiniorum ſolo pane cereviſia remollito, vel fece calida contentos eſſe oporteret. Quoddam verò verbum ferebatur, quòd hi, qui ex ore Præpoſiti illud audiverant, recitare ſolebant, eò videlicet tempore quô electores ſibi conciliabat, illis cum promiſiſſe ſe, *quod ſi fieret Præpoſitus, ita eos procurare vellet, quòd contra ipſum vociferari compellerentur.* In quo promiſſo hoc tempore verax apparuiſſe cognoſcitur, licet cùm promitteret, aliter hoc intelligi voluiſſet.

Anno M CC XIX. Nova eccleſiam Sereni-montis quaſſabat turbatio, cujus principium tale fuit. Præpoſitus *Tiderico* parochiano Capellæ veteris officium Hoſpitalis, cùm ille hoc appeteret, conceſſit, Parochiam vero ab eo receptam alteri juniori, *Ottoni* nomine, commendavit. *Otto* parochianus factus, *Tidericum* de quibuſdam parochiæ rebus ablatis, & nonnullis ſibi retentis, primò per ſe, deinde per Præpoſitum cœpit impetere, pro qua re ab invicem diſſiluerunt, cum priùs ſpeciali concordia jungerentur. Marcam etiam unam, quam ex veteri conſuetudine Camerario in dedicatione eccleſiæ de ſacrificio ipſius diei Tidericus dare tenebatur, uſque ad tempus, quo ipſe à parochia receſſit, quod fuit circa feſtum Michaëlis non dedit, ad cujus redditionem à Præpoſito arctabatur. Habebat idem unum de fratribus familiarem, qui cùm timoris Dei & ſuæ famæ negligens eſſet, multipliciter excedebat, ita ut etiam ad villas circum-jacentes noctib⁹ eum fama diſcurrere teſtaretur: ſed patrocinio *Tiderici* tutus eſſe videbatur. Erat hic duorum alter, propter quos in cauſa Cameræ ſuperiùs poſita turbatio facta eſt.

est. Hunc enormiter vivere Præpositus, multis eum accusantibus, non ignorabat: sed propter patrui sui gratiam accusationem dissimulatione solita negligebat. Verum rancore inter Præpositum & *Tidericum* causæ *Ottonis* orto, Præpositus etiam hujus ineptias de cetero nō dissimulandas decernens, pro his eum disponebat impetere, intendens etiam, ut erat opinio, eidem causæ, si posset, *Tidericum* involvere, quia de eo quoque propter omninodam illius familiaritatem siniſtræ suspicionis habere aliquid videbatur. Tidericus verò tum pro his, tum pro prioribus, non nihil solicitus, conatum ejus quem jam senserat prævenire cupiens, fratribus illis quos Præpositus adversarios deputabat quosque pro hac re continuis VII. annorum labore attriverat, à quibus se pro nonnullis, quæ per ipsum & propter ipsum passi fuerant, minus diligi certus erat, satisfactionis verbis per quosdam alios interpositos reconciliatus est: eisque quid haberet propositi indicavit, non aliud tamen ab eis petens, nisi tantùm ne se ei adversarios exhiberent. De quo certior factus die quadam, quæ fuit vigilia Apostolorum, cum Præpositus eum in capitulo de marca Camerario reddenda alloqueretur, in medium processit, & super damnis quæ Præpositus ecclesiæ suæ plurima intulisset, ad præsentiam summi Pontificis appellavit. Poterat Præpositus improviso ejus insultu in admirationem duci, vel etiam terreri, sed litigandi consuetudine, quâ seipsum & sibi subditos vexare consueverat, appellationem quasi familiare aliquod alloquium attendebat. Experimento autem sciens, valde eum ex officio hospitalis ad agendum contra se adjuvari posse, ipsum officium ei interdixit, quod etiam incontinenti fratri alteri commendavit. Sed tamen Tiderici diligentia præventus est. Duos enim equos de eadem domo ante horam capituli ad locum tutum, suis servandos usibus,

destinavit. Paucis evolutis diebus Tidericus de suo acturus negotio egressus est. Præpositus quoque Merseburg ut à suo fratre Præposito consilium caperet, profectus est. Inde rediens, juxta datum consilium, fratribus in capitulo collectis, scire se velle dicebat, qui essent ipsorum Tiderici faventes, quoniam ille hunc rumorem, quòd majorem capituli partem sibi faventem haberet, in locis pluribus divulgasset. Præcepitque singulis sub debito obedientiæ, ut si appellationi ejus consentirent, aut non, inquirenti sibi, ita, vel non, simpliciter responderent. Cumque plures requisiti se consentire negarent, quidam contra suam conscientiam absolutè negare nolentes, videri sibi illum super causa necessaria appellasse, & si quid communiter utile promovere posset, in hoc se ei, & non in alio, consentire se responderunt. Præposito autẽ gladio præcepti imminente, ut absolutè negarent vel affirmarent, ad aliud responsum induci nullatenus potuerunt. Vnde eos, tanquam illum, qui appellaverat, pro adversariis habere cœpit : quos tamen in hac causa sibi adversantes nullo modo expertus fuisset, nisi districta inquisitione suam eos conscientiam prodere coëgisset. Erant ipsi, non solùm ex contradictoribus, sed etiam ex primis electionis ejus fautoribus, adunati. Pluribus enim suorum jam dudum valdè displicere cœperat, propter omnimodum tam exteriorum quam interiorum defectum, ex ejus culpa ecclesiæ impendentem : quod tamen plerique eorum callide occultabant : tum ne privatis fortè commodis privarentur, tum per experientiam impetus ejus, quò inconsideratè contra adversarios suos ferebatur. Nonnulli verò, quod deterius est, post tergum eum lacerantes, si fortè, quod in cotidiano usu erat, litem cum aliis eum movere contingeret, contra ipsos ei, oblitiverecundiæ assistebant : non quidem gratis, sed ad placitum vivendi sibi tali obsequio licentiam procuran-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [198] - 122
PUBLIC DOMAIN

curantes. Interim *Tidericus*, incertùm verò, an audacis incoepti pœnitens, an amicorum ſuorum inductus conſicio, ad *Tidericum* Marchionem accedens, ei de Præpoſito & damnis eccleſiæ ſuæ conqueſtus eſt, ſimul etiam quòd ipſe ſuper his appellaverat, indicavit. Marchio ſuper appellatione indignatus, ne eam perſequeretur, interdixit. Ad ejus verò inſtantiam *Conradum* Epiſcopum de *Sichem* patruum ejus, & *Ekkihardum* Epiſcopum Merſenburgenſem ſuis rogavit literis, ut ad eccleſiam *Sereni-montis* perſonaliter accedentes, de cauſa illa, prout eis videretur utilè, ordinarent, mandans etiam Præpoſito, ut per eos terminari negotium conſentiret. Epiſcopi diem II. Kal Auguſti, qua petitioni Principis ſatisfacerent, ſtatuerunt. *Tidericus* quoque die illa proximè præcedente, hora jam tardiore, venit, ut in craſtinum Epiſcoporum ſe præſentiæ exhiberet. Præpoſitus verò adventu ejus cognito, equos, quos ille de hoſpitali ſumptos in ſuis habebat uſibus, auferre volens, cum fratribus ſibi familiaribus non ſine impetu excurrit. Videns autem eos per inermes auferri non poſſe, quoniam fratres Tiderici *Conradus* & *Iohannes* & ſervientes ipſorum, qui cum eo advenerant, evaginatis gladiis hoc prohibere parati erant: ipſe per ſe vocem, qua vulgari voce ad arma evocari populus ſolet, cum clamore ſæpius edere cœpit. Ad quam tota familia cum armis concurrit, nec non & inſtitores, qui juxta conſuetudinem ad celebrationem Dedicationis jam plures fuerant congregati. Quidam etiam juniores de numero fratrum *Tiderico* laventium tumultu evocati procurrentes è clauſtro, de ſenſoribus equorum juncti ſunt. Porrò collaterales Præpoſiti, alii lapidibus, alii armis quibuſdam raptis, magnis perſtrepentes vocibus, ad tollendos equos eos, qui erant de familia, hortabantur. Tam verò illi quàm hoſpites qui convenerant, fratres contra ſe altrinſecus di-

visos videntes, simul etiam *Tiderici* fratres attendentes, à quibus occasione hujusmodi fortassis in posterum gravari potuissent, violenter aliquid agere verebantur. Sicque illis quiescentibus, & equos abduci sinentibus omnis ille conatus Præpositi ad nihilum deductus est. Fratres verò qui cum Tiderico aderant, multis tam à Præposito quàm à suis verborum contumeliis affecti, cùm tumultu finito ad claustrum regredi voluissent, præclusam sibi januam invenerunt, ad hoc eorum æmulis nitentibus, ut si noctis tempore foris eos manere contingeret, & ipsi quietem perderent, & major contra eos Præposito daretur occasio malignandi. Difficultate itaque facta unus ipsorum murum iuxta infirmatorium fratrum transgressus per ecclesiæ januam ceteros intromisit. Eo tempore *Albertus* Archiepiscopus & *Ekkehardus* Merseburgensis Episcopus ad ecclesiam *Novi-operis* accesserant, pro cujusdam causa turbationis, quam hîc inserere non pigebit. Femina quædam insaniæ non obscuræ adprædictam ecclesiam conversionis, quantum ad habitum, intentione veniens, primò, ut ad tempus aliquod more hospitis colligeretur, & cum sororibus ecclesiæ, quarum una mater ipsius erat, mansionem acciperet, dato officialibus expensarum pretio impetravit. Erat tunc ibi quædam Præpositi neptis *Popponis* de ecclesia quæ dicitur *Steterlingenburg*, cui illa obsequiosa cœpit existere, ut per eam rei quam intendebat aditum præpararet. Evenit itaque aliquando de conversione ejus sermonem moveri, Præposito ad consensum ejus & quibusdam fratribus inclinatis. Quibus etiam, ut fertur, per quosdam Archiepiscopi notarios negotium promoventibus, ejus præcepto ad magnum ecclesiæ illius malum à Præposito recepta est. Verùm cùm receptioni ejus nonnulli fratrum vehementer obsisterent, illa neptis Præpositi graviter ferens, quòd post ejus consensum aliqui reclamare præsumerent,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [200] - 124
PUBLIC DOMAIN

rent, procaciter eis obloqui & verborum cœpit injurias erogare. Vnde illi permoti legationi ſcriptæ ſigillum eccleſiæ, incertum unde illud habuerint, imprimentes, eamque conventui illius feminæ deſtinantes, de ea conqueſti ſunt, ut ad ſuam revocaretur eccleſiam poſtulantes. Quam literam illa à ſuo conventu cum ſigillo ſibi tranſmiſſum Præpoſito cum gravi querimoniâ & indignationis lacrymis demonſtravit. Præpoſitus magnæ iracundiæ ſtimulis mœſtatus, Archiepiſcopo de fratribus illis conqueſtus eſt. Quos ille inquiſitione facta confeſſos, de conſilio Epiſcopi Merſeburgenſis, cujus favorem ſibi Præpoſitus conciliaverat, qui eos falſarios dicebat, tanta diſtrictione punivit, ut præter alias quas ſuſtinere compulſi ſunt pœnas, toto corpore uſque ad femoralia nudi ſcopas ferentes diebus Dominicis cruces præcedere cogerentur, & per diverſas ſigillatim eccleſias ad agendam pœnitentiam diſtributi nunquam de cetero ad ſuam eccleſiam, niſi revocante Præpoſito, præceptum acciperent redeundi. Nunc ad propria recurrendum eſt. Præpoſitus ſequenti die tumultus prædicti, qui fuit vigilia Dedicationis eccleſiæ, manè *Hallis* profectus, Archiepiſcopo & *Merſeburgenſi* Epiſcopo ſe proſternens, cum gravi querimonia omnem *Tiderici* cauſam cœpit evolvere eumque multipliciter infamare: & cum ad locum tumultus heſterni veniſſet, dicebat, fautores *Tiderici* mores clauſtri tranſcendiſſe, & ſuper ſe armatos cultris & ſecuribus excurriſſe, pro qua re, ſi ipſi hoc dignum judicarent, celebrationem divinorum in præſentia ipſorum ſe velle ſuſpendere memorabat. Epiſcopi, ſi res ita ſe haberet, dignè eum hoc agere reſponderunt. Inter hæc verò Tidericus advenit, Epiſcopum Merſeburgenſem, ut ad cauſam tractandam juxta condictum accederet, rogaturus. In quem ille propter ea quæ à Præpoſito audierat vehementer infectus, dicebat ſe ad cauſam

sam ubi cultris & securibus ageretur nullatenus accessurum. *Conradus* interim Episcopus de *Sichem*, Tidericode *Hallis* reverso, adveniens, cùm *Merseburgensem* venturum non esse didicisset, dolens quòd conturbationem ecclesiæ post se relinqueret, discessit. Præpositus autem à consultatione Episcoporum rediens, cùm jam vespertinum celebrandum esset officium, fratres convocat, à celebratione divinorum eos cessare præcipiens, nisi se illi à quibus tantum fuisset passus contumeliam absentarent; volens intelligi eos in Canonem incidisse. Quibus in hoc nulla ratione acquiescentibus, tantæ solennitatis consideratione, & multorum petitione, inter quos *VVillehelmus* Cillensis Præpositus coram ipso prosterni volebat, induci non potuit, ut sententiam revocaret. Sicque vespertinum & matutinale officium nocte illa omissum est. Die tamen sequenti missæ celebrationem fieri concessit, cui solus ille absens fuit. Archiepiscopus verò ipso die adveniens vespertinum officium cum fratribus præsente Præposito celebravit, quâ peractò, convocatis eis dicebat, quod si voluntas eorum esset, ad informandam inter ipsos concordiam se vellet interponere; addens, quòd, licet ecclesia illa juri suo pertinens non esset, tamen cùm in annis prioribus ex oportuno ejus statu diœcesis sua ad modum honestata fuerit, & sui ipsius & multorum judicio nimis esse vituperabile, si ruinæ ejus jam jamque imminenti non aliquo consilio subveniret. Præposito verò ad consensum veniente, ut per ipsum causa tractaretur: Tidericus & fratres partis ejus per hoc solùm à consensu se retardari respondêrunt, quòd causa ad Marchionis advocati sui notitiam ex eorum querimoniâ veniret, & ignorarent, utrum per alium, quàm per se tractari pateretur. Nam si hoc ei contrarium non esset, libenter se acquiescere consilio Pontificis affirmabat. Ille responsum eorum approbans,

bans, causam quandam Marchionis & *Sifridi* Abbatis *Pigavienſis* in assumtione Dei genetricis *Pigaviæ* tractandam memorabat, ubi ipse adesse deberet, jussitque ut permittente Præposito aliqui ipsorum die prædicta de hac re Marchionem consulturi ad locum illum accederent. Sicque demum, ut medio tempore Præpositus in quiete & tranquillitate eos agere sineret, ordinans, non parvum commodum eis præstitisse visus est. Porrò isti contentionis suæ causam considerantes, hanc videlicet, quòd Præpositum damna ecclesiæ suæ multiplicia non sine fratrum injuria irrogasse asserebant ut ea primitùs demonstrare possent, singula scripto distinguere curaverunt. Erant autem hæc, quod inconsultis fratribus mansos ecclesiæ vendidisset, nemora succidisset, vinum pro pecunia infœdasset, & de hoc privilegia occultè cum sigillo ecclesiæ præbuísset. Ad hæc diligenti computatione facta ostendere parati erant, quòd in vino, quod annis singulis natum erat, & aliorum venditione bonorum, & pecuniam quam à diversis mutuo acceperat, præter annuos ecclesiæ reditus, IIIM. & DCL. marcas in octo annorum spatio percepisset, exceptis aliis, quæ eorum notitiæ non patebant, & tamen fratres in rebus necessariis inopiam sustinerent, adeo ut tam sacerdotes, quàm alios altaris ministros crebrò sine camisiis & femoralibus contingeret ministrare: defectum similem in aliis indumentis sæpissimè tolerantes. Die verò prædicta quidam ipsorum *Pigaviam* accedentes, Præposito etiam illuc adveniente, in præsentiam Marchionis venerunt. Qui cùm verbo illi de Archiepiscopo noluisset consentire, ne fortè occasione tali aliquid in ecclesia illa juris sibi inposterum arrogaret, illi querimonias suas ei ad plenum verbo significandi copiam non habentes quod propriis impediretur negotiis, scripturam querimonias ipsas continentem ei porrexerunt, petentes ut otiosus

sibi

sibi eam faceret recitari. Marchio diebus aliquot eos detinens, cùm causæ discutiendæ se vacare non posse conspiceret, redire eos præcepit, promittens quòd auditores eis *Popponem* Hallensem, *Marquardum* S. Mauritii, ... Nemburgensem, *VVillehelmum* Cillenensem, & *VVernherum* de *Lipzke*, Præpositos destinaret & secundum ea quæ ab illis audiret, inter eos proculdubio judicaret. Illi autem, quamvis per prædictos se potius impediendos quàm promovendos certissimè præviderent, quod etiam Marchioni exponere non neglexerunt, tamen ordinationi ejus obstinatius resistere non audentes, reversi sunt. Cumque negotium totum ad præsentiam illorum qui mittendi erant, crederent differendum, Præpositus repentè eos, qui partis Tiderici in vespertino illo tumultu de claustro exierant, cœpit impetere, eos, ad sui læsionem asserens excurrisse, novoque corrigendi modo, priusquam reatum faterentur vel convincerentur, vel satisfactionem promitterent, continuato sermone pœnam, quam nos ferre vellet, exposuit. Intendens sicut quidam judicabant, ut eos auditu penè territos contra pœnitentiam induraret, & consequenter contra eos tanquam contumaces posset sententiam jaculari. Illis autem de exitu quidem intempestivo satisfactionem promittentibus, de intentione verò eum lædendi omni modo, quo fratres ipsorum judicarent, se expurgare volentibus, ipse purgationem eorum se non admittere cum indignatione respondit, & utrum pœnam, quam innotuisset, ferre vellent, minaciter inquisivit. Renuentibus eis, statim intentionem suam facto declarans, manu ad tergum porrecta, stolam ibi occultatam protulit, & priusquam appellationis clypeo se munirent, excommunicationis eos gladio percussit, tam in divinorum celebratione quàm rebus aliis, à cæteris fratribus districtè eos præcipiens evitari. Accidit autem,

tem fratribus à divinorum celebratione ceſſantibus, cùm videlicet illi ſe abſentare voluiſſent, Comitem quendam de *Velſekke Erneſtum* nomine ad locum venire. Hic à quibuſdam Præpoſiti familiaribus inductus ad ſopiendam illam diſcordiam, ſe cœpit interponere, & tam Præpoſiti quam fratrum illorum animos ſuaſionibus attentans, tantùm profecit, ut Præpoſitus promitteret ſe eos abſolvere ſi tantùm uno die pœnitentiam injunctam ſervare voluiſſent. Sicque illis in hoc acquieſcentibus, motus ille ſedatus eſt. Deinde *Tidericum* abſentem quidem & quaſi in perfectionis ſuæ promotione extra occupatum, Præpoſitus excommunicavit, pro eo quòd equos hoſpitales abſtuliſſet, & vinum & quaſdam res alias ad cibum pertinentes de domo illa vendidiſſet qudoq; marcam illam, quam Camerario dare tenebatur fratrum ſuorum uſibus ſubtraxiſſet. Et ne quis ei redeunti fortaſſis communicaret, diſtrictè omnibus interdixit. Hæc circa feſtum nativitatis Dei genetricis geſta ſunt. Inſtante verò appellationis ejus termino, qui fuit in feſto S. Michaëlis, fratres illi, qui cauſam cum eo communem ſibi fecerant, judicantes eum tædio negotii profectionem ſuſpendere, hoc ſecum diffinivêrunt, ut ſi infra terminum præſcriptum proficiſci negligeret, ipſi eum tanquam excommunicatum cum ceteris evitarent. Quod ille intelligens graviter tulit, citò tamen conſilium, quo, ſicut dici ſolet, ſpinam de pede ſuo evulſam illis infigeret, invenit, mandans eis & ſuo & amicorum ſuorum judicio, bonum non eſſe ut ſolus illud iter acciperet, velle ſe ut ſocium de numero ſuo ei darent, quia & ex duorum ingenio plus elicitur conſilii; & ſi ipſe ægritudine vel alio caſu detentus fuiſſet, ille in promotione cauſæ ſuccederet. Præterea teſtis ei eſſet quo ſtudio ipſe in illo negocio deſudaret. Laudandum conſilium: intentio tamen ejus ſecundum illorum opinionem fuit, ut qui tanto

labori se subjiceret, inter eos non invento, quod quasi certum habebat, ipse culpa in eos refusa, se modo aliquo à causæ illius vinculo expediret. Verum illi secum collocuti omnem causæ circumstantiam considerantes, quantum videlicet damni ecclesiæ suæ intus & extra ex culpa Præpositi provenisset, quantisque ipsos ei resistentes laboribus subjici contigisset, hocque solum perfectioni sui operis deesse, quòd querimoniam suam nec dum innocentiam sedi Apostolicæ detulissent, quæ res per nullum meliùs quàm per ipsum, utpote res habentem, impleri posset, labori ejus sine magna difficultate socium invenerunt. Zelum enim Dei habebant, licet non secundum scientiam. Quid sit enim *non secundum scientiam*, consequentibus Apostoli verbis exponitur; *quia* scilicet *ignorantes Dei justitiam & suam volentes constituere, justitiæ Dei non erat subjecti.* Iustitia enim Dei idem Deus justus peccatis exigentibus talem eis rectorē dederat, secundum quod dicit: *Dabo tibi reges in furore meo*: cujus justitiæ isti voluntate subjecti non erant, quia ejusdem rectoris sui depositioni modis omnibus intendebant, sua justitia hoc se facere justè pro eo quòd esset inutilis judicantes, magisque eligentes Dei ordinationi resistere, quàm seipsos accusare; cùm utique rectius eis fuisset de peccatis suis, quibus inutili subjici meruerant, pœnitentiam agere, eum tanquam à Deo datum æquanimiter tolerando, & ab ipso datore remedium expectare. Vt enim dicit beatus *Gregorius* lib. moral. xxv. *Dum salva fide res agitur*, id est, quamdiu actio Prælati fidei contraria non est, *virtutis est meritum si quicquid prioris est toleratur.* Et ut subditis fortassis Zelum Dei habentibus ejusdem zeli moderamine erga Prælatos tenendum ostenderet, continuò subjecit; *Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valent, quod sibi displicet, emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata*

nata defensio, ne dum rectitudo in cauè diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur. Iuxta hanc lineam se dirigant, qui Prælatis suis inordinatè aliquid agentibus resistere consuêrunt, ne si ab ejus rectitudine distorti inventi fuerint, inde pœnam sibi acquirunt, unde remedium expectabant. Igitur *Tidericus* dato sibi comite, & per eum excusandi occasione sublata, vix tandem ægrè expeditus die martyrum Sergii & Bachi profectus est. Eo tempore Papa, Romanis ab eo discordantibus *Viterbis* morabatur. Præpositus verò cùm *Tidericum* prius, ut dictum est, excommunicasset, etiam socium ipsius, cùm jam profectus esset, licet antè appellasset, eidem sententiæ innodavit. Post horum duorum recessum Prælati illi à Marchione missi advenientes, cum eis qui erant residui fratribus, de causa Præpositi & ipsorum tractare cœperunt. Auditis verò eorum querimoniis, & responsione Præpositi, commune sibi cum Præpositò hoc negotium reputantes, ut in illo se ipsos tuerentur, querimonias quidem, quibus tota conclamabat provincia nihil habere ponderis, esse verò difficile & prorsus intolerabile tam Præposito quam omnibus Prælatis ut nihil præter subditorum suorum bene-placitum agerent, aut de singulis quæ egissent rationem ipsis redderent, judices æquissimi responderunt. Nec tamen causam in lite relinquere utile videbatur, ne ipsæ frivolæ & sine pondere querimoniæ iteratò ad Marchionis notitiam deferrentur, cujus nimirum de his suæ dissimilem fore sententiam verebantur. Ideoque fratribus illis suadebant, ut litigandi intentione depositâ, appellationis consensui renunciarent, & ipsis mediantibus se concordari cum Præposito paterentur. His verò ad compositionem quidem faciendam eorum voluntati acquiescentibus, ut saltem usque ad duorum, qui profecti erant reditum à vexatione Præpositi respirarent, sed verbo renunciandi omnino contradicentibus, illi ipsum

verbum, ne impedimentum eorum intentioni faceret, dissimulantes, eisque ut nudis pedibus scopas ferentes coram Præposito veniam peterent injungentes, & è diverso, ut Præpositus hac satisfactione contentus, eis reconciliaretur decernentes, illam visi sunt discordiam terminasse, & hoc quidem XI. Kal. Novemb. gesta sunt. Porrò *Tidericus* & ejus socius circa principium Februarii de partibus transalpinis cum mandato summi Pontificis redierunt, quo de *VValkinride* & de *Riddageshusin* & de *lapide S. Michaëlis*, Abbatibus injungebatur, ut de veritate eorum, quæ Præposito ab his objicerentur, inquirerent, & causam ipsam regulariter terminarent: revocantes in irritum, quicquid post appellationem contra prædictos, vel eorum fautores, à Præposito invenissent temerè attentatum. Abbates, juxta quod in mandatis acceperant, missis Præposito literis præceperunt, ut fratribus suis convocatis die beati Georgii ipsorum in ecclesia Sereni montis præstolaretur adventum, ubi de injuncto sibi essent negocio tractaturi. *Gernotus* Nienburgensis Abbas cum *Henrico* Comite *Aschariæ*, filio *Bernhardi* Ducis pro-advocatia ecclesiæ suæ longi temporis habens discordiam, ab hominibus ejusdem Comitis oculis erutis cœcatus est: cui etiam cum iidem linguam conarentur abscindere, recurvato eam sagittæ ferro eique infixo trahentes, illo violenter retrahente, scissam per medium reliquerunt. Vnde cum postmodum prorsus impeditum haberet loquendi officium, adhibito medico partem linguæ scissam truncari, eamque ad modum naturalem informari fecit. Ante hac autem, tempore nuper elapso, unus de fratribus ecclesiæ Nienburgensis obierat, quem Abbas pro eo quòd inter res ipsius, quas moriens dimisit XIX nummos invenerat, extra cœmiterium sepulturæ tradi jussit, ipsosque denarios super eum jactari à dicentibus: *pecunia tua tecum sit in perditione;*

ditione; mandans insuper, nequis pro eo orationem privatam vel publicam celebraret. Nocte verò, quæ diem mutilationis Abbatis antecedebat, frater idem mortuus alteri cuidam fratri in somnis visus est in claustro deambulare, vas aliquod ferens prunis ardentibus plenum, cui cùm casu Abbas, ut videbatur, occurrisset, prunas ipsas in faciem ejus jactavit & disparuit. Die altera, visione jam per plurimos divulgata, fratres inter se jocosè quidem interpretationem ejus hanc asserebant, quòd videlicet frater ille exacturus esset de Abbate de illata sibi contumelia ultionem. Cùm verò de casu Abbatis nuncium accepissent, non sine admiratione visionis illius recordati sunt. Hoc ideo commemorare libuit, ut intelligatis, non semper Prælatorum sententiam Dei judicio approbari, sed ipsos sæpius pro eo, quòd potestate sibi à Deo commissa non ad corrigendos sed ad gravandos, ut non dicam damnandos, subditos abutuntur, homines videlicet non peccata persequentes ultionis divinæ sententiam promereri. Rusticum etiam quendam ex jussu Abbatis captivatum, judex villæ Nienburgensis in vinculis diu detinuit, causa tali contra ipsum composita, quæ mortis esset sententia puniendæ; hoc Abbate intendente, ut timore sententiæ rebus suis se redimere festinaret. Cùm verò ille innocentiæ suæ conscius ad dandum pro se aliquid induci non posset, & diu maceratus ad magnum corporis venisset defectum, judex de ipso Abbati suggessit, petens, ut eum à vinculis relaxaret. Illo nolente sed potius, ut juxta causam contra ipsum compositam de eo judicaret, præcipiente, invito & plurimùm dolente judice rota confractus est. In eodem autem campo, quo ille accepit sententiam: Abbatem postmodum contigit excœcari, credo ut ex hoc intelligeret, se ad tanti reatus pœnitentiam commoveri.

Bernhardus Comes de Lippia, vir seculi actibus deditus, post multa bella, inter quæ rapinis & incendiis multis injuriosus extiterat, Deo inspirante, animo habituque mutato, in quadam ecclesia novella, quæ primitus *Hosevvinkele* dicebatur, primùm Cistertiensis ordinis monachus, demum ejusdem loci Abbas factus, ac deinde cuidam Provinciæ *Livoniensi* Episcopus electus, & à filio suo Episcopo de *Vtrecht* consecratus est. Cum quo etiam sequenti anno alium filium suum *Bremensem* Archiepiscopum consecravit.

Anno MCCXX Abbates de *VValkinride* & de *Lapide S. Michaëlis* die beati Georgii *Serenum-montem* venerunt tertio videlicet *Riddageshusin*, quòd interesse non posset, sed quicquid illi rationabiliter agerent, hoc ratum haberet nuncio & literis affirmante. Quæ verò in horum præsentia gesta sunt, ex scripto ipsorum, quod subjectum est, melius declaratur. *Fridericus Dei gratia de VValkinride, Conradus de Riddageshusin & Tidericus de lapide S. Michaëlis Abbates, universis, ad quos præsens scriptum pervenerit, notum esse volumus, quod cùm à summo Pontifice acceperimus in mandatis, ut ad reformandum statum ecclesiæ Sereni-montis, super quibusdam articulis de Præposito ejusdem ecclesiæ à suis subditis ipsius auribus intimatis, inquireremus diligentius veritatem, ad locum ipsum accedentes, partes, ut ad bonum pacis redirent, multipliciter hortabamur, quæ tandem se post allegationes multimodas P. Novi-operis in Hallis & VV. in Lipzke Prapositorum, H monachi in VValkinride, & A montis-sereni canonicorum regularium arbitrio submiserunt, tam in nostras quàm ipsorum arbitrorum manus fideliter promittentes, vel quòd omnes, vel eorum tres, partibus præciperent observandum, ipsi modis omnibus adimplerent: nobis nihilominus hac auctoritate concessa, ut per censuram ecclesiasticam compesceremus, siqua partium eorum statutis præsumeret obviare. Nos igitur, ut in negotio liberius possent proce-*

procedere arbitri memorati, excommunicationis vinculo innodavimus partem, quæ eorum arbitrio ausu temerario contrairet. Forma igitur arbitrii hæc: Dominus Tidericus Præpositus Sereni-montis quos se dicit excommunicasse, ad abundantem cautelam in continenti debent absolvi sine pœna. Reliquum arbitrii dominis delegatis & eorum fratribus, & hujus ecclesiæ conventu præsentibus promulgabitur in capitulo. Dominus T. & Dominus C. tam pro se, quàm sibi faventibus, coram Præposito venient petentes, & Dominus Præpositus levabit, & in osculo pacis pro omnibus recipiet. Dominus Præpositus pro se sigillum habebit: conventus pro se sigillum habebit: sub sigillo ecclesiæ Præpositus nihil scribet sine consensu conventus, & è converso. Dominus Præpositus summam pecuniæ, quam Dominus Marchio debet huic ecclesiæ, vinum scilicet & mansos seu curtes ad consilium conventus bona fide, quæ recuperare potest, recuperet. Inposterum verò possessiones ecclesiæ aut vinum, sine consensu capituli in beneficiare non præsumat. De personis in collegium fraternitatis recipiendis, tam inviris quàm in fœminis, nullum recipere præsumat Dominus Præpositus sine consensu capituli, maximè sacerdotum. Dominus Præpositus de rebus ecclesiæ violenter ablatis in quoslibet laicos judiciariè canonicam debet expetere ultionem. Dominus Tidericus de Crozuk comparavit quasdam imagines ad ornatum altaris, quas si habet, bona fide restituat. Omnis rancor inter fratres cessare debet: & hinc inde objecta omnino sint sopita, & siquis ea revocare vel tractare præsumserit pœnæ arbitrii subjacebit, si fuerit convictus. Dictum est, quod Dominus Præpositus negligens fuerit circa disciplinam claustralem. Ad hoc dicit arbitrium, quòd nemo claustrum egrediatur sine licentia Præpositi, vel Prioris, ad cavendam infamiam. Siquis egrediatur pro inobediente judicator. Clausuris & proprietatibus careant. Janua claustri, cum janua scholarum, firmiter claudatur de nocte, clavis etiam mittatur Priori. Actum in Monte-Sereno Anno Dominicæ

minicæ incarnationis M CC XX VII *Kal. Maii.* Hunc finem habuit contentio occasione Tiderici excitata, quæ Sereni-montis ecclesiam decem mensibus inquietavit. Ex hoc quidem arbitrium ad reformandum in melius ejusdem ecclesiæ statum sufficiens fuit, efficiens verò prorsus ad aliud non invenitur, nisi ut eis, pro quibus factum est, salutis ex eo periculum procreetur, quod tamen de ejus observatione non provenire certum est. Ecclesia autem major *Halverstadensis* consecratur sequenti die Assumptionis Dei genetricis à *Friderico Halverstadensi*, *Sifrido* Hildesheimensi, *Conrado* Mindensi, Havelbergensi & *Christiano* Pruciæ Episcopis, anno, postquam à Duce *Henrico* exusta est, XLI. Caput S. *Mauricii* ab *Alberto* Archiepiscopo ablatum è *Magdeburg*. Castrum *Tuch* ab eodem Archiepiscopo contra *Tidericum* Marchionem ædificatum est. *Fridericus* Rex ab *Honorio* Papa III. in Imperatorem consecratur Romæ, in die beatæ Ceciliæ cum summa pace. *Tidericus* Misnensis & Orientalis Marchio, filius *Ottonis*, filii *Conradi* Marchionis Senioris, obiit XIII. Kal. Martii, sepultusque est in cella juxta patrem suum. *Albertus* Archiepiscopus, rogatus à *Tiderico* Præposito, in quatuor temporibus quadragesimæ primitùs in ecclesia Sereni-montis clericorum ordines celebravit.

Anno M CC XXI. *Poppo* Hallensis ecclesiæ Præpositus à Prælatis capituli Goslariensis in patrem electis *Tidericum* Sereni-montis Præpositum excommunicavit pro hujusmodi causa. *Tidericus* Marchio Orientalis, filius *Conradi* Marchionis senioris, hortatu *Ekkehardi* Præpositi Sereni-montis, ad servitium patrum jam dicti capituli, in die exaltationis S. crucis, reditus duorum talentorum dedit in villa *Storcwiz*, sub hac forma, ut per manus Præpositi Sereni-montis, qui pro tempore fuisset idem, redditus eis annis singulis ministrare-

straretur; & si celebrationem illius capituli quocunque modo deleri contingeret, ecclesia Sereni-montis ipsa bona libere possideret: & hoc factum privilegio confirmavit. Præter hæc autem quidam fidelium, pro bonæ voluntatis arbitrio, tantum de rebus suis ad idem opus annis singulis, quamdiu vixêrunt, dare consuevêrunt, ut summa v. marcarum colligeretur, de quibus eis, qui ad capitulum die prædicta convenissent, Præpositus serviebat. Annis verò pluribus evolutis, & eisdem datoribus mortuis, soli Marchionis reditus remanserunt, de quibus cùm *Tidericus* Præpositus aliquot annis juxta priorum suorum consvetudinem servire negligeret, propter bonorum illorum, ut ipse asserebat, à bellantibus devastationem, Prælati illi coram Patre capituli Præposito Hallensi sæpius conquesti sunt, injuriam tamen ei parte aliqua irrogantes, quoniam ab eo supra duo talenta etiam hoc, quod ab aliis fidelibus addi consveverat, quodque eis defunctis dari cessaverat, exigebant. *Poppo* verò Præpositus, cum eum priori anno ab officio suspendisset, quod tamen nunquam ei sicut oportuit significavit, sequenti anno ad conquerentium instantiam hoc adjecto, quod biennio à capitulo se subtraxisset, excommunicationis contra eum sententiam promulgavit, cujus rei potestatem eum habere Prælati illi asserebant ex quibusdam verbis, quæ in privilegio Eugenij Papæ, quod de confirmatione capituli Goslariensis dedit, continentur, hæc probantes; quæ ita se habent: *Fratres quoque qui de nostris claustris assumti in alijs ecclesiis sunt constituti Præpositi, aut in posterum statuentur, si fortè in ipsis, aut in religione, sive in ordine canonico, deliquerint, aut circa suos subditos negligentes extiterint, licitum sit Præpositis hujus conventus eos pro excessibus suis corrigendis monere, & si post eorum monitionem reprehensibilia sua mutare nulla-tenus voluerint, severiùs corripere.* Hoc quod hîc dicitur *severiùs corripere*, illi ita

interpretati sunt, id est *excommunicare*. Quæ interpretatio etiamsi vera esset, tamen ex diligenti loci illius consideratione longè ad aliud cognoscitur pertinere. Diebus dehinc effluentibus, cum Præpositus Hallensis denunciationem differret, quidam defratribus Sereni-montis familiaritatem ejus habentes, de compositione inter ipsum & *Tidericum* Præpositum, non jussi quidem, tractare cœpêrunt. Ad quod ille eis consentiens, ad Serenum montem venit, illisque mediantibus negotium tractare cœpit. Tidericus Præpositus de consilio fratrum suorum compositionem libenter se admittere respondit, si tamen ille voce & scripto fateretur, suam quam contra ipsum tulisset sententiam nullam esse, nec aliquid firmitatis habere potuisse. Præpositus verò Hallensis qui hoc modo componere volebat, ut ille absolutionem ab eo petens acciperet, à se istud exigi audens, graviter accepit, nec aliquatenus in hoc se assensurum respondit, & *Tiderico* Præpositoad sedem Apostolicam appellante, eum excommunicatum fratribus denunciavit. Verùm *Ekkehardus* Merseburgensis Episcopus, comperto quod acciderat, utrumque ad se vocavit, & verbo illo, cujus occasione *Poppo* Præpositus excommunicandi autoritatem sibi arrogabat, cum viris literatis diligenter excusso, ostendit eum inanem sententiam protulisse, & ad hoc produxit negocium ut Præpositus Hallensis, & Pater Patrum capituli Goslarie nsis, & viva voce, & literis fateretur; sicque eos ad priorem concordiam revocavit. Porrò forma literarum talis est: *Poppo Dei gratia Novi-operis in Halle Præpositus & Pater Patrum capituli Goslariensis omnibus præsentem paginam inspecturis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Noverint universi quod nos sententiam excommunicationis, quam de consilio capituli Goslariensis in venerabilem fratrem nostrum Tidericum Præpositum Montis-Sereni pertulimus, nulla pr cedenti absolutione, in præsentia Dominæ Ekkehardi Merseburgensis Episcopi, dicimus non tenere; & ad ma-*

jorem rei certitudinem hanc noſtram paginam ſigillo Domini Epiſcopi petimus inſigniri. Henricus de Vrideberge Halverſtadenſis eccleſiæ canonicus, clericatu rejecto miles factus, caſtrum quoddam in confinio civitatis *Quidelingeburg* ædificare cœpit, quod *Henricus* comes de *Regenſtein* obſedit & cepit, & XXIV. homines in eo deprehenſos decollavit. *Damiata* civitas à paganis recuperatur. *Breſuiz* caſtrum ædificatur. *Fridericus* Comes de *Brene*, filius *Friderici*, filii *Conradi* Marchionis ſenioris, in partibus trans marinis infirmatus, ad vitam *Templariorum* ſe transtulit, defunctusque eſt die beati Galli in civitate quæ Teutonicè *Akris* dicitur. Reliquit autem duos filios *Ottonem* & *Tidericum*, & duas filias. *Wernherus* primus Præpoſitus de *Lipzke* obiit XVI. Kal. Martij: cui ſucceſſit *Willehelmus*, qui à capitulo Sereni-montis in numerum fratrum ſuſceptus eſt.

Anno M CC XXII. *Poppo* Novi operis, & *Otto* S. Mauricii Hallenſis Præpoſiti, XVII. Kal. Iunij à Sereno-monte in *Pruſiam* profecti ſunt. *Henricus* Præpoſitus de Goslaria, cognomine *Minneke*, *à Conrado* Hildesheimenſi Epiſcopo de hæreſi Manichæorum convictus, depoſitus & in cuſtodia diutina detentus eſt. De inundatione aquarum ex pluvia in villa *Isleve*, & in vicinis villis, CC L & ampliùs homines perierunt, II Kal. Auguſti, & ædificia plurima everſa ſunt. *Gozwinus* Miſnenſis S. Afræ Præpoſitus obiit: cui ſucceſſit *Albertus* Sereni-montis canonicus. Civitas *Miſna* incendiô deleta eſt in vigilia S. Bartholomæi: Oratorium S. Mariæ Magdalenæ in Aquilonari parte majoris eccleſiæ Sereni montis ab *Ekkehardo* Merſeburgenſi Epiſcopo die beati Galli dedicatum eſt. Colloquium inter *Honorium* Papam & *Fridericum* Imperatorem, in Epiphania Domini in *Verona* indictum eſt, ad quod multi de univerſis provinciis, tam eccleſiaſtici quàm ſeculares viri inter quos etiam *Tidericus* Sereni montis, & *Wilhelmus* Cillenenſis Præ-

positi, XIV. Kal. Novembr. profecti sunt. Sed cùm colloquium in aliud tempus delatum fuisset, *Tidericus* Præpositus Romam processit, commissionesque plures de ecclesiæ suæ negotiis impetravit. Quoddam etiam suis viribus majus tentare ausus est, videlicet, ut ei Pontificialibus uti Papa permitteret: quod nullâ ratione potuit obtinere, licet magnis petitionem muneribus præveniisset. Obtinuit autem indulgentiam XX dierum, omnibus ad dedicationem ecclesiæ suæ, quæ est ad vincula S. Petri, advenientibus. Præterea potestatem excommunicandi, omnes, qui ecclesiæ suæ violenti existerent. Sed hanc literam per *Henricum de Rekkin* Sereni - montis canonicum, quem Præpositus expulerat; contigit impediri. Is enim Præpositum proficiscentem insecutus, sed ægritudine in via detentus, cùm jam Præpositus redire disponeret, Romam venit; & per quendam Papæ Camerarium, ut ad respondendum sibi detineretur, obtinuit. Præpositus verò intelligens, quia si litem cum eo ingressus fuisset, usque ad finem negotii remanendum sibi esset, insuper carens, quippe qui in prædictis negotiis promovendis profusus extiterat: XC. enim marcas tunc dicitur expendisse: Præterea conscientia stimulante judicium reformidans, cùm ea, quæ Henricus ei objicere parabat, non ignoraret, per magistrum Jacobum pœnitentiarium cujus sibi favorem non paucis marcis redemerat, cùm etiam infirmari videretur, ut à Camerario prædicto abeundi licentiam acciperet, impetravit, constituto tamen pro se procuratore *Iohanne* quodam Episcopi Herbipolensis clerico. Eo tempore Papa usque ad desperationem infirmabatur, ita ut à multis etiam mortuus diceretur, nec facilè cuiquam ad eum erat accessus, quæ res maximè Præposito recedendi copiam procuravit. Henricus enim de verbo Apostolici eum detinere satagens, in præsentiam ipsius venire non potuit, licet tres marcas pro uno introitu cubiculariis obtulisset. Tanta autem ad

recedendum Præpoſito fuit feſtinatio, ut literas prædictas, ſcilicet, de indulgentia, & poteſtate excommunicandi, quæ eâ die ad audientiam deferendæ erant, non expectaret, ſed nocte diſcedens cuidam magiſtro *Luthero*, Nuenburgenſis eccleſiæ canonico, relinqueret promovendas. Quas cum Henricus in audientia recitare audiret, literam quidem indulgentiæ modis omnibus amplexus tranſire permiſit: excommunicationis autem literæ, quæ in ejus præjudicium impetrata videbatur, contradixit. Tenor enim talis erat, quòd Papa inter cætera affirmabat, ex inſinuatione Præpoſiti ſe didiciſſe, quòd quidam Prælati terræ ſuæ excommunicatos ipſius manu tenerent, in ipſius præjudicium & gravamen, contra quos Præpoſito poteſtas ferendæ ſententiæ conferebatur, qui articulus Henrico ſuſpectus erat propter patruum ipſius *Sifridum* Abbatem Pigavienſem, qui eum expulſum collegerat, & hôc modô litera illa ſuſpenſa & ſequenti die à magiſtro contradictarum ſciſſa eſt. Præpoſitas verò paucis poſt feſtum Purificationis diebus domum reverſus eſt, abſolutione profectionis ſuæ in *Pruciam* ſub teſtimonio literarum pœnitentiarij impetrata, quia ad ſubſidium terræ illius cruce ſignatus erat. Modus autem abſolutionis erat, ut tres marcas annis ſingulis terræ illi ſolveret, donec xx. marcarum numerus expleretur. Terræ motus magnus per omnes trans-Alpinas provincias uſque *Romam*, præterea *Venetijs*, & in pluribus aliis maritimis civitatibus, factus eſt, qui die media Natalis Domini incipiens uſque in octavam ejus duravit, de quo multorum ædificiorum ruinas & hominum oppreſſiones contigit provenire. Sanguis etiam cum pluvia poſtmodum deſcendere viſus eſt.

Anno M CC XXIII. *Henricus* de *Rekkin* Sereni montis canonicus, de conſenſu procuratoris Præpoſiti cauſæ ſuæ judicibus impetratis, ad Paſcha rediit de partibus trans-Alpinis,

cum mandato ſummi Pontificis, cujus continentia talis erat: *Honorius Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilectis filijs S. Mariæ Magdalenæ & de Gratia Dei, diœceſis Magdeburgenſis Præpoſitis, & magiſtro Alberto canonico Miſnenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm olim tam ex literis venerabilis fratris noſtri Magdeburgenſis Archiepiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, quàm ex conqueſtione dilecti filij Henrici canonici montis-ſereni Magdeburgenſis diœceſis felicis recordationis Innocentij prædeceſſoris noſtri Papæ fuiſſet apoſtolatui reſeratum, quòd Tidericus ipſius eccleſiæ Præpoſitus eundem Henricum, pro eo quòd ipſius prædeceſſoris noſtri & dicti legati detulerat literas, ab eadem eccleſia turpiter expuliſſet, faciens quosdam laicos & clericos ad hoc ſpecialiter evocatos in eundem manus injicere violentas, & quosdam de fratribus ſuis, qui ejus noluêrunt tyrannidi conſentire, punire graviter præſumpſiſſet, ac inſuper cum complicibus ſuis, poſt excommunicationem à præfato legato pro ipſo in eosdem prolatam, divina non fuiſſet veritus officia celebrare; quodque, poſtquam à jam dicto legato fuit juxta formam eccleſiæ abſolutus, memoratum canonicum ad ſuam eccleſiam revocare nullatenus voluiſſet, licet hoc ipſi ab eodem injunctum fuiſſet ſub debito præſtiti juramenti: præfatus prædeceſſor noſter dilectis filiis Præpoſito S. Nicolai Acellario & H. canonicis Magdeburgenſibus ſuis dedit literis in mandatis, ut ſi ita eſſet, jam dictum Præpoſitum, ut canonicum memoratum benignè reciperet & tractaret, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, remota appellatione, compellere procuraret, ipſi & complicibus ejus pro præfatis exceſſibus pœnam canonicam inflicturi, ut ea docente cognoſcerent, quàm temerarium eſſet contra ſtimulum calcitrare. Cùm autem, ſicut idem prædeceſſor noſter ex ipſorum intellexit continentia literarum, eidem judices Præpoſitum ipſum auctoritate mandati apoſtolici peremtoriè citaſſent, ut eorum ſe conſpectui præſentaret, jam dicto canonico, ſuper his, quæ præmiſimus, reſponſurus, ipſe nec venit, nec miſit pro ſe idoneum reſponſalem. Verumtamen quidam clericus, nullo tamen exhibi-*

tus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [218] - 141
PUBLIC DOMAIN

tis literis, comparuit coram eis, qui pro eo ab ipsis in nullo gravato sedem apostolicam appellavit. Licet autem appellationem ejus reputassent frivolam & inanem, quia tamen intellexerunt, eundem Præpositum ad sedem apostolicam accessisse, ut in præsentia partium melius vel plenius veritas appareret, jam dictum canonicum cum suis literis processum eorum continentibus, ad nominati prædecessoris nostri præsentiam transmiserunt. Sæpefatus prædecessor noster, ut ejusdem compatiens laboribus & expensis, ipsum duxit ad eosdem judices remittendum, dando eis per suas literas in præceptis, ut si res taliter se haberet, ad locum & beneficium suum cannoicum restituentes, eundem non permitterent ipsum super his à quoquam indebitè molestari, nihilominus à dictis Præposito & suis complicibus de illatis injuriis sibi competenter satisfieri, contradictiones per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ceterum quoniam Præpositus memoratus de Simonia, dilapidatione, perjurio ac aliis multis dicebatur criminibus infamatus, & quòd etiam excommunicatus præsumpsisset celebrare divina, ac insuper ante confirmationem obtentam in administratione ecclesiæ montis sereni tam in spiritualibus, quàm in temporalibus se impudenter ingesserat, à quibusdam de fratribus ejusdem ecclesiæ coram seculari judice obedientiam exigens & extorquens; eisdem dederat in mandatis, ut inquisita super his diligentiùs veritate, quod canonicum esset appellatione postposita statuerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari, ita quòd, si non omnes mandatis exequendis possent apostolicis interesse, duo ipsorum ea nihilominus exequi procurarent. Dicti verò judices licet in præfato negotio usque ad citationem partium processissent, per eos tamen negotium ipsum terminari non potuit, propter ipsius obitum mandatoris. Quare præfatus canonicus fatigatus diutius laboribus & expensis à nobis humiliter postulabat, ut super his providere sibi paterna solicitudine dignaremur. Ne igitur occasione hujus modi justitiæ derogetur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus in eodem negotio juxta jam dicti prædecesso-

decessoris nostri mandatum sublato appellationis obstaculo ratione prævia procedatis. Quòd si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrûmea nihilominus exequantur. Datum III Kal. Martij. Pontificatûs nostri anno VII. Harum auctoritate literarum priori die ante octavam apostolorum Præpositus à præscriptis judicibus peremtoriè citatus est, terminum habens octavam beati Laurentii, & locum monasterium *Nienburg* propè *Salam*. Castrum *Bresuiz à Ludovico* Landgravio destruitur. *Woldemarus* rex Daciæ à comite *Henrico* de *Zwerin* cum uno filiorum suorum captus, & primò in castro *Lenszin*, postea *Dannenberge* detentus est. *Sifridus* Pegaviensis Abbas vir strenuus, & qui in multis ecclesiæ suæ cognoscitur profuisse, maximè in conservanda ejus libertate, tam in spirituali jure quàm in seculari, pro quare multis desudans laboribus etiam vitæ suæ periculum nonnunquam expertus, quorum omnium principium à falsis ejus constat fratribus pullulasse. Denique cum factus Abbas eos ad regularis observantiam disciplinæ coartaret, cogitans Deo se pro eis redditurum rationem illi in ejus odium excitati, eum apud *Everhardum* Merseburgensem episcopum de mala administratione frequentiùs accusavêrunt, ita ut pro eorum instantia, licet ei semper obsequiosus extiterit, ad suam eum præsentiam venire præciperet, administrationis sua redditurum rationem, monachis nonnullis pariter evocatis. Ecclesia enim Pigavienſis, quamvis à prima sua fundatione exempta fuisset & libera; Prælatis tamen ejus jure suo uti dissimulantibus vel non audentibus, vel etiam quod salva eorum reverentia dictum sit, nescientibus, sine obstaculo Episcopis Merseburgensibus ancillabatur, donec veniret cui repositum erat opus istud, homo natus ad laborem *Sifridus* Abbas, ut, quamvis per multos labores, ejus industria in libertatem propriam respiraret. Monachis itaque querimonias suas contra eum exaggerantı

rantibus, intelligens ab episcopo se gravandum, priusquam feriretur prætenso clypeo se muniens, ad sedem apostolicam appellavit seque & ecclesiam suam tuitioni committens summi Pontificis soluto colloquio discessit. Porrò episcopus super novo ejus ausu in admirationem ductus, unum de monachis quem familiariter diligebat, quo etiam Abbas pro capellano utebatur, qui Abbate discedente apud episcopum remanserat, cui erat nomen *Thiemo* de *Colditz*, secretè & cum instantia rogavit, ut sibi proderet, si sciret, qua fiducia nisus Abbas appellare præsumsisset. Illo respondente quod fiducia exemtionis hoc fecisset, cujus videlicet privilegium haberet. Episcopus majori rogabat instantia, ut dè hoc eum certificaret, ipsum ei si posset privilegium exhibendo. Quod cùm ille clavem cistæ in qua continebatur privilegium habens promisisset, & promissum persolvisset, episcopus lectum privilegium, ut dicitur, in ignem projecit: de cujus exustione non parvum sibi contentionis incendium suscitavit. Præfatus autem *Thiemo* cùm custodis fungeretur officio, & alii quidam monachi officiales ecclesiæ Pigavensis, consilio cum Episcopo inito, duos currus ab Episcopo missos ornamentis onerantes ecclesiæ, omnia Merseburg transtulêrunt & Abbas monachos quidem illius facti auctores, suis privatos administrationibus, de cetero contra se invalidos reddidit. Ipse verò Romam profectus cum Episcopi nunciis contra se missis, qui eum contra jus à subjectione Mersenburgensis ecclesiæ resiluisse querebantur, longò tempore coram summo Pontifice contendit, tandemque de eorum consensu judicibus impetratis reversus est. Episcopus verò judicum sententia, ut omnia, quæ de ecclesia Pigavensi ablata erant, ad locum ipsum reducere cogebatur, potius cũ cum Abbate de jure suo litem habiturus, quod ille usque quaque injuriosum reputans, sed tamen contra stimulum calci-

trare non valens ea ad *Portenſem* eccleſiam deduci fecit, judicibusque eum ampliùs cogere diſſimulantibus, à loco illo ab Abbate ſublata *Pigaviam* reducta ſunt. Verùm quia privilegio non reſtituto eccleſia Pigavienſis adhuc exſpoliata oſtendebatur, Epiſcopi contra Abbatem conatus ſupervacuus videbatur. Contentione autem inter eos per annos plurimos perdurante, Abbati magnum rebus acceſſit divinitùs procuratum. Contigit enim translationem fieri corporis *S. Ottonis* Bavenbergenſis Epiſcopi, cujus reliquias cùm Abbas impetraſſet, & eccleſiam ex lignis in ejus honorem juxta civitatem Pigavienſem conſtruxiſſet, tantus illuc fidelium concurſus factus eſt, ut DCCC. marcæ de ſacrificio primi anni computarentur. Durat autem uſque hodie concurſus idem, etſi offerentium videatur numerus decreviſſe. Non autem Abbas circa tanti boni patronum negligens erat, ſed primò ipſum oratorium ligneum à duobus Cardinalibus, qui tunc apoſtolicæ ſedis legatione in Teutonia fungebantur, dedicari fecit: deinde paludem, in qua conſtructum erat, ſumtibus magnis deſiccans, circa ipſam eccleſiam decentem ex coctis lateribus ædificavit, reditusque quantos poterat tempore oportuno loco ipſi acquirens, regulares in eo canonicas inſtituere intendebat, habens de hoc ex promiſſione ſummi Pontificis poteſtatem. Fiducialiter itaque eo contra Epiſcopum agente ille tantum expenſarum pondere laſſatus eſt, ut ad *Henricum* Imperatorem confugeret, & pedibus ejus proſtratus, adjuvari ſe contra Abbatem poſtularet, de multis eum accuſans, & etiam contra Imperatorem eum agere affirmans, tantumque ejus animum concitavit, ut latinis verbis, *mortis eum eſſe filium*, proclamaret, præcipiens quibusdam ſuis fidelibus, quorum unus *Cuono de Mincenberg* dicebatur, vir crudelitate famoſus, ut ubicunque inventus fuiſſet, eum perimere procurarent. Poſtmodum tamen conſilio & auxilio *Tiderici de*

Mule-

Mulehuſen Camerarii Imperatoris gratiam ejus recuperavit, qui Abbati conſanguinitate proxima jungebatur. Perpendens verò judices ſuos perſonæ Epiſcopi contra juſtitiam reverentiam habere, appellans de latere Papæ judices poſtulavit, miſſique ſunt ei Decanus de *Tridento* & magiſter *Præneſtinus*, quibus negocio diligentiam adhibentibus ad hoc productum eſt, ut ab utraque parte teſtes producerentur. Quibus auditis & atteſtationibus ſcriptis & utrique parti aſſignatis, priusquam in præſentia ſummi Pontificis publicarentur, *Everhardus* Epiſcopus & vivendi & litigandi finem fecit. Et ſciendum Abbatem interiſta nequaquam malis domeſticis caruiſſe. Nam *Thiemo de Colditz* monachus ſæpe dictus cuſtodia ſe privatum dolens, *Henrico* fratri ſuo ſecretè perſuaſit, ut miſſis armatis Abbatem captivaret, ſcilicet ut eum officio ſuo reſtitueret compellendum. Quod illi perficientes, & in vicino nemore ſeminudum & incibatum per triduum eum detinentibus, ut monachum reſtitueret, compellebant. Sed cum nec verbis minacibus, nec gladiis evaginatis promiſſionem ſaltem ab eo extorquere valuiſſent, quarto die peditem eum redire Pigaviam permiſerunt, confeſſi poſtmodum, factum iſtud Thiemonis conſilio conſummatum: propter quod à fratrum expulſus conſortio, dignam ſui facti mercedem conſecutus eſt. Alio dehinc tempore quidam monachorum, conſpicati domum quandam firmam in confinio clauſtri, fratrum uſibus ædificatam, occupaverunt, communemque cellarium exſpoliantes omnia ad victum pertinentia in eam contulêrunt, militesque & ſervos armatos quos conduxerant in ea locantes Abbatem expellere nitebantur. Advocatia eccleſiæ Pigavienſis immediatè ad Imperatorem pertinet, nec jure fœdi cuiquam conferri poteſt, ſed habet poteſtatem eligendi Abbas, ad quantum temporis ſpacium voluerit, quemcunque ſibi viderit expedire. Quam libertatem *Si-*

fridus Abbas ecclesiæ suæ multis laboribus & expensis primò à *Friderico*, postmodum à filio ipsius *Henrico*, & nostris temporibus à *Friderico* Henrici filio, datis sibi privilegiis acquisivit. Tempore igitur, quo hæc gerebantur, *Fridericum* quendam *de Groitz* ex Imperatoris fidelibus advocatum habens, ejus auxilium contra monachos invocavit. Qui collectis auxiliatoribus ad dictum accessit Abbatem, sed priusquam aggressionem faceret armatis qui intus erant collocutus persuasit ut ablatis rebus suis abscederent, quorum plerique ei hominio tenebantur. Monachi eorum præsidio nudati in nullo segniores apparebant, sed per fenestras domus pugnanter astantes, eos qui voluissent accedere lapidibus proturbabant. *Fridericus* verò cuppam altero ejus fundo excusso super currum stabiliram lignis siccis repleri fecit pice & resina & lardo pariter intrajectis. Quibus succensis præcepit suis ut currum ante se impellentes domui applicarent. Pugnatores verò illi incendio territi & fumo vexati, à parte altera ubi domus aggerem habebat, terræ molliciis desilientes, fuga elapsi sunt, & hoc fine destructa domo, tumultus ille clausus est. Verùm monachi cum universaliter Abbatis odio tenerentur, & viderent, quòd manifestis conatibus jugum ejus à cervicibus suis non possent excutere, de morte ipsius negociari cœperunt. Nam die quadam Abbate cum suis ad prandium considente unus ipsorum, *Tobias* nomine, cibum aliquem delicatè paratum ei attulit, sed cùm aliquantum à conspectu ejus recessisset, repentè in gemitum cum fletu erupit. Quem cùm Abbas revocari præcipiens, cur fleret interrogasset, respondit; id eo se flere quia ministerio cibi illius venenati mortem ei certissimam procurasset. Abbas verò ipso cibo, de quo nondum gustaverat, & omnibus quæ in mensa erant projectis, territus surrexit, monachum verò consolatus est dicens; se ei pœnitenti hanc culpam remittere, quia

ille

ille non se facti illius auctorem, sed aliorum fuisse nuncium latebatur. De quibus tamen Abbas inquisitionem facere non curavit. Præpositura est ecclesiæ Pigavienſis in loco qui *Zchole-ne* dicitur, cui Abbas monachum præfecit, ad quem cum aliquando veniſſer, ille grataṅter, ut videbatur eum ſuſcipiens & diligenter procurans, inter cetera cibum delicatè ipſi duntaxat ſoli præparatum ei appoſuit de quo Abbas modicum guſtans, eum fratri ſuo *Henrico de Rekkin*, qui pater fuit *Henrici de Rekkin* Sereni-montis canonici, & ibi aderat, miſit, & ab illo ad alios pervenit: cujus effectum breviter omnes, qui inde guſtaverant experti ſunt. Et Abbas quidem ad deſperationem uſque infirmatus, *D*ei adjutorio evaſit. Frater verò ejus & duo cementarii & quatuor exinde pueri mortui ſunt. Monachum verò tanti, ut putatur, mali auctorem non ſolùm ab illa adminiſtratione, ſed etiam ab eccleſia Pigavienſi Abbas removit, ipſe verò in cibis ſumendis poſtmodum cautior fuit. Numerati ſunt autem ultra XXVI. quos pro hujusmodi cauſis, diverſis fertur temporibus expuliſſe, quorum pauciſſimi ante vitæ ejus terminum recipi potuerunt. Odii verò, quô erga ipſum tam pertinaciter movebantur duplex fuit cauſa. Vna quidem, quia illicitorum nulla eis ſub illo erat licentia: altera, quia officia eccleſiæ eos adminiſtrare nullo modo permittebat, quia, cùm olim ea adminiſtraſſent, de his contra eum armati, multorum malorum cauſas & principia inventi ſunt procuraſſe. Sed nec ex *Everhardi* Epiſcopi morte ne impugnantium ſe monachorum expulſione malorum terminum ei habere conceſſum eſt. Denique poſt mortem *Henrici* Imperatoris, *Philippus* rex advocatiam Pigavienſem *Tiderico* comiti de Summerſchenburg, qui etiam de *Groiz* dictus eſt, contra privilegia ipſius eccleſiæ conceſſit, qui eam procaciter uſurpans, & cives Pigavienſes ſibi violenter ſervire compellens, nec ab ipſius Abbatis

injuriis temperavit. Nam & ab hominibus ipsius aliquando captivatus est, & ab ipso ab ecclesia Pigavienſi expulsus, per annum integrum in castro *Wirbene à Bernhardo* Duce *Saxoniæ* receptus, cum suis commoratus est. Accidit autem ut officiales comitis vinum de vinea Abbatis, quæ est in villa *Hilpertiz*, auferrent, *Groiz* ad castrum comitis deducendum. Quo comperto, Abbas eos, qui circa se erant armatos misit, ut eos, si esset possibile, prohiberent. Habens verò dextrarium electum, qui etiam propter ipsum notissimus erat, unum servorum suorum, qui *Bruno* dicebatur, habitu suo hoc est cappa indutum, in eo misit, præcipiens, ut ille signum ducens ceteros anteiret. Illis itaque cum vino jam recedentibus, viri Abbatis eos cum festinatione insecuti sunt. Quorum unus post tergum respiciens, & signiferum illum cappatum videns, equumq; agnoscens, Abbatem venire vociferatus est. Tantus autem repentè metus custodes illos invasit, ut relictis curribus, priusquam in aliquo hostes experirentur, solum fugæ præsidium quærerent, cùm tamen eis, quos fugiebant, numerò longè præstantiores fuissent. Isti verò curribus cum vino ablatis, *Wirbene* reversi, nõ sine jucunditate ab Abbate susceptisunt. Hæc ideo commemorare libuit, ut intelligatur, nomen Abbatis non nihil ponderis habuisse, eumque etiam hujusmodi adjutoriis uti solitum fuisse, non tamen ad nocendum, sed ad nocentes cavendum & repellendum. Postmodo discordantibus inter se *Tiderico* Misnenſe Marchione & *Tiderico* comite, Abbas favore Marchionis animatus *Pigaviam* reversus est, militibusque in civitate locatis violentiæ comitis cœpit resistere; Donec pertinaciter reluctandò cum contra se redderet segniorem, quamvis eo vivente nunquam quieta gavisus fuerit libertate. Mortuo comite *Conrado* Marchio frater ejus advocatiam Pigavienſem, quam cum ipso a Rege *Philippo* sibi concessam receperat, invasit, sed tamen

aper-

à perſonalibus Abbatis injuriis abſtinuit, quia filium ejus in baptiſmo ſuſceperat; quod ipſum tamen multis marcis ſi eſſet poſſibile, ſe velle redimere adhuc vivente fratre dixiſſe fertur, omnibus hoc ita interpretantibus, quòd ſi talis eum non tenuiſſet occaſio, à corporali ejus læſione nullo modo temperaſſet. Movebatur enim pro fratre carnaliter, quia ille in obtinendo propoſito Abbate inferior videbatur, maximè autem pro quodam verbo, quod Abbas minus cautè protulerat, Comitem ſcilicet *apoſtatam* appellando. Idemque denique Comes eccleſiæ Magdeburgenſis canonicus exiſtens, etiam ad Subdiaconatus gradum promotus erat. Accidit autem cùm in ſcholis eſſet Pariſiis, ut contentione inter Burgenſes & clericos orta, ſervientes ipſius ad auxilium clericorum ab eo miſſi homicidium committerent, pro qua re de ſua promotione deſperans, clericatum dicitur rejeciſſe. Poſt mortem *Conradi* Marchionis, qui triennio tantum fratri ſupervixit, *Tidericus* Marchio Miſnenſis modis omnibus ambiebat, ut ipſe eccleſiæ Pigavienſis advocatus eligeretur, quod cùm Abbas ſibi non convenire ſciens facere negligeret, ille ex fautore & amico in hoſtem mutatus, valdè eum vexare cœpit, multa & damna & injurias irrogando. Ad extremum verò ante caſtrum *Groiz*, quod ei hæreditario jure obvenerat, villam muniens, forum inſtituit telonium & monetam omnibusque provincialibus ab illa parte tam emere quàm vendere volentibus ne *Pigaviam* pergerent interdixit. Abbas verò judicibus contra eum à ſede apoſtolica impetratis, Epiſcopo & Decano & Scholaſtico *Herbipolenſibus*, omnem ejus conatum evacuavit. Iudices enim teſtibus ejus auditis pro ipſo tulerunt ſententiam eique *Brandenburgenſem* Epiſcopum executorem dedêrunt. Qui *Groiz* adveniens, convocatis caſtrenſibus & villanis, forum, teloneum & monetam, in loco illo haberi auctoritate apoſtolica interdixit, omnesque qui in ipſa villa

ad

adjus forense residentiam facerent, eadem auctoritate excommunicationis vinculo inodavit. Verùm cùm adhuc Abbas Marchionem de damnis ab eo, & ab his quorum hæreditatem perceperat, sibi illatis impeteret, quæ usque ad VII M. & D marcas computaverat & propter hoc tota terra Marchionis interdicto ponenda esset, *Albertus* Archiepiscopus partes suas interposuit, & ut ipsius & *Nuemburgensis & Merseburgensis* Episcoporum, *Engelhardi* scilicet & *Ekkehardi*, arbitrio negocium committeretur, à partibus impetravit. Ipsique partibus convocatis arbitrium promulgantes, sententiam de foro *Groiz* prolatam confirmaverunt, & Marchioni, ut Abbati pro damnis illatis D. marcas daret, sub pœna excommunicationis præcepêrunt: Statuentes insuper, si ita necesse esset, successores ipsorum ab hæredibus Marchionis sub eadem pœna pecuniam ipsam repeterent, Abbatis successoribus persolvendam: sicque omnibus qui aderant gaudentibus, Marchio & Abbas se viciſſim in pacis oſculo receperunt. Et Abbas quidem à multis laboribus, quibus pro ecclesia sua per XXX. & amplùs annos decertaverat, ab hoc tempore respiravit, magnum inter omnia mala solatium favorem sedis Apostolicæ semper habens. Nam & *Cœlestino* primitùs, & post eum *Innocentio*, ac demum *Honorio*, summis Pontificibus gratus admodum extitit & acceptus, quorum privilegiis ecclesiæ suæ libertatem ita munivit, ut omnibus eam expugnare volentibus redderet inaccessam. Denique *Tidericus* Merseburgensis Episcopus, qui *Everhardo* successit, hoc ita esse sciens, toto tempore episcopatus sui, quem ultra X. annos tenuit, induci non potuit, ut litem contra Abbatem, quam antecessor suus pendentem reliquerat, susciteret. *Ekkehardus* autem episcopus ei succedens cùm esset juvenis & juris peritus, contemtibile nimis judicans in toto negotium omittere, virum experiri voluit, sed accepto magnanimitatis ejus gustu, citò à pro-

propoſito reſiluit. Tempore namque, quo *Gernodus* Nienburgenſis Abbas cœcatus eſt, *Albertus* Archiepiſcopus cum eodem Merſenburgenſi, & aliis ſuis ſuffraganeis epiſcopis, in hoc convenit, ut propter caſum memoratum in toto archiepiſcopatu Magdeburgenſi divinorum celebratio omitteretur. Hac ratione præfatus Epiſcopus Abbati literas deſtinavit, quarum principium tale fuit : *Ekkehardus Dei gratia Merſenburgenſis Epiſcopus Sifrido Abbati Pigavienſi ſalutem*, addito deinceps mandato, *ut, tam in monaſterio, quàm in civitate celebrationem omitteret divinorum.* Abbas verò ei reſpondit in hunc modum & reſcripſit: *Domino Ekkehardo Merſenburgenſi Epiſcopo Sifridus Dei gratia Pigavienſis Abbas ſalt. pur, ſalt & una avant.* Sunt autem hæc verba Gallica, & ſic ſonant in Latino : *Salutem pro ſalute & una plus.* Poſt ſalutationem verò adjecit : *Ex ficca & cruda ſalutatio avant.* *ſalt. pur,* *ſalt & una*

ne veſtra cognoſcimus, quid de his, quæ intrinſecus latent, perpendere debeamus. Sciatis autem non pro mandato veſtro nos à divinorum celebratione ceſſaturos, cùm ab omni Epiſcopi jurisdictione ſimus exempti, ſed magis pro reverentia & dilectione Domini Archiepiſcopi, cui nos ſemper fideles exhibere volumus & devotos. Licet autem epiſcopus his literis valdè moveretur, tamen nec factum unquam publicavit, nec tale aliquid deinceps attentavit. Abbas ſanè nulli voluptati ſeu levitati deditus erat, quippe quem nec iſtis vacare adverſitatum & negotiorum ſtimuli permittebant. Nam rebus utilibus ſemper intentus, licet interdum ab actione quieſcens dum agenda ſtudiosè diſponeret, etiam in otio negotio non carebat. Habitus ei tam in forma quàm in genere cum ſubditis communis erat, qui in nullo ab exemplari veterum diſcrepabat ut videlicet ſeculi conformitatem prorſus abhorreret & religionem exprimeret & neceſſarii corporis non deeſſet, ut nec tegumento quidam capitis alterius modi quàm ex ovium pellibus uſus fuiſſe inveniatur. Audiant quæſo hoc exemplum

noſtri temporis Prælati, qui tot novitatibus, ut eas tædioſum & ridiculoſum ſit enumerare, primi tamen habitus ſimplicitatem non ſolùm ipſi corrumpere, ſed etiam ſubditis permittere non verentur. Qui etſi pro Dei timore id non agant, tamen ut ſaltem Prælatorum ad ſubditos manifeſta eſſet diſtantia, miror cur eoſdem ſubditos à talibus non compeſcant. Sed utinam nos ſolius habitus deformatio accuſaret. Decubuit autem Abbas ultima ſua ægritudine die beati Iacobi patroni ſui, mortuuſque eſt IV. Non. Auguſti cum ſediſſet annos XXXIX. *Tidericus* Sereni montis Præpoſitus ad dedicationem eccleſiæ ſuę concurrentibus XX. dierum indulgentia impetrata, hoc quaqua verſum tam per ſe, quàm per alios, ſtuduit divulgare: in quo ejus intentio, quam de eadem indulgentia obtinenda habuerat, conſiderare volentibus prodebatur. Rebus namque, quarum adminiſtrationi erat præpoſitus, ad infirmum ſtatum ex ejus maximè negligentia deductis undecunque ſibi providendum judicans, etiam de opere pietatis queſtum facere aggreſſus eſt, ut videlicet occaſione prædicta creſcente concurrentium multitudine etiam offerentium numerus augeretur. Et in concurrentium quidem numeroſitate conſilii ſui effectu fraudatus non eſt: Vtrum autem & offerentium, ipſe viderit. Conſtat enim CC. & XL. talenta ceræ hoc anno de conſueto ſacrificii pondere defuiſſe. Poſt mortem *Sifridi* Abbatis Pigavienſis *Henricus de Rekkin* Sereni montis canonicus, de conſilio amicorum ſuorum, mediante *Ekkehardo* Merſenburgenſi Epiſcopo, cauſæ ſuæ, quam contra *Tidericum* Præpoſitum habebat, poſt tres hebdomadas & X. annos quàm inchoata fuerat, renunciavit & Præpoſito reconciliatus eſt ſub hac forma, ut ipſe quidem ad eccleſiam ſuam rediens & in capitulo veniam petens, ſine omni pœna à præpoſito reciperetur: Præpoſitus verò ſe eum injuriaſſe excommunicationis tuliſſe ſententiam, ſed quia præ-

præceſſit appellatio ab ipſo apoſtolicam, legatione interpoſita, ſententiam noſtram nihil firmitatis dicimus habuiſſe. Hæc ſequenti die aſſumtionis beatæ virginis Mariæ geſta ſunt. Non parvum autem ex his erga ſubditos morum Præpoſiti datur judicium, quia videlicet utrum juſtè an injuſtè id ageret non curans, citò in eos excommunicationis ſententiam jaculabatur, tantum ut per hanc in cauſa qualibet eos ſibi ſubſterneret; unde eveniebat, ut ſententia ejus eadem facilitate contemneretur, quâ proferebatur. Quidam Præpoſitorum Capituli Goslarienſis ſupra reditus, qui in privilegio *Tiderici* Marchionis expreſſi ſunt, ad ſervitium diei in quo capitulum celebratur, videlicet exaltationis S. Crucis, à *Tiderico* Præpoſito pecuniam exigebant, contra quos ille judicibus à ſede Apoſtolica impetratis eos citari fecit, ſibi ſuper exactione in debita reſponſuros. *Poppo* verò Hallenſis eccleſiæ Præpoſitus ab eo petiit, ut uſque ad diem Capituli memorati à cauſæ executione quieſceret, promittens ſe elaboraturum, ut negocium ibi fine amicabili clauderetur. Partibus itaque ad Capitulum *Goslariam* convenientibus obtinuit, ut arbitrio ſe ſubmitterent, electique ſunt arbitri ex parte quidem Præpoſiti *Willehelmus* Cillenenſis & *Willehelmus* de Lipzke Præpoſiti, & *Gerhardus* Sereni-montis Canonicus: ex parte verò altera *Iohannes de Richinberge*, Rudolfus S. Johannis Halverſtadenſis & de *Bruneshuſin* Præpoſiti, qui concordantes tale protulerant arbitrium ut præpoſitus, qui eo anno copioſum ei procuraverat ſervitium, ſequenti quoque anno, quaſi pro pœna defectus priorum annorum, ſimile exhiberet; deinceps verò tam ipſe quam ſucceſſores ejus duas tantum marcas ad Capitulum venientibus præſentantes, nullam ſupra hæc exactionem à quolibet paterentur. In eodem capitulo ſtatutum tunc fuit, ut jejunium ſextæ feriæ nullius feſti occaſione ſolveretur, excepto feſto Natalis Domini, ſi in ea feria eve-

niret. *Henricus de Rekkin* Sereni monticus Canonicus *Romam* profectus est pro hujusmodi causa: *Sifridus* Abbas Pigavienſis patruus ipſius olim eum novellæ *S. Ottonis* eccleſiæ Præpoſitum conſtituere volens, nunquam ejus conſenſum ad hoc potuit inclinare. Infirmitate verò ſua ultima detentus finem ſuum ſuſpectum habere cœpit, eum evocavit, & quibusdam amicis ſuis præſentibus, devotioni ejus, qua ei ſemper ſtudiosè & nonnunquam periculosè collaboraſſet, gratias agens petebat, ut bono eam fine terminaret, quippe cùm ipſe eum relicturus in proximo videretur, nec petitionem ejus ultimam pro cauſa præmemorata duceret contemnendam, cùm magno eum hujus rei teneri deſiderio certum haberet. Ille verò, quia amicorum morientium petitiones ad obtinendum efficaces ſolent exiſtere, conſenſurum ſe promiſit, tantùm ne ei triſtitiam generaret. Abbas Deo gratias agens quòd hoc obtinuiſſet, ſtatim eum eccleſiæ *S. Ottonis* Præpoſitum inſtituit, & in ſpiritualibus & in temporalibus, monacho cuidam *Henrico* nomine, qui procurationem ejusdem eccleſiæ dudum commiſſam habebat, præcipiens, ut cum aliis, quos ſimul mittebat, eum in poſſeſſionem Præpoſituræ ſuæ duceret, omnemque eccleſiæ familiam ei, utpote domino ſuo obaudire præciperet, cunctis ei tam eccleſiæ quàm aliorum locorum clavibus aſſignatis. Hæc tertio ante mortem Abbatis die peracta ſunt. Abbate verò mortuo, præfatus *Henricus* monachus in Abbatem electus eſt, vir priori quidem prorſus diſſimilis, ſed qui monachis abſque jugo vivere volentibus idoneus videbatur, unde & in electione ejus tanta feſtinatione uſi ſunt, ut cùm Abbas tempore noctis obiiſſet, ortum diei ad eligendum nullatenus expectarent: ipſe quoque quaſi viciſſitudinem eis reſpondens, officia eccleſiæ, ad quorum adminiſtrationem Abbas eos non admiſerat, ſtatim eis diſtribuit, quod etiam adhuc vivente Abbate dicitur promiſſe-

Is

Is itaque cum eisdem suis electoribus consilio, ne factum Abbatis de ecclesia S. Ottonis durare permitterent, per quod tanta bona eorum usibus deperirent, præsertim cùm ille hoc in ægritudine desperata & jam penè moriens ordinasset, ideoque esset revocabile: quibusdam ipsorum destinatis, Henricum de ecclesia S. Ottonis violenter eiecit, unum ex eis loci ipsius instituens provisorem. Ad hoc etiam misso nuncio *Tidericum* Præpositum Pigaviam venire rogavit, ut Henricum excommunicationis subjacere sententiæ quam olim contra ipsum tulisse dicebatur, ex ipsius confessione cognoscens, institutionem in tali persona factam causam esse faciliùs demonstraret. Præpositus venire non differens cum se excommunicasse confessus est, & ille consequenter juxta ejus confessionem excommunicatum publicè denunciabat. Sed illà festinatio Præposito confusionis aliquid procuravit. Paucis enim evolutis diebus cùm Henrico reconciliaretur eum famæ suæ, quam per illam confessionem læserat, restituere compulsus est, missis eidem electo literis, quarum forma talis est: *Reverendo & in Christo dilecto Domino Henrico Electo & Capitulo Pegavienſi, Tidericus Præpositus Montis-sereni cum devotis orationibus & obsequio sinceram in Domino caritatem. Innotuit nobis, quòd cùm apud vos essemus, occasionem sumentes ex verbis nostris, post discessum nostrum Dominum Henricum & confratrem nostrum & Præpositum S. Ottonis, de excommunicatione gruviter infamastis, cùm tamen vobis eum non denunciaverimus excommunicatum: hoc tantùm vobis suggerentes, quod aliquando sententiam excommunicationis contra eum tulerimus. Sed quia constat appellationem præcessisse, legitimè ab eo interpositam, idcirco dicimus sententiam nostram nihil firmitatis habere potuisse. Hinc est quod honestatem vestram modis quibus possumus duximus exorandam, quatenus intuitu juris, & pro Domini Præpositi reverentia præfatum Dominum Henricum benignè & fraternè tra-*

dantes, ipsum tanquam virum honestum & catholicum habeatis, favendo ei, quod semper apud vos orationibus nostris & obsequio volumus promereri. Henricus itaque super violentia sibi illata ad præsentiam summi Pontificis appellavit Præposito permittente, & cooperante: nam quatuor marcas ad supplementum expensarum ei dedit. Romam tendens sequenti die beati Mauricii à *Sereno monte* egressus est. Rebus inter hæc ecclesiæ *Sereni-montis* dietim in pejus vergentibus *Tidericus* Præpositus de consilio familiarium suorum aliquos de fratribus locis aliis partiri disposuit pro conservandis videlicet expensis, asserens etiam illorum transmissione idoneè se à colligendis hospitibus excusari, quo tamen factô & suæ & subditorum suorum famæ non parvam maculam acquisivit. Negotio interim in eo procedente, ut de eorum, qui transmittendi erant, mansionibus ordinaret, fama hujusmodi circum quaque citò provincialibus cunctis innotuit, multis dolentibus quàm maximè, eumque destructorem publicè clamantibus, eique maledicentibus pro eo, quòd talem ecclesiam, quam priores ipsius in magna honestate & rerum copia gubernassent, ipse ad tantam deduxisset inopiam, ut ad Dei servitium in ea congregati sustentationem de amplis ejus reditibus non haberent. Quia verò feminas quoque conversas emigrare proposuerat, plerique hæc audientium consueto laicis more loquentes dicebant, moniales illas à monachis stupratas esse, quibus jam pariendi tempus instaret, eas pro crimine occultando occasione penuriæ ad loca alia destinari. *Ottonis* autem Comitis de *Brene*, qui tunc advocatus loci erat, ministerialium quidam cum ipso Comite adhuc puero ad locum accedentes, fratribus convocatis Præposito tunc absente propositum ejus valdè esse reprehensibile demonstrabant, ipsosque rogabant & hortabantur, ne ei ad recedendum aliquatenus consentirent, quibusdam ipso-

ipsorum, qui in congregatione feminarum consanguineas habebant, dicentibus, se nullo modo, ut ad se pertinentes quoquam transmitteret, permissuros. Præpositus dehinc rediens fratres ad consilium illorum inclinatos &, quæ ab illis dicta fuissent, intelligens, latenter quidem pavidus, sed audaciam verbis prætendens dicebat, nunquam se illorum timore à proposito recessurum: nec tamen diu simulatæ inhærens constantiæ, sed statim sermone in aliud converso, illos quoque sibi consuluisse asserebat, ut expensas minus sumtuosas tam in cibo quàm in potu habere assuescerent, quod etiam facturum se policitus, in promisso verax inventus est. Deniqúe cùm jamdudum fratrum servitia, quæ sic vocare consuevimus anniversariis fidelium & diebus sanctorum festivionibus deputata liberè subtraxisset, nunc etiam quotidianæ eorum procurationi cœpit detrahere, carnesque, quas in esum diebus alternis solebant percipere, eis diebus tantùm Dominicis semel & tenuiter ministravit. Potus verò modis variis alterabatur, interdum videlicet de coctione baccarum lauri, qui modus festivior erat, non nunquam radicum urticæ, crebrò enulæ campanæ, præcipuè cujusdam herbæ ignotæ, quam Præpositus myrtum appellabat, quam tamen myrtum non esse omnes, qui myrtum noverant, testabantur. Alii herbam mortiferam esse dicebant. Alii nec herbam, sed furculos radicum arboris, qui vulgariter vichtin dicitur, quia in locis colligebantur, ubi hujusmodi arborum sylvas fuisse constabat. Quicquid verò illud esset, decoctione ejus fratribus uti necesse fuit, vel sitis miseriam sustinere. Ejus verò sapor ita extitit extraneus, ut plures ex fratribus antequam usum habere potuissent, decoctione aquæ simplicis uterentur, neque enim ut quondam vini habebant remedium, quod Præpositus, eis prorsus irrequisitis, ita pro suo detrahebat arbitrio, ut si quo

anno

anno non ultra L. vel LX. carratas vinea attulisset, vini eos nec meminisse quidem, ut sic dixerim oporteret. Hinc itaque crebræ inter eos dissensiones oriebantur, quoniam hujusmodi defectuum experientia non omnibus usque quaque communis erat, sed ets tantùm quos adversarios Præpositus deputabat, si qui videlicet super his in querelæ vocem erumpere præsumsissent, cùm his quoque qui Præposito familiariùs adhærebant, causas discordiæ cumularent. Quidam enim ipsorum, quorum capitaneus erat fratris Præpositi filius, cujus supra in causa cameræ mentio facta est, pro suo viventes arbitrio ceteris fratribus, tam juniotibus quàm senioribus graves solebant existere, ut in eos non solùm verbis sed etiam manibus excederent, quibusdam etiam interfectionem, quod dictu est horribile, minitantes, nec ipsum quidem Priorem, si vel occulte quicquam de eorum tractasset excessibus, expertum talium relinquentes. Hæc quidem de junioribus intolerabilia ut erant, judicantes, maximè cùm Præpositus illos à talibus non compesceret, hujusmodi consensum inter se fecerunt, ut contra illorum violentiam opera se vicaria tuerentur. Vnde factum est, ut quoniam illi ab istis duplici numero vincebantur, à priori animositate penitus repressi nihil de cetero talium attentarent: sed tamen ipsa sua repressione acriùs incitati contra eos, qui se repressérant, quia suis non poterant Præpositi viribus utebantur. Quicquid enim à quoquam illorum propter quotidianum defectum murmurantium dictum fuisset, quòd derogationem Præpositi vel tenuiter redoleret, statim ejus notitiæ deferebant, de quo ille vindictam sumere quantùm poterat non negligebat. Singulorum etiam excessus, quos ante plures annos cognitos dissimulaverat, ut justam videretur ultionis habere materiam replicando, non nunquam verò etiam falsis eos, criminibus infamando. Maximè

ximè verò id agebat, ut unanimitatem eorum, per quàm suos despectui haberi videbat, terrore dissolveret, eosque cum illis ad concordiam revocaret: sed propositum non obtinuit, quoniam isti quantò magis impetebantur, tantò sibi strictiùs adhærebant, ne divisi malis quibus libet vel ab eo vel à suis illatis facilius subderentur. Concordare autem causis discordiæ non cessantibus, difficile eis videbatur, cùm videlicet necessaria & consueta tam in victu & in vestitu sibi subtrahi, hisque alios delitiosè uti, illorum quoque mala non modica à Præposito non solùm dissimulari, sed etiam defendi, sua verò interdum minima exaggerari, seque pro his gravari conspiceret. Præterea cùm ipsi pro talibus à querelis temperare non possent, illique easdem querelas, delationis habentes materiam, incessanter contra ipsos Præpositum incitarent, ad hoc etiam impatientia stimulati, eumque, quem ut patrem honorare debuerant, contemnebant, graves non nunquam ipsi verborum contumelias irrogantes, ejusque interdum justæ correctioni contumaciter repugnantes. Licet autem ipse ad gravandum eos occasione qualibet ex se ipso promtus semper existeret, certum tamen est eum familiarium suorum delationibus ad malum sæpius incitatum. In his præcipuus esse credebatur cellarius Otto nomine, cui magno favore Præpositus erat obnoxius, vir elatæ mentis & dubiæ veritatis. sed qui hæc ipsa animi vitia verbis mollibus occultare noverat, & cui ad hoc agendum vox ipsa naturaliter infirma satis utiliter serviebat. Hic cùm primùm ad tale promotus fuisset officium, sicut à non nullis consideratum est, favorem fratrum studiosè sibimet cœpit conducere, rerum mutationem jam tunc cogitans, eorum procurationi tam cotidianæ quàm festivæ diligenter intentus, adeo, ut aliquando die festiviori ferculorum, quæ eis ministrabat, usque ad denarium numerus tenderet, ad quod perficiendum paro-

chiæ quoque cui præerat officio juvabatur. Fratrum verò juniorum animos his rebus ita sibi devinxit, ut, quod ei erat valdè delectabile, crebrò circa ipsum collecti providentiam ipsius collaudarent, ejusque provisioni gratias agerent, quorum plærique tempus venire, quo ipse Præpositus fieret exoptabant. Verum post modicum hac ejus ficta benevolentia cum rebus quibus præerat deficiente, illorum quoqve erga eum devotio lassabatur, & dilectio paulatim transibat in odium & contemtum, quoniam & in aliis rebus eum alium quam se ostenderet, experiebantur. His enim, quos dudum aliis graves extitisse prædictum est patronum se exhibebat, Præposito pro eis contra alios suggestiones faciendo, eosque occultè, ut dicitur, animando & consilia ministrando. In his itaque, licet magnopere latere desiderans, experimento cognitus, tempore procedente, cùm necessaria fratribus præscripta modò subtrahi cœpissent, eis in querelam publicam contra Præpositum excitatis, ipse quoque palam adversarium se eis exhibuit, non solùm quia insolubili quadam obligatione ipse & Præpositus quasi cohærebant, sed etiam, quia ab eis, quorum favorem maximè expetierat se contemni graviter ferebat eos verò qui partis erant Præpositi colligens, eisque rerum omnium quas aliis subtrahebat copiam exhibebat, contra alios Præpositum variis dilationibus incitabat. Ne autem ipse cum aliis gravamina procuraret, hujus studii mercede, Deo judice, fraudatus est, imò confusionem ex eo viro prudenti & qui honestatem diligeret importabilem reportavit. Nam cum exercitio aleæ omnisque generis ludorum deditus fuisset, tempore, quo de bona promissione laudabilis videbatur, alios quoque de fratribus in his rebus socios sibi studuit adhibere. Ipse verò cum quibuslibet tam domesticis quàm extraneis, qui similibus studebant, diebus crebrò noctes continuans, damnosè nimis talibus insistebat.

ſtebat. Deniquealii xv. quidam xx. non nulli xxx. marcas ludo eum perdidiſſe infra unius anni ſpacium affirmabant. Qui rumor per cunctorum ora provincialium cum volveretur, Præpoſitum quoque non latuit, ſecularibus quibuſdam viris eum redarguentibus, cur talia non compeſcendo eccleſiam ſuam dehoneſtari non minùs, quàm damnificari permitteret, cùm quidē ipſe hæc ſurdis auribus pertranſiret. Fratres enim tam Prior quàm alii ſermones de his & ſimilibus ad ejus familiares pertinentibus cum eo quicquam tractare ſuperfluum iudicabant, ſcientes eum accuſantibus, quàm accuſatis potiùs indignari. Cùm itaque aliquando unus de fratribus cujus præ cæteris in præfato negotio familiaritate Cellerarius uſus fuerat, ſed quem tunc intenſiùs perſequi videbatur, ipſo de quadam Præpoſiti derogatione accuſante gravare diſponeret, & ille quoniam teſtibus idoneis convinci non poterat, accuſationem ipſam per obedientiam requiſitus negando diſſolviſſet, de exceſſu alio, in quo eum olim ſe deprehendiſſe aſſerebat, videlicet de ludo aleæ, eum cœpit impetere ſatisfactionis ab eo debitum repetendo. Manſio ſanè, quæ curia Præpoſiti appellabatur, ipſo quoque digrediente, eo tempore quaſi gymnaſium fuit alea, ſcacchis, teſſeris globisque ludentium, *Ottone* ſignifero & quod his ſtudiis competebat, quodam ejus ſerviente vini vel medonis venalitatem ibidem inſtituente, quaſi taberna publica videbatur. Vbi die quadam frater ille, non tamen ludens, deprehenſus, ſuſpicionem ipſam à ſe protinus abſtergere curavit, Præpoſito, cujus tunc favore potiebatur, ne ſibi indignari debuiſſet, neve ſiniſtram de ſe ſuſpicionem habere vellet, humiliter ſupplicando, ipſo eum ut ſecurus eſſet hilariter adhortante. Igitur à Præpoſito ſibi malum paratum intelligens, ut ejus auctorem non neſciens, culpatus omnem illam inſignem narrationem de cellerario cœpit evolvere, dicens eum potiùs argu-

endum & puniendum, qui tale damnum rebus communibus intulisset. Præpositoautem ut taceret præcipiente, cùm non acquiesceret, excommunicationis contra eum statim sententiam promulgavit. Fratribus autem, qui, ut jam dictum est, contra familiarium Præpositi violentiam se vicissim tuebantur, quorum hic unus erat, sententiæ reclamantibus, tumultu facto Præpositus à consensu se abripiens, relicto capitulo egressus est. Quem cum *Otto* sequeretur, illi inordinatis in eum vocibus uti cœperunt, alii furem, alii sacrilegum, alii Iudam traditorem, alii aleatorem publicè inclamantes. Sequenti die Præpositusauctores tumultus illius mansuetè satis redarguens, monens ut à talibus temperantes essent; contra opinionem quidem omnium & suam consuetudinem, cùm & prolatam excommunicationis sententiam pridie facillimè relaxasset, non communi paci, sed cellerario tantum hac lenitate consulens, ne fortè districta facti illius examinatione motu aliquo concitato ille infamis ampliùs redderetur. Et ut ab omni parte plenam securitatem procuraret, eidem in virtute præcepit obedientiæ, ne quis de cætero criminationes illas, quas ille injustè passus fuisset, præsumeret iterare. Hocautem ejus studium pro tuendis familiarium suorum excessibus, ex alio quoque ejus facto cognosci potest. Vnus fratrum, quos adversarios deputabat, in congregatione feminarum sororem habens carnalem, cuidam familiarium ejus indecenter ad hærentem, naturali zelo ductus Præposito de hac re non semel conquestus est, petens ut eandem sororem suam à familiaritate, in qua esset mali suspicio, coherceret. Præpositus verò aliud quàm ille petebat exsequens, ab instantia conquerendi, cùm verbis non posset, verberibus cohercere curavit, dicens ecclesiam ex illis querelis damnum incurrisse, cùm ille, ut pro se aliquid diceret, eloquentiæ adjutorium non haberet. Nec defuit inter ista fratribus odiorum

diorum infelicitas, quibus ita contra se altrinsecus accensi erant, ut quidam partis Præpositi in divinorum celebratione proximis sibi in choro alterius partis fratribus pacis osculum publicè denegarent. Tales eo tempore fructus peccatis exigentibus ecclesia Sereni-montis de Prælati sui, filij peccati, moribus colligebat. *Henricus de Rekkin* Sereni-montis Canonicus x. Kal. Martij de itinere Romano reversus, literas ecclesiæ suæ à sede Apostolica impetratas attulit, quarum exemplum subjectum est.

Honorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Magdeburgensi Mogontino & Colonienſi Archiepiscopis & eorum suffraganeis & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis & alijs ecclesiarum Prælatis per Magdeburgensem & Colonienſem provinciam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem: Non absque dolore cordis & plurima perturbatione didicimus, quòd ita in plærisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, & canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi, & hi maximè, qui per sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis injurias sustineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, & profovendapauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem, dilecti filij, Præpositus & canonici monasterij Montis-Sereni ordinis S. Augustini, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, tam de frequentibus injurijs, quam de ipso cotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram literis petierunt Apostolicis excitari, ita ut videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum promta debeatis magnanimitate consurgere, quo ab angustijs quas sustinent & pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones vel res seu domos prædictorum, Præpositi & canonicorum, vel hominum suorum, irreverenter invaserunt, aut ea injuste detinuerunt, quæ ipsis ex testamento decedentium relinquuntur, seu in eos contra A-

postolicæ sedis indulta sententiam excommunicationis seu interdicti præsumserint promulgare, vel decimas laborum de terris habitis ante concilium, quas propriis manibus aut sumtibus excolunt, seu nutrimentis eorum, spretis Apostolicæ sedis privilegiis extorquere monitione promissa, si laici fuerint publicè candelis accensis excommunicationis sententia percellatis: si verò clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec jam dictis Præposito & canonicis plenè satisfaciant, & tam laici quàm clerici seculares, qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerunt mandati, cùm diocesani episcopi literis ad sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona prædictorum Præpositi & canonicorum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Laterani Nonis Jan. Pontificatus nostri anno IIX. Willehelmus secundus de *Lipzke* Præpositus ad Præposituram *Drubicensem* translatus est, cui in priori ecclesia successit *Ekkehardus* ejusdem loci Canonicus.

Anno MCCXXIV. *Sophia* Quedlinburgensis Abbatissa filia *Friderici* Comitis de *Brene*, filii Marchionis *Conradi* Senioris, magnorum & non paucorum excessuum rea deponitur. Viros enim quosdam malignos & latrocinantes in castro *Quedlingeburg* pro sua ut dicebat, tuitione colligens, turresque monasterii instar castelli munitas pro domicilio eis permittens, impudenter his res ecclesiæ impendebat, & fœda conferebat, cùm illi pacem provincialium cotodianis incursibus perturbarent. Civium præterea Quiddelingeburgensium ditiones pro suspicione, quod civitatem *Hojero* Comiti de *Valkinstein*, cum quo ipsa de advocatia ejusdem civitatis litigabat, tradere vellent, captivatos tam diu afflixit, donec filios suos conservandæ ei fidelitatis obsides dare coacti sunt, quorum plures, cum ipsa, pro eo

quòd

quòd erat animi inclementis necessaria subtraherer, mortis periculum incurrerunt. Adhoc etiam de dilapidatione, nec minùs de lapsu carnis & neglectu religionis multipliciter infamata, omnibus circumquaque de se loquendi materiam ministrabat. *Friderico* autem Imperatore pro expugnandis paganis longo tempore in Siciliæ partibus occupato, Rex juvenis filius ipsius cum deputatis sibi principibus, Cis-Alpinum imperium gubernabat. Cui *Northusen* curiam celebranti, *Henricus* Comes *Ascaniæ* filius *Bernhardi* Ducis, & *Hojerus* Comes de *Valkenstein*, & alij plures nobiles & ministeriales, de præmissis Abbatissæ excessibus illa absente conquesti sunt. Præcipuè obstidum mortuorum patres, qui cum clamore vulgari, quo ad arma convocatio fit, justum contra eam judicium postulabant, quam Rex, ut de objectis satisfaceret, ad proximam curiam *Egere* per sententiam evocavit. Quo cum illa muliebri superbia venire contempsisset, omni eam suæ dignitatis jure seculari, sententiantibus qui aderant, Principibus, spoliavit. Deinde inquisitione contra eam à sede Apostolica facta, inquisitorum sententia ita deposita est, ut ad eandem dignitatem in aliqua ecclesia de cetero eligi non valeret. In locum verò ejus electa est *Bertradis* soror quondam *Conradi* Halverstadensis Episcopi & *Guncelini & Friderici de Crozuc.* Accidit in civitate *Hallensi* ut parochianus S. Gertrudis *Wicmannus* nomine, *Novi-operis* canonicus die quadam ad morientem aliquem vocaretur. Qui veniens, invenit, hominem ex his, quibus est coquendi salis officium, qui se in sartraginem sui operis bullientem injecerat, nisi quòd lingua adhuc vivaciter utebatur: à quo dum casus illius miserandi causam modumque requireret, ille presbyterum auditu recognoscens, quia visu non poterat, oculis scilicet decoctionis vaporibus obscuratis & cute turgescente compressis, rogabat ut submotis aliis soli ei loquendi sibi copia præstaretur.

Quod

Quod consecutus cœpit dicere: se magna peccatorum suorum pœnitudine ad opus illud adductum, nec tamen ad hoc sine consilio accessisse. Presbytero verò dicente, non bono eum usum consilio, cum illicitum sit, ut pro quacunque causa nobismet ipsis mortis periculum inferamus, & quis tale ei ministrasset consilium scisscitante, respondit: Ante dies aliquod cum me peccatorum meorum recordatio tristem admodum reddidisset, repentè ubi eram intrantes ad me vidi viros albis indutos vestibus, qui me alloquentes, & sermonem mecum miscentes, inter aliàs causas à me tristitiæ requirebant. Quas cum eis simpliciter aperuissem, me videlicet ex scelerum meorum memoria tristari, pro quibus semper augmentum capientibus æterno me non ambigerem supplicio deputandum: illi rectè & utiliter me tristari asserentes, consilium tale mihi se daturos dicebant, quo ad plenam peccatorum indulgentiam pervenirem: scilicet ut me ipsum Deo sacrificarem, & salis in sartagine buliente corpus meum, cujus ministerio Deum offendissem, illis fervoribus iniicerem cruciandum; affirmantes hoc Deo modis omnibus placiturum. Ego verò consilium amplectens cum illi à me recessissent, cœpi observare tempus, quò id perficerem, ne me cujusquam præsentia impediret. Hodie verò cùm solùm me esse contigisset, illi iteratò mihi apparentes svadebant, ut ad propositum accederem, addentes, quod periculosa esset dilatio, cum mors incerta tam consilium utile posset annullare. Ego nihil moratus, quod monebant implevi, & nescio utrum ex hoc mihi juxta illorum promissum indulgentia sit speranda. Imò verò perpetuam per hoc damnationem, ait presbyter, timere debes, nisi pœnitentiæ adjutorio redimaris; demumque eum instruens, ut consilium illud Diaboli, & qui sibi apparuêrunt Dæmones fuisse intelligeret, ad peccatorum ejus confessionem instantiùs hortabatur, immensitatem divinæ misericordiæ,

cordiæ,& quã sit paratus Deus suscipere pœnitentes, ei sæpius inculcando. Ille deceptum se animadvertens,& ad tantam non solùm infructuosè sed etiã periculosè se venisse considerans,à fundo cordis ingemuit & sceleris in seipsũ commissi se pœnitere modis omnibus fatebatur. Deinde peccatorũ suorum vulnera fideli prorsus & devota confessione aperiens, ea pœnitentiæ lacrymis infundebat. Post confessionem jam bonæ spei factus, presbytero ut transitum suum, qui jam adesse videretur, eucharistiæ perceptione muniret admonente, respondit hoc quidem valdè esse desiderabile, sed fieri non posse, quoniã inflato gutture glutiendi copiam non haberet. Rogabat autem ut presbyter corpus Domini summis contingens digitis, eorum ablutionis aquam sibi sumendam porrigeret, pro testimonio fidei suæ quam de illo Sacramento firmiter retineret. In hac actione illis occupatis, subitò presbyterum, an aliquid audiret, interrogavit. Quo respondente, nihil, se nisi ipsum audire: eumque quid audiret vicissim interrogante, respondit: voces se multorum quasi sub terra audire lugentium & flentium, viderique sibi illorum esse, quos antè modicum consiliarios habuisset. Nec multò post Deum, ut sui misereretur crebrò invocans, animam reddidit, ecclesiasticaque est conditus sepultura. De hoc cum fatendum sit, cum peccatis aliis hoc quoque, quòd se ipsum illicitè punivit, fortasse credi potest, quòd eadem pœna per ipsam pœnitentiam ut sic dicam purgata ipsi purgatoria sit effecta: sicut latroni illi beato post confessionem pœna scelerum non ineptè creditur contulisse martyrium.

Haldis leve civitas ab hominibus *Alberti* Archiepiscopi reædificatur, ipso in partibus *Lombardiæ* servitio Imperatoris jam per trienium occupato. Discordia, de qua superiori locutione satis dictum est, inter fratres ecclesiæ Sereni montis

necdum ſopita. *Tidericus* Præpoſitus die Paraſceve in communi capitulo in virtute præcepit obedientiæ, ut ſi quis rancorem contra alterum retineret ab altaris abſtineret communione. Poſt capitulum verò à quibusdam fratribus ſenioribus contra ſuum propoſitum inductus, tam eos, qui ſui favoriserant, quam illos, quos adverſarios deputabat, privatim ad concordiam hortabatur, continuato ſermone ſubjungens fruſtra eos carnium & aliarum rerum exactionem facere, quoniam ipſe tantis expenſis ſufficiens non valeret. Illi verò quos per excommunicationis verbum notaverat, reſponderunt, ſe diſcordandi cauſam non habere, niſi neceſſariorum defectum & eo ſublato quiete ſe acturos: manente autem nullo modo poſſe querimonias cohibere. Quo reſponſo motus Præpoſitus ab interdicto quidem communicationis ſtatim ſuos abſolvit, tanquam parati & concordiæ in nullo reluctantes, illis verò introitum eccleſiæ diſtinctè interdixit, quaſi per ipſos pax & concordia turbaretur. Cum autem in hoc animi motu ad divinorum celebrationem accederet, quidam de fratribus eum rogantes ut pro reverentia feſtivitatis inſtanter indignationem compeſceret, vix à ſententia reduxerunt, & communionem quidem tunc illis indulſit, verum peracta feſtivitate cum quibusdam ipſorum ſe minatus eſt aliter tractaturum. Hoc enim artificio in omni penè caſu, quò ei gravandi ſubditos occaſio proveniſſet, uti conſueverat; ut in deciſione cauſæ partem aliquam non relaxatam reſervaret, de qua oportunè ſe tractaturum dicere ſolebat, ut ſic eos ſuſpenſos teneret, & trepidis ſuſpicionibus, quaſi impendente adhuc gravamine, fatigaret. Verùm paucis poſt feſtivitatem elapſis diebus novam quandam illi turbationem hujusmodi occaſio procuravit. Quidam fratrum laicorum, quos *barbatos* vocari uſus obtinuit, coquinæ officium commendatum habens,

fratri-

fratribus tam verbis quàm factis injuriosus esse consueverat, præsertim hic quos à Præposito noverat non amari. Inter cetera siquidem illorum temporum mala consuetudo dolenda irrepserat, ut quoniam carnes fratribus diebus statutis in communi non ministrabantur, isti nummos invicem conferentes & ad fora vicina transmittentes carnes emerent, quibus irrequisito Priori extra refectorium uterentur. Vnde fiebat, ut in hujusmodi diebus vix duo vel tres præter Priorem fratrem hora refectionis in refectorio invenirentur. In hoc quoque negocio frater ille coquinæ præpositus malæ voluntatis his aliquid ostendere non negligebat, modò videlicet ad hæc necessaria denegando, modò cocos à præparatione rerum ad eos pertinentium prohibendo, eos verò qui partium erant Præpositi, tam in congregatione virorum quàm fœminarum modis omnibus honorabat, eisque supra communem procurationem de rebus sui officii quicquid desiderassent impendebat. Erat hic de familia ecclesiæ ex eo genere hominum, qui *Zinurdones* appellantur, tantæ superbiæ, ut mirum esset rusticam mentem angustis rebus & paupertati assuetam tantum inflari potuisse, cum fratres quoque ipsius carnales & cognati cotidiano congregationis servitio in concoquenda cerevisia dediti, & ex eodem servitio sordidi sæpe vultus & habitus effecti, generis sui abjectionem ejus frequenter oculis præsentarent. Verùm idem cum *Ottone* Cellerario ex magno dilectionis calore undecunque conflato, in unam, ut sic dicam, animam confluxerat. Præpositum verò obsequio, quòd suis & maximè sorori ejus, quæ in congregatione fœminarum in seculari habitu vivebat, studiosè admodum impendebat, ita sibi devinxerat, ut querimonias fratrum, etiam Prioris, quas crebò de ipso proferebant, prorsus negligeret, cum tamen ipse quoque elationi ejus nonnunquam testimonium perhiberet.

Accidit autem die quadam, ut unus fratrum ex junioribus lignum unum ex his, quæ *per sexagenas* numerari solent, ut operis quippiam ex eo faceret, petiturus, illo absente coquinã intraret, & servis, qui aderant, licentiantibus lignum tolleret & abiret, cui ille superveniens, quoniam hic ex eorum numero erat, quibus omnis boni principium negabatur, ut lignum redderet cum fastu verborum edixit. Quo nolente eum insecutus detinuit, & reluctantem etiam per capillos, ut ille fatebatur, retinere conatus est, qui tamen violenter se abripiens retento ligno recessit. Sed cũ Præpositus eidẽ de lata contumelia conquerenti nihil satisfactione dignum factum esse judicasset, tam ipse, quàm quidam ejus socii, impatientia stimulati, & ex præsenti facto præteritas recolentes injurias, opus opinione majus aggredi fratremque illum non verbis sed verberibus corripere statuerunt. Itaque oportunitate die quadam captata, Præposito absente eum aggrediuntur, quos ille cultello fixorio, quo dudum eos suspectos habens se munierat, facilè à se submovit, cum ad eum vacuis manibus accessissent. Erant autem quatuor numero. Vnus tamen eorum fustem habens aliquot ei plagas imposuit, cujus animositate & instantia territus & armaturæ suæ oblitus exclamavit & in fugam versus in coquinam se recepit, ac per fenestram secretam aliquem famulorum alloquens, festine cellerarium vocari fecit. Cui venienti quod sibi acciderat confuse exposuit, addens, quod pro illius hortatu, quo eum confidere & nihil tale timere crebrò persuaserat, honoris sui & penè vitæ periculum incurrisset. Nec domo palàm prodire ausus se in secretiori parte usque ad vesperam continuit, sicque per cellerarium eductus ad allodium *Lubacisdorp* discessit, ut illic Præpositi reditum expectaret. Præpositus rediens ubi factum comperit, more suo iratus animi motum agitatione corporis &

ris & verbis minacibus fatebatur. Deinde cum reos in capitulo plagis virgarum singulos è duobus emendari feciſſet, adjecit præcipiens, ut fratrum omnium ultimi eſſent, donec ipſe eos ad loca propria revocaret. Erat eo die vigilia Aſcenſionis Domini, quando videlicet ad proceſſionis ſolennitatem adjacentium villarum numeroſior ſolet populus convenire. Illi reputantes quòd Præpoſitus ultimatione eos oſtentui habere vellet, ut in præſentia populi confuſionem publicam oſtenderent, reſponderunt ſe illi præcepto obedire non poſſe. Quos ille ſtatim à communione fratrum ſuſpendit, præcipiens eos ab omnibus evitari. Superiores ſanè Præpoſitos ad interdicendum & excommunicandum non ita faciles fuiſſe conſtat, ſed ſi quando, ut aſſolet, correctioni aliquem reluctari contigiſſet, dilatione interpoſita aliis fratribus id operis injungebant, ut admonitione fraterna eum ad obedientiam revocarent. Sic demonſtrant eſſe peccantium emendationem quærere, non gravamen. Unde fiebat ſæpiſſime, ut tales, eorum oppreſſi manſuetudine, erubeſcerent non obedire his quos non vindictæ, ſed ſuæ ſalutis, cupidos agnoviſſent. Hunc autem diverſo modo agentem diverſus ſequebatur effectus, dum exturbatis & præcipitatis ejus ſententiis ſubjecti ad majorem proterviam raperentur. Quippe qui eum ſuo tantum gravamini ſtudere experimentis pluribus didiciſſent, quod ſicut aliis penè omnibus, ita in hac quoque cauſa cognoſcitur eveniſſe. Denique illi quos vitari præceperat, plures à fratribus ſuæ communionis participes habentes, interdicti ſententiam contemnebant: verùm quibusdam amicis ſuis eos admonentibus ne & ſibi & aliis, qui pro ipſis ſoliciti eſſent, majus aliquod gravamen, occaſione illius cauſæ, quæ in nulla ſui parte eſſet favorabilis procurarent, difficulter licet, ut facerent, quod ſibi injunctum fuerat, conſenſerunt. Sicque eisdem apud

Præpositum pro eis intercedentibus in vigilia Pentecostes causæ illius vinculis absoluti sunt. At frater ille coquinæ magister à loco ad quem discesserat negotio pendente redire pertimuit, nec etiam postmodum reversus satis securus fuit, nimirum experientia priorum territus, quoniam ei jam possibile videri cœperat, quod priùs nec quidem cogitabile videbatur, cum etiam illi, quos nuper malè expertus fuerat, ei nisi ab officio, in quo eis & aliis irrogasset injurias abstineret, pejora prioribus minarentur. Unde factum est, ut per plures dies nec jussione Præpositi, nec hortatu cellerarii ad suum posset officium revocari. Inter hæc silentio premendum non est, quibus modis Præpositus defectum rerum, quas administrabat subsidia parare tentaverit, siquidem, ut prædictum est, & indulgentiam hac ratione obtinuit, & fratres locis aliis partiri disposuit, licet in his fortuna noluerit ei arridere. Est villa Episcopi Misnensis supra *Mildam*, miliari spacio distans à villa *Numik*, quæ *Lubaniz* dicitur. Hanc concambio acquirere, & in ea novum claustrum construere, & illuc congregationem transferre voluit, affirmans, quòd in loco priori manentibus pro difficultate vecturæ & aquæ penuria extremæ inopiæ periculum ei immineret, quasi ei necessaria ad illum locum ventorum essent ministerio deferenda. Nec defuerunt de fratribus, qui ei de hoc assentirent, & quidem seniores, licet pauci & tales qui pro privatis suis commodis & ejus favore ad quidlibet consensissent. Civitatem etiam in campo, qui ab occidente monti adjacet, ædificare propositum habuit, affirmans omnes suos consanguineos & plures alios prudentes viros, illud consilium approbasse. Adhæc proventus omnes possessionum ecclesiæ in tres partes dividere voluit, ut duas ex his fratres ad suos usus reciperent, ipse verò de tertia sibi & hospitibus provideret. Alias quoque divisionum species interponens.

nens. Erant enim hæc signa animi instabilis & perturbati & consilium non habentis, exemplo ægroti, qui febribus vexatus nunc de latere in latus convertitur, nunc supinus jacet, nunc verò in ventrem regyratur, mutatione se sperans requiem invenire. Fratribus autem, qui nihil cum simpliciter agere arbitrabantur, cùm certum quoque sit, infirmas res divisione non roborari, sed magis infirmari, contradicentibus, eique ad hoc ita respondentibus, ut duabus illarum partibus cum tertia sua compositis ipsis necessaria de omnibus ministraret, ait se eorum indigentiæ culpa non teneri, cùm constaret eos propriis utilitatibus reluctari. Sed cum die quadam in capitulo defectum suorum ei commemorationem facientes, eosdem peterent emendari. Respondit eos non justè aliquid à se exigere, quibus facultatem, ut seipsos copiosè procurarent de duabus scilicet possessionum suarum partibus, obtulisset: quod nunc quoque si vellent eis permitteret, vel si magis id eligerent, totam eis administrationem ex integro resignaret: quod quidem non ex intentione adjecit, sed quodam fervore loquendi, verbis ut plærumque contingit incautè procurrentibus, putans eos hoc nullo modo recepturos. Illis autem, si id fieret communis utilitatis spes nata est, & deliberandi de hoc usque post prandium induciis postulatis & acceptis. Facto prandio ipso interim in sua mansione quiescente convenerunt & ut totam administrationem susciperent consenserunt. Quidam tamen familiarium ejus, quibus illud factum quædam Præpositi dejectio videbatur, qui se quoque privatis per hoc commodis privandos sentiebant, licet propter communem consensum palàm reclamare erubescerent, mutationem hanc æquanimiter non ferebant, quod etiam non usquequaque poterant occultare. Denique unus ipsorum filius fratris ejus, qui jam sæpius commemoratus est, Priorem & quosdam seniores, qui advo-

can-

candum Præpositum exierant, cursu præcedens, eumque quiescentem inveniens, ut surgeret clamare cœpit, dicens eum ut verbo ejus utar, præbendarium futurum, qui Præpositi nomen hactenus habuisset. Vsque verò, etsi grata ei pro se ejus erat æmulatio, propter præsentes cum redarguens, indignari ejus irreverentiæ videbatur, ad fratres autem ejus perveniens hoc quod elegerant sibi placitum videbatur. Deinde causæ statum ordinaturus primò xxx. marcas ad suos & sibi servientium privatos usus singulis quatuor annorum, quos illam ordinationem durare volebat sibi dari constituit, præter administrationem victus qui ei de communi juxta solitum exhibendus. Tribus quoque, qui administrationi præessent ejus permissu à fratribus electis, his insuper debita sua solvenda imposuit, & unum ex ipsis Ottone cessante Cellerarium ordinavit. Hæc vigilia Apostolorum gesta sunt. Pluribus itaque etiam extraneis visum est commune bonum ecclesiæ Sereni-montis ex hoc principium accepisse, si tantum Præpositus fidem negocio conservaret. Verum ipse quo animo factum illud acceperit, non multò post etiam ad oculum demonstravit. Erat quidam de fratribus laicis quem negociis suis agendis præfecerat, qui duos equos habebat suis usibus deputatos. Hos pro eo quòd negotiis jam absolutus, negotiatore opus non haberet, administratoribus illis ad communes usus petentibus denegavit hac ratione, quod eos sua, ut dicebat, pecunia comparasset, unde factum est, ut unus illorum die proximo causam aliquam ecclesiæ acturus pedibus suis iter agere cogeretur. Fratrem verò illum laicum contra ordinationem priori die factam, in possessiones ecclesiæ præmittens, hominibus placitum, quod vulgari verbo Gedinck dicitur, jussit indicere, quem ipse subsecutus nullo illorum trium præsente, placito præsedit causas judicando, eo modo & aliis quibus villici negocian-

gociantur, aliquid pecuniæ cupiens expiscari. Altera autem ordinationis istius die, eo ad mensam cum familiaribus considente, & de his quæ acta fuerant sermocinante, unus astantium pro favore ejus, ut aliquid solicitudinis pro ipso se habere ostenderet, dixit: quod in xxx. marcis sibi dandis sibi expensis non sufficienter suo judicio providisset. Cui subridens respondit, se infra anni spacium, si viveret, illis xxx. alias lucraturum. Vnde quis non videat, & in illis xxx. marcis exigendis, & in istis ut sperabat lucrandis, eum rebus communibus deprædandis, & suis privatis, quibus non egebat augendis, ingenio miserabili intendisse. Alium item equum, quo tempore aliquando vehi consueverat, quemque, cum ei propter incommoditatem incessus displicuisset, in opus allodii, quod in pede montis positum est, locaverat, ipso die, quo mutatio illa facta est, abstulit, satis ostendens, se communis utilitatis, quæ per alios promovenda foret, invidia non carere. Fertur etiam quòd familiares suos hortatus fuerit, ut servitia quæ diebus festis & in anniversariis fidelium exhiberi consueverunt, quæ tamen ipse ante plures annos eisdem negaverat, exigerent, spondens, quòd adhoc eis adjutorio potirentur; quod quidem de eo verum esse illi probare visi sunt, eadem servitia exigendo. Illorum sanè trium qui administrationi erant præpositi tale fuit propositum, ut primò & præcipuè congegrationi necessaria providerent, ac demũ extraneis & hospitibus juxta quod eis esset possibile ministrarent. Præpositus verò dicebat hospites etiam invitandos esse, quod se quoque facturum asseruit, quorum procurationi suo deberent exemplo diligentiam adhibere. Et quidem eum ab hospitibus frequentatum constat, sed maximè à suis consanguineis, quibus omne studium neglectis fratribus impendebat. Verùm illi qualitatem animi ejus erga se & commissum sibi negocium signis præmissis & quibusdam aliis colligentes non aliud

expedire viderunt, nisi ut maturè ab administratione recederent, quoniam eo sibi obnitente, quanto diutius in ea stare contenderent, tanto majorem confusionem, nihil utilitatis proficientes, inde reportarent. Itaque XIV. ab institutione sua diebus elapsis malæ voluntatis ejus coram fratribus judicia proponentes, onus impositum simul deposuerunt, cum ille nec propriam conscientiam, nec ea per quæ detectus erat, veritus ac bona fide ad factum illud se accessisse juramentis horribilibus affirmaret. Licet autem ipsi administrationi renunciantes nihil extra placitum ejus egissent, non tamen statim eos absolvere voluit, contentiosè affirmans, se velle, ut quod ordinatum fuerat permaneret; nimirum hac in eis suspensione punire volens hoc, quòd quasi ad ipsum de mala administratione infamandum illud eos suscepisse ministerium judicabat. Denique postmodum uni eorum sibi familiariter adhærenti confessus est, se propter hoc eisdem non mediocriter indignatum. Tandem rebus ad priorem statum revocatis, Otto Cellerarius, ne vel ipse vel Præpositus trium illorum proposito impares apparerent, simul etiam diuturnæ pertæsus discordiæ, Præposito persuasit, ut carnes fratribus, quas penè per annum eis negaverat, ministraret. Præpositus verò indignanter ferens, quod id quasi coactus facere videretur, quippe per actionem talium qui juniores essent & fratrum infimi (erant autem isti, de quibus superiùs dictum est, quòd contra violentiam familiarium Præpositi ope se vicaria tuerentur:) ut salsamentum ad carnes adderet, arctioris eos cœpit disciplinæ vinculis innodare. Sed cum in capitulo de ordinis observantia edicta proponeret, illi, contra quos specialiter his armis utebatur, ad hæc servanda se paratos dicebant, dummodò generaliter omnes eisdem legibus subjugaret. Quod ipse virtutum omnium scrupulus, ac fœdissimæ pravitatus dispositor, confusionum omnium & discordiarum promtissimus

simus reparator, filius peccati, bestia perditionisque Præpositus propter eos qui suæ partis erant dictum intelligens, quos nimirum ea nequaquam servaturos noverat, respondit se potestatem habere quos vellet à coactione liberos relinquendi; miserandus, quod eum ad tale responsum necessitas compulisset, quo se de potestate jactaret, quo posset suis dilectoribus perditionis aditum aperire. O more canem, ô totius in omnia sceleris adamantem. Cur repentina morte non occiditur qui tantæ abominationis ut sæpius dictum est princeps extitit. Instabat tamen coactioni pro eo quoque, quod eos videlicet discordiæ pertinaciùs inhærentes à se procedente pro se propter fratrem illum coquinæ magistrum, qui eorum timore officium suum recipere declinabat. Dedicationis autem ecclesiæ festivitate transacta, *Alberto* Præposito S. Afræ Misnensis mediante, omnes ad concordiam redierunt: qua reconciliatione etiam magister coquinæ participans, ad officium suum timore rediit absolutus. Exinde omnis ille rigor de ordinis observatione inductus cœpit lentescere, & ad dissolutionem pristinam inclinare. Inter hæc nova quædam adversitas nata est hujusmodi occasione. Tempore quo *Albertus* Archiepiscopus sub *Innocentio* Papa, ejusdem Pontificis legatione functus est contra *Fridericum* Halverstadensem Episcopum, pro eo, quòd à favore Imperatoris excommunicati recedere nolebat, excommunicationem suam promulgavit. Quem dum penè omnium ecclesiarum, quæ sub ipsius administratione erant, juxta mandatum præscripti legari vitandum decrevissent, *Sifridus* Abbas Ilsenburgensis ab ejus communione nequaquam credidit abstinendum. Pro quo dum idem legatus eundem non renitentem deposuisset, monachis ipsius monasterii alterum pro eo eligendi legitimas inducias non negavit. Quibus, ut ipse testabatur exemtis, cum alium non elegissent, *Hartwicum* Pigaviensem mo-

nachum eis Abbatem instituit benedictione confirmatum: illis pro eo, quòd ipsum recipere nolebant, excommunicationis sententia involutis. Verùm causæ procuratoribus ab utraque parte ad præsentiam summi Pontificis destinatis, Papa ex corũ narratione factum agnoscens respondit, quòd nec legati sui factum irrogare vellet, nec monachis justitiam denegare. Vnde dato mandato monachos absolvi fecit sub hac forma: *ut Hartvicum Abbatem reciperent eique obedientiam facerent, habentes postmodum contra ipsum pro jure suo licentiam proponendi, rebus ecclesiæ intactis interim reservatis.* Quod cum illi facere contemsissent, ex ipsius mandato sententia denegationis lata est in eosdem, à ipso vivente constat eos nullatenus absolutos. Post mor- . . nnocentii monachi prædicti successori ipsius *Honorio* aliud pro alio suggerentes, contra *Hartwicum* Abbatem & *Rochmannum* quendam monachum Ilseneburgensem qui ei adhæserat judices impetrarunt, facientes illos per eosdem excommunicationis sententia infamari. *Sifridus* sanè Abbas Pigavienſis *Hartwico* Abbati, qui ejus erat consanguineus cellam quandam, *Zcolene* dictam, assignaverat, de cujus reditibus suis posset necessitatibus providere. *Hardwico* iuterim Abbate mortuo, *Rochmannus*, quem Abbas Pigavienſis in sua receperat, *Romam* profectus, executores obtinuit Præpositum Brandenburgensem & Abbatem Pigavienſem, qui monachos Ilseneburgenses præfatum monasterium relinquere, & ad præsentiam summi Pontificis gratiam petituros venire compellerent, sibique de rebus illius ecclesiæ convenienter facerent provideri. Illis non ea, quâ volebat, vigilantia in executione mandati utentibus, secundò Romam profectus aliud mandatum obtinuit: cujus continentia talis: *Honorius Episcopus servus servorum Dei, Abbati & Priori Pigavienſi Merſenburgenſis diœcesis & Præpoſito Brandenburgenſi salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius Rochmannus, monachus mona-*

monasterii de Ilsenburg Halverstadensis diœcesis, in nostra proposuit præsentia constitutus qnòd venerabilis frater noster Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, Siffridum tunc monasterii prædicti Abbatem à regimine illius canonicè removerit, exigentibus culpis suis, & Hartwicum monachum eidem monasterio præfecerit in Abbatem, monachis ejusdem loci pro eo, quòd dicto Hartwico exhibere obedientiam ac reverentiam debitam renuebant, excommunicationis vinculo innodatis. Eusdem pertinaciter in sua contumacia perdurantibus, de speciali Apostolicæ sedis mandato lata fuit degradationis sententia in eosdem, exceptis quibusdam valetudinariis & pueris, circa quos fuit hujusmodi sententia temperata. Verùm iidem monachi tam degradationis quam excommunicationis sententiam contemnentes, unum ex se in Abbatem eligere præsumserunt, cum quo ipsum monasterium obtinentes, celebrare divina officia non verentur. Vnde nos bonæ memoriæ Brandenburgensi Episcopo ac vobis filii Abbas & Præposite dedimus in mandatis, ut ab ipso monasterio eiiceretis hujusmodi præsumtores, & tam diu degradatos & excommunicatos, pulsatis campanis & candelis accensis, nunciaretis eosdem & nunciare faceretis in partibus convicinis, donec dimisso monasterio sæpe dicto cum literis vestris rei seriem continentibus ad Apostolicam sedem accederent misericordiam petituri, adjecto, ut ad eiiciendum eos si opus esset, assumeretis auxilium brachii secularis, & præfatum Rochmannum ab ipsorum molestiis defendentes, faceretis eidem de bonis monasterii ipsius congruè provideri. Ac demum vobis præfatis monachis & fautoribus eorum plus debito deferentibus, & prætextu quarundam exemtionum malitiosè objectarum ab eis differentibus procedere in negocio memorato, vobis in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut si vera essent, quæ de ipsorum monachorum degradatione ac contumacia sunt expressa, non admissis eorum exceptionibus non tardaretis procedere in negocio sæpe dicto. Nuper autem præfatus Rochmannus proposuit coram nobis, quod ipso Episcopo viam

universæ carnis ingressio, & successore ejus extra provinciam commorante, vos in ipso negocio procedere non valetis, pro eo, quòd in literis nostris expressum, quòd si non possetis omnes executioni negocii interesse, dictus Episcopus cum altero vestrûm procedet in eodem. Quare jam dictus Rochmannus nobis humiliter supplicavit, ut super hoc providere ei misericorditer dignaremur. Nos igitur te fili Prior præfato episcopo in executione jam dicti negocii subrogantes per Apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus humano amore ac mundano timore postpositis in negotio ipso juxta literarum tenorem præfato Episcopo ac vobis filii Abbas & Præpositæ ultimò directarum sublato appellationis obstaculo, procedere non tardetis, pro certo scientes, quòd si prædictus monachus pro defectu adnos ampliùs fuerit laborare compulsus, poteritis meritò formidare, ne vos similis laboris angustias oporteat experiri, nullis literis obstantibus si quæ apparuerint à sede Apostolica impetrare, quæ de ipsorum culpa & pœna plenam & expressam non faciant mentionem. Quòd si non omnes his exequendis poteritis interesse duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XII Kal. Febr. Pontificatus nostri anno VII. Sifrido itaque Pegavienſi Abbate jam defuncto, *Henricus*, qui pro ipso electus erat & sui conjudices Tiderico Præpositio missis literis præceperunt, ut juxta formam in mandato expressam monachos sæpè dictos excommunicatos & degradatos nunciaret & in sua jurisdictione faceret nunciari. Qui licet mandato obediens, quod jussum fuerat implevisset, ipsorum tamen communioni in colloquio & convivio & divinorum celebratione non timuit implicari. Simile quoque mandatum iidem dederunt executores *Ekkehardo* Merſenburgenſi Epiſcopo & *Popponi* Hallenſi Præpoſito præfatos monachos denunciandi, eosq; e obedire nolentes excommunicationis vinculo ligaverunt. At monachi uno suorum misso mandatum pro se Apostolicum impetraverunt in hac forma: *Honorius episcopus servus*

servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & Priori de Walkinrid & Præposito de Northusin Maguntinensis diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Sua nobis Abbas & conventus Ilseneburgensis petitione monstrarunt, quod cum Rochmannus quondam monachus ipsius monasterii falso nobis suggerens, quod ipsi excommunicati & degradati divina temere celebrabant, causam super his & aliis Abbati & Priori de Pigavia & Præposito Brandenburgensi obtinuisset à sede apostolica delegari, quia dicto Abbate interim viam universæ carnis ingresso, Hartwicus monachus, qui se in locum ejus proponit electum, & præfatus Prior contento tertio conjudice volebant in eadem causa procedere ex parte dictorum Abbatis & conventus fuit excipiendo Præpositum coram eis, quod cum prænominatus Rochmannus esset excommunicatus tempore quo tales literas impetravit, prout erant in continenti probare parati, nec exinde in literis mentio haberetur, ipsi earum auctoritate procedere non poterant nec debebant. Sed quia dicti judices hanc exceptionem eorum denegabant admittere, ipsi ad nostram audientiam appellaverunt. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est revocato in statum debitum, quicquid post hujusmodi appellationem inveneritis temerè attentatum audiatis causam, & appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, alioquin partes ad priorum judicum remittentes examen, appellantem in expensis legitimis condemnantes. Quod si non omnes &c. Datum Laterani XIII Kal. Decemb. Pontificatus nostri anno IIX. Eodem tempore *Henricus* Pigaviensis electus Romam profectus proferenda benedictione rediit confirmatus. *Rochmannus* verò qui cum ipso abierat quibusdam impedimentis aliquantum remorari coactus postmodum reversus hujusmodi literis impetratis: *Honorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & Priori Pegaviensi Merseburgensis diœcesis & Præposito de Brandeburg salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius Rochmannus monachus*

chus monasterii de Ilseneburg sua nobis petitione monstravit, quòd cum post commissiones varias bonæ memoriæ prædecessori tuo fili Abbas, & vobis fili Prior & Præposite dederimus in virtute obedientiæ in præceptis, ut monachos præfati monasterii, qui per venerabilem fratrem nostrum Magdeburgensem Archiepiscopum, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, propter suos pravos excessus excommunicati fuerunt, ac demum crescente ipsorum contumacia degradati, tamdiu pulsatis campanis & candelis accensis excommunicatos ac degradatos nunciare publicè curaretis, & faceretis arctiùs evitari, donec dimisso monasterio præfato cum literis vestris ad Apostolicam sedem accederent, misericordiam petituri, & defendentes præfatum Rochmannum à molestatoribus eorundem, faceretis eidem de bonis ipsius monasterii congruè provideri, & præfata excommunicationis sententia innovata fuerit postmodum & publicata in partibus convicinis, Præpositus Novi-operis in Halle Magdeburg. diœcesis qui à nobis acceperat in mandatis, ut præfatas sententias faceret in partibus suis firmiter observari, deserens hominem contra Deum non solùm noluit easdem sententias publicare, verùm etiam ipsis excommunicatis impudenter communicare præsumit, propter quod tulistis excommunicationis sententiam in eundem, qua contemta divina officia celebrare non veretur, in famæ ac salutis suæ dispendium, & ecclesiasticæ disciplinæ contemtum. Cum ergo tu fili Abbas prædecessori tuo succedere debes in hujusmodi onere, cùm literæ prædictæ commissionis non expressis personarum sed locorum nominibus fuerunt impetratæ, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus firmiter præcipiendo, quatenus juxta prædicti mandati tenorem sic diligenter in negocio procedatis eodem, quòd vestræ rectitudinis zelus inde possit meritò commendari, nullis literis obstantibus harum tenore tacito à sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. Datum Laterani 11. Non. Maii Pontificatus nostri anno IIX. Igitur judices monachorum Ilseneburgensium ex eorum probationibus sibi constare affirmantes, injuriam eis in sæpe dicto negocio irroga

irrogatam, absolutos esse pronunciarunt: contra *Rochmannum* verò excommunicationis sententiam protulerunt: *Henricum* Abbatem pro eo, quòd ipsum foveret eidem sententiæ involuentes: & *Tiderico* Præposito dantes in mandatis, ut eandem sententiam cum instantia publicaret. Nec multò post Abbatis quoque & suorum judicum recepit mandatum, ut monachos Ilseneburgenses excommunicatos & degradatos cum solennitate in literis Apostolicis expressa publicè nunciaret. Ipse verò mandato priori obedientiam servare decernens, studiosè illud exsequebatur, Abbatem & Rochmannum excommunicatos sæpius denunciando. Quod cum aliquando in conventu quodam Nuenburgensis & Merseburgensis Episcoporum & aliorum plurium clericorum & Abbate quoque præsente faceret, erubescendum de se uterque spectaculum præsentibus præbuerunt conviciis se vicissim turpiter infundentes. Non autem Abbas & ejus conjudices auctoritatis suæ contemtum æquanimiter acceperunt, sed Præpositum excommunicationis sententiam ferentem hanc primò in capitulo Goslariensi promulgari fecerunt, ac ea postmodum iterata missis in vigilia beati Andreæ literis, fratribus quoque ut à communione ejus se subtraherent præceperunt. Literarum verò continentia talis fuit, *Henricus Dei gratia Abbas, Henricus Prior Pigavienſis, & Albertus Præpositus de Brandenborg, Dn. Tiderico dicto Præposito montis-Sereni spiritum consilii sanioris. Si ecclesiæ membrum utile fuisſetis, Ilseneburgensium, quos & ipse præcisos ab corpore publicastis, morbo communionis infici cavisſetis. Verùm quia sicut peccator, qui in profundum malorum devenit adeo Dei reverentiam contemsistis, ut in nos excommunicatus excommunicationis adiiceretis blaspemia protervire, pro eo, quod Domini Papæ præceptum in virtute obedientiæ nobis injunctum omittere non audemus, &*

vos ejusdem præcepti clausula, quæ dicit nullis literis obstantibus, harum tenore tacito, à sede Apostolica impetratis, à nostra non suffecit potentia defensare nos iteratò quâ fungimur auctoritate sententia vos excommunicationis involvimus, licet invitis & vobis in Domino consulimus, ne clavium potestatem, quas à Domino Papa recepimus, vilipendere penitùs præsumatis, & sententias iniquitatis, quas in nos temerè promulgastis, in proximo festo S. Andreæ sicut publicè protulistis, sic & publicè per vos corrigere maturetis, non solùm ponderis nullius, sed etiam plenissimi erroris sententias ostendentes, alioquin ex tunc, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, contra vos durius procedemus.

Dei gratia Henricus Abbas, Henricus Prior, Pigavienses, & Albertus Præpositus de Brandenburg executores sedis apostolicæ delegati, Venerabilibus Dominis Priori totique conventui Montis-sereni eum timere, qui postquam occiderit corpus, potest & animam perdere in gehenna: Cum juxta mandatum Apostolicum monachos de Ilseneburg excommunicatos & degradatos publicaverimus & fecerimus per omnes ipsorum vicinias publicari, Montis sereni Præpositus inter ceteros qui nostrum recepere præceptum, qui dictos sacrilegos, quos & ipse solenniter nunciarat, recepit ad divina, cum & talium dictis judicibus, imò certiùs, seductoribus, Abbati scilicet & Priori de Walkenrid eodem excommunicationis vinculo innodatis, non solùm in crimine communicat criminosis, verum etiam pro ipsorum favore in nos pro justitiæ castris stantes excommunicationis blasphemia protervè præsumsit. Et quia, cum ex nostræ commissionis respectu jurisdictionem talium nullam esse debuerit perpendisse, & sicut de mandato sedis Apostolicæ degradatio Ilseneburgensium monachorum processit, sinec absolutionem ipsorum ab ejusdem sedis Apostolicæ expresso mandato & ipsorum culpæ & pœnæ mentione potuerint admisisse, quia idem tenebris lucem, & lucem tenebras æstimare non verctur, auctoritate qua fungimur

gimur ipsum ejusdem excommunicationis vinculis, quia facinus quos inquinat æquat, solenniter innodamus, ut vel hac districtione Sathanas deserat emendatum vel si ipsum vas suæ processionis invenerit, vos, quia in fructu operum elegistis filii Dei esse, juxtæ timorem Domini patrem catholicum eligere mereamini. Ideoque districtioni vestræ sub eadem excommunicationis pœna districtè præcipiendo mandamus, ut statim post literas nostras visas hujusmodi arrepticium evitetis, scituri, quod omnes qui post hoc mandatum receptum dicto præsumteri communicare præsumserint, similem excommunicationis vindictam nominaliter sortientur. Fratrum *tamen nullus pro hujusmodi mandato ab ejus se communione subtraxit, quidam pro ejus favore, non nulli verò, quoniam stipendio suo defraudari & à loco emigrare, quod videlicet, eis qui hoc facere voluissent solùm restare videbatur, pondus importabile judicabant, præsertim, cum non deessent viri literati qui eos non teneri ad obediendum præceptis talibus faterentur, quo eis excusari desiderantibus ut se excusatos esse, etsi non crederent, saltem se credere sibimet fingerent, suadebatur.*

Duo novæ conversationis in provincia & præcipuè in ipsa civitate *Magdeburg* haberi cœperunt, unus eorum, qui sanctos *Prædicatores* se nominant, alter eorum, qui *minores fratres* appellantur, de quibus ferunt, quod ante hoc tempus xx. annis instituti & ab *Innocentio* Papa fuerint confirmati: & prior quidem clericorum tantum est: Sequens verò & clericos & laicos recepit, quem dicunt ab institore quodam principium accepisse. Quid autem est hujusmodi novitatum introductio, nisi quædam exprobratio neglectæ & ociosæ conversationis eorum, qui in ordinibus constituti sunt, in quibus Ecclesia, primitus est fundata. Denique beatissimus *Augustinus & Benedictus*, qui ita docuerunt, ut vixerunt, ad quantum sanctitatis culmen ex sua conversatione

ne pervenerint, notum est, quorum præceptis, si quis obedientiam servare voluerit, nullis novis institutionibus videtur indigere. Nam si eisdem novis institutionibus sanctitas quæritur, illa posset sufficere ad quam dicti fratres sanctissimi secundum suas vivendo regulas pervenerunt. Non enim facile credi potest, quod quisquam vel ex ordine sanctorum Prædicatorum vel minorum fratrum Augustino vel Benedicto sanctior sit factus. Absit autem, ut quorumlibet bonis studiis derogando, hæc dixerim, sed quia dolendum est, & valdè dolendum, quod primitivi ordines ex eorum qui eosdem professi sunt, inordinata conversatione ad tantum deducti sunt contemtum, ut seculo renunciare volentibus ad salutem sufficere non credantur. Si enim posse sufficere putarentur, nunquam novi alii quærerentur.

Presbyter quidam *VVidego* nomine plebanus villæ, quæ *Selevvene* dicitur hæreditatem quandam à *Tiderico* Præposito repetens, Abbatem & Priorem Pigavicnsem judices super hoc à sede Apostolica impetravit. A quibus Præpositus peremtoriè citatus est, cum die statuta non venisset, fratrem autem unum ad appellandum tantum pro se miserat, excommunicatus est, literasque in vigilia Natalis Domini recepit ipsam sententiam continentes. *Rochmannus* monachus tam pro suis negociis, quàm pro ecclesia Pigavienſii quam *Ekkehardus* Mersenburgensis Episcopus suæ jurisdictioni subiicere conabatur, cum nuncio Abbatis Romam profectus est, cum eum Episcopus jam diebus XV vel amplius eodem itinere præcessisset.

Anno M CC XXV. *Conradus* quondam Halverstadensis Episcopus monachus in *Sichem* obiit XI Kal. Iulii: ante quem frater ipsius *Guncilinus* de *Crozuc* eodem anno mortuus est. Cardinalis quidam Cistercienſis ordinis natione Teuronicus,

cus, cujus pater Comes de *Vradegeno* dicebatur, Portuensis & S. Rufinæ Episcopus, ad omnes ecclesias Galliæ & Teutoniæ à sede Apostolica destinatus, circa principium Augusti Misnam venit. Cujus adventus, pro eo quòd justitiæ tenax & munerum contemtor dicebatur, *Tiderico* Præposito sibi malè conscio non parvæ trepidationis causa fuit, cùm fratres quoque suos, si possibile eis fieret, accusationem contra se instituturos minimè dubitabat. Ita misso nuncio *VVillehelmum* Cillenensem & *Albertum* Misnensem S. Afræ Præpositos rogavit, ut ipsi de ecclesia Sereni montis legato suggestionem facientes orarent, ut eidem misericorditer provideret, quoniam impunè & à quolibet vastaretur, hoc procurare intendens, ut si forte de malo statu ecclesiæ suæ legatum audire contingeret, de hoc non ipse sed magis alii culpabiles tenerentur. Et illi quidem quod rogaverat exsecuti sunt, verùm quidam qui legatum comitabantur & canonicorum Misnensium nonnulli, qui causam ecclesiæ bene noverant *Sereni-montis*, ipsum familiari colloquio plenius instruxerunt, commemorantes eidem, qualiter ecclesia jam dicta in annis prioribus in omni honestate & rerum copia floruisset, nunc verò per negligentiam & improvidentiam Prælati sui extrema & rerum & honoris inopia laboraret, hortabanturque, ut, quoniam ecclesia ipsa immediatè ad sedem Apostolicam pertineret, eam personaliter, non negligeret, visitare. Igitur à *Misna* digressus sequenti die Assumtionis S. Mariæ *Hallis* venit, ubi cum per biduum moraretur, innovatis de *Tiderico* Præposito accusationibus, simulque accusatoribus multiplicatis, extraneis tamen, contra ipsum incitatus est. Certumque erat eum ab ecclesia Hallensi recedentem ad Serenum-montem iturum, si non à capitulo Halverstadensi invitatus propositum mutasset. Interea fratres Sereni mon-

tis diversis prō expectatione adventus ejus animōrum motibus agebantur. Et Præpositus quidem & qui partis ejus erant verum timorem fictæ lætitiæ securitate palliabant. Alii verò qui multorū malorum finem per eum se inventuros sperabant pro diversitate referentium, quibusdam videlicet eū venturum affirmantibus, quibusdam negantibus, nunc spe alacres nunc tristitiâ dejecti & trepidi videbantur. Sed cū verus rumor exiisset, quod *Rudolfum* Præpositum S. Iohannis Halverstadensis pro querimonia fratrum suorum deposuisset, & horum aucta fiducia & illorum simulata lætitia repressa est. Et jam de contemnendo ejus mandato, si aliquid simile contra Præpositum attentare voluisset, mutuò conferebant. Non autem accusantes Præpositum Halverstadensem defuerunt, sed aucti numero legatum in admirationem non modicam adduxerunt, ita ut easdem querelas depositione Præpositi indubitanter permitteret terminandas. Eodem tempore *Ekkehardus* Merseburgensis Episcopus de partibus rediit trans-Alpinis. De *Halverst. ad* verò progressus legatus die beati Egidii *Magdeburg* venit, ubi tribus hebdomadibus remoratus est. Ecclesia quædam est canonicorum secularium, quæ *Bivera* dicitur, cujus erat Præpositus *VVildebrandus*, frater Archiepiscopi Magdeburgensis. In hac præbendam vacantem legatus cuidam dedit, Præposito inconsulto: cui cùm Præpositus in faciem contradiceret, eique exactiones, quibus ecclesias ad serviendum sibi compelleret, contumaciter exprobraret, eum excommunicavit, & ita verbis in audientia totius cleri & populi in eundem invectus est, ut *garconem*, & sicut plerique se audivisse fatebantur, *peccatorem* publicè appellaret. Sequenti die beneficiis ecclesiasticis, quæ plura habebat eum spoliare cœpit: & primò præpositura de *Bivera*, dicens, quod singulis diebus uno cum beneficio usque ad ultimum

timum nudare vellet, ita ut nec nomen ejus in ecclesia Magdeburgensi remaneret : Sed vix ei ab Archiepiscopo, & ceteris qui aderant, Episcopis, venia impetrata est cùm prius ipse discalceatus & scopam ferens legati se pedibus prostravisset. Sabbato quatuor temporum, quòd in hoc anno in vigilia beati Matthiæ evenerat, *Hermannum* Herbipolensem electum presbyterum, & sequenti die Episcopum consecravit. Nocte beati Maurizii ad matutinas octo Episcopi hoc est *Estonienſis*, *Caminenſis*, *Havelbergenſis*, *Brandenburgenſis*, *Merſenburgenſis*, *Hildenesheimenſis*, *Herbipolenſis* & *Magdeburgenſis* octo lectiones legerunt, legatus nonam, priùs tamen benedictionem : *Deus misereatur nostri & benedicat nobis*, & dicto à circumstantibus, *Amen*, sic demum legit. Eo tempore de præpositura *Rezovienſi* quæstio vertebatur. Tempore namque, quò *Albertus* Archiepiscopus in partibus trans-Alpinis servitio Imperatoris occupatus morabatur, defuncto *Johanne* Præposito *de Rezovve*, qui *Erico* successerat, *Albertus* Misnensis ecclesiæ canonicus in locum ejus electus est, ecclesiamque illam plus, quàm per annum in seculari manens habitu gubernavit. *Albertus* Archiepiscopus reversus *Alexandro* canonico *Novi-operis* Præposituram dedit dicens, donationem ejus ad se devolutam, quoniam infra terminum electioni præscriptum legitimam personam, hoc est *regularis ordinis*, conventus eligere neglexisset. Hæc ante adventum Cardinalis gesta sunt, verùm postmodum adveniente *Albertus* Præpositus eum adiens supplicavit, ut causæ suæ favorem suum impendere dignaretur, quod in se factum fuerat confirmando. Quod cùm legatus facere paratus esset, consilio suorum revocatus est, dicentium, audientiam Archiepiscopo concedendam. *Ekkehardus* quoque Merseburgensis Episcopus ab *Alberto* Præposito pro eodem rogatus negotio devo-

devotum mox spopondit adjutorium cum magna *Alexandri* derogatione adiiciens, quod nullius ei loci Præpositura conveniens esset, nisi fortè alicujus amœni nemoris speciosas meretrices habentis & cui taberna de proximo sit adjuncta. Legatus Archiepiscopum de causa conveniens cùm tenacem sui juris inveniſſet, dixit, non oportere eum de Præpositura *Rezovienſi* prænominato canonico obtinenda tantopere solicitum esse, cum ipse aliam videlicet *Sereni-montis* in promtu haberet, quâ posset ipsum honestius investire. Verùm episcopus Mersenburgensis hoc rumore compertotimens ne cognatus suus *Tidericus* inhonestè deponeretur *Alexandri* colloquium petit, hortaturque ne donationem Archiepiscopi legitimam negligendam duceret, immò constanter ad obtinendum instaret, promittens se ei modis omnibus succursurum. Archiepiscopo deinde ad voluntatem suam inclinato, uterque legatum adeunt, eumque à proposito agendi contra Præpositum reducunt. *Alexander* verò, paucis evolutis diebus Præpositurам Rezovienſem obtinuit. Igitur legatus missis literis, duobus diebus, hoc est, Matthiæ & Mauricii, procurationem sibi de ecclesia Sereni-montis præcepit exhiberi, in qua sex marcæ expensæ sunt, tribus thuribulis argenteis pro eisdem impignoratis. Intellexit tunc Præpositus malum quod evaserat, ipso sibi legato dicente, quòd durè contra eum acturus fuisset, si non intercessores ipsius, quos plures & fortes haberet, eum à sententia revocassent: sciret tamen se nequaquam sine examine relinquendum. Præpositus verò malum sibi à fratribus suis procuratum coniiciens, quod etiam non usquequaque falsum erat, omnem in eos causam cœpit refundere, multis eos apud legatum accusationibus infamando, ac ipse, Præposito à se recedente, advisitationem Sereni-montis ordinavit *Conradum*

Hilden-

Hildenesheimenſem Epiſcopum & *Gotfridum* quendam monachum Ciſtertienſis ordinis, ex his qui eum comitabantur. Quam tamen ordinationem *Otto* majoris eccleſiæ Magdeburgenſis Præpoſitus impedivit. Is enim *Sophiæ* Quedlingeburgenſis Abbatiſſæ dudum depoſitæ judices à quibus reſtitueretur Magdeburgenſem & Hildenesheimenſem & Merſenburgenſem Epiſcopos à ſede Apoſtolica impetraverat, timens, quia ne reſtitutio ipſa occaſione viſitationis prædictæ per abſentiam Hildenesheimenſis dilationem acciperet, factum illud petiit immutari. Reſtituta verò Abbatiſſa ipſe eam uſque *Quidelingeburg* proſecutus eſt, atque inde rediens ægritudine occupatus, novem diebus decubuit, ſicque demum immatura morte vitæ terminum conſecutus eſt. Cui in Præpoſitura ſuccedens *VVildebrandus* frater Archiepiſcopi, inopinata mutatione veritatem illius ſententiæ ſatis probaſſe viſus eſt qua dicitur, quòd humiliationem elatio & gloriam humilitas antecedat. Igitur cum circa finem Septembris legatus de civitate *Magdeburg*, itinere, quod juxta Serenum montem ducit Nuemburg profecturus eſſet, magna rurſus fratres pro expectatione ejus ſolicitudine tenebantur crebroque ad loca unde procul videri poterat procurrentes ſpeculabantur: ſi fortè ad eos occaſione itineris declinaret. Ipſe quoque Præpoſitus ſuſpicionibus trepidus, quippe quem conſcientia ſecurum eſſe non patiebatur, cum nullo adhuc nuncio venturum didiciſſet, equitando tamen eidem tanquam jam venienti occurrens, eccleſiam ornari, vexilla crucibus appendi, aliaque receptioni ejus convenientia parari præcepit, atque ſub hac expectatione biduum exactum eſt, illo minimè veniente: Accidit verò inter hæc patrem ejus advenire filio collocuturum, quem in Sereno-monte reperturum audierat, quem caſum multis viſum eſt à caſu Præpo-

situm liberasse. Siquidem procurationi Comitis omnem impendens diligentiam, hoc meruit, ut eidem ad filium postmodum veniens eum pro se Præposito gratiarum actionem rependere postularet. Nec inefficax fuit ejus postulatio. Denique legatus Serenum-montem præteriens cum *Nuemburg* venisset admonitus, ut sæpius, ne ecclesiam sæpe dictam absque provisione relinqueret, *Ekkehardum* Mersenburgensem, sciens & certus ipsum esse cognatum Præpositi, visitatorem dedit, ad hoc tantum ut Præpositum à gravamine custodiret adjunctis ei Episcopo Brandenburgensi & Abbate Portensi, ut etiam pro ecclesia aliquid fecisse videretur. Verùm Brandenburgensis vicem suam *Ernesto* Scholastico Mersenburgensi agente Præposito commisit. Abbas verò pro se jam dictum *Gotfridum* monachum destinavit. Hi itaque cum Episcopo Mersenburgensi ad locum venientes, die XI M. virginum coram altari beati Petri, convocatis primùm eis, literas legati recitari fecerunt quarum continentia talis est.

C. *divina miseratione Portuensis & S. Ruffinæ episcopus Apostolicæ sedis legatus venerabilibus in Christo Mersenburgensi & Brandenburgensi Episcopis & Abbati de Porta Cisterciensis ordinis Nuemburgensis diœcesis salutem in Domino Iesu. Ad aures nostras noveritis pervenisse, quòd Mons-serenus negligatur in multis & in magno defectu sit rerum atque disciplinæ. Quia verò ipse locus ad sedem Apostolicam respectum habet nullo mediante, nobisque specialiter incumbit providere, ne pereat, auctoritate legationis, quâ fungimur, vobis mandamus quatenus accedentes ad locum ipsum visitationis officium prosequamini diligenter, & studiosè reparationi ejus intendentes plenam habentes potestatem statuendi & ordinandi quæcunque videritis expedire, atque contradictores per censuram ecclesiasticam cohercendi. Datum Nuenb. Kal. Octobris.* Lectis literis, cum Episcopus modum visitationis se ignorare diceret, quam-

quamvis modum, secundum quem ipse procedere dispoſuerat, non ignoraret. *Gotfridus* monachus, quoniam in ordine Ciſtertienſi uſitata res eſt viſitatio, modum ejus talem eſſe aſſeruit, *ut ſinguli fratrum jurati dicerent veritatem de omnibus, quæ vel à Præpoſito vel ab aliis in eccleſia ſua fieri certum eſſet.* Epiſcopus licet hunc modum commodum Præpoſito non eſſe ſentiret, callidè tamen laudavit eum & tenendum eſſe dixit. Vnus verò de fratribus *Henricus de Rekkin* cujus jam ſæpius mentio facta eſt his auditis, credens inquiſitionem contra Præpoſitum faciendam, cartam, in qua plura & majora, in quibus eccleſiam damnificaverat, continebantur, Epiſcopo porrexit. At Epiſcopus ad id, quod ipſe facere propoſuerat tendens, ad Priorem & fratres converſus, ſi aliquid contra Præpoſitum vellent proponere, à ſingulis requirebat, qui modus ab illo, quem priùs laudaverat, & quem tenendum dixerat modis omnibus diſcrepabat. Quomodo judicia æquitatis inveniunt, qui pro judice lupum voracem ſub agnina pelle recipiunt. Verebatur enim, ne viſitatio vel inquiſitio ſuo modo procederet, hoc eſt, ſub juramento & in ſecreto Præpoſitus numeroſitate contra ſe teſtantium gravaretur. Neque enim Præpoſitus ipſe de omnibus, qui luæ partis eſſe videbantur, ſatis ſecurus erat, quos tamen, ſi publicè & ſine juramento requirerentur, nihil contra ſe dicturos, minimè dubitabat, cum adverſarios quoque ſuos à libertate dicendi publica poſſet inquiſitio refrenare. Verùm iſti, ut modum viſitandi ſibi præſcriptum teneret cum inſtantia petentes, impetrare nullo modo potuerunt. O tantum Prælatum, juſtitiæ naufragium, nefandæ violentiæ principem, ſimulatæ ſanctitatis & Simoniacæ dignitatis infula ſublimatum. Quomodo ille prodeſſe rit, qui divini Spiritus ſanctæque conſcientiæ inanis extitit! Priore itaque aliisq; pluribus dicentibus, quòd nihil vellent

proponere, alii qui sive palam seu occultè requisiti quod verum erat non tacere decreverunt, quique continentiam literæ, quam *Henricus* exhibuerat, non ignorabant, dolum tamen, qui in verbo proponendi latebat, non intelligentes, sed hoc quoque ad inquisitionem pertinere simpliciter credentes, præsertim, quia in capite illius literæ ita scriptum erat: hæc sunt, *de quibus inquiratis*. Quidam quidem, pro tædio, non nulli verò etiam pro inopia verborum, ut brevi responso se absolverent, hoc se proponere, responderunt, quod litera contineret. Recitata igitur ab episcopo litera, Præpositus ad respondendum, interloquendi copiam petiit & accepit. Sicq; visitatio in actionem litis mutata est. Interlocutus autem cum suis respondit, plura contra se proposita, quæ tempore arbitrii in quæstione fuissent, & quæ arbitrium perpetuo silentio tradidisset. Ex qua re probare nitebatur, eos, qui proposuerant in crimen perjurii cecidisse, & consequenter pœnæ arbitrii, hoc est, excommunicationi subjacere; addens, eos contra se quod ex uniformi responso eorum posset colligi, conspirasse. Episcopo præterea, ejusque sociis dicentibus, quòd iis, quæ olim proposita arbitrium intacta reliquisset, ipsi ad discutiendum manum non apponerent: ea, quæ de novo adjecta fuerant, facilè diluit, cum non solum Episcopus & *Ernestus* Scholasticus, sed etiam *Henricus* Mersenburgensis Præpositus frater ejus, & quidam Iuris-peritus *Iohannes* nomine, quos Episcopus ad illum tractatum admiserat, patronos se ei exhiberent, non tamen responsiones ejus qualescunque sufficere judicantes, sed etiam ipsi pro eo respondentes, eumque ne fortè incautius aliquid diceret, allocutionem ipsius sæpius compescentes. Fratres, ubi ad resistendum arctari se viderunt *Gotfridum* monachum, in quo non parum fiduciæ habebant, ad privatum petentes colloquium, consilium flagitabant.

bant. Ille malè cum ipsis actum esse protestatus in tale cum eis consensit consilium, ut *Henricum de Rekkin*, qui tempore arbitrii à claustro exsulabat, & alii, qui nondum emancipati arbitrio stare non promiserant dicentes, se vinculis arbitrii suo judicio non teneri, magis autem sub pœna arbitrii, propterea, quanquam ipsorum non eadem, quia prior Præpositus illud non servasset, qui & possessiones ecclesiæ sine consensu fratrum postea abalienaverat personas etiam pro rebus receperat, debita ecclesiæ cum instantia & sub testimonio fratrum à Marchione non exegerat, violenter ablata non requisierat, privilegium de quodam contractu ante arbitrium sine consensu capituli facto cum sigillo capituli, ignorante capitulo, post arbitrium dederat: suspicionem verò conspirationis, si necesse foret, se posse detergere juramento. Itaque regressi, quod in consilio placuerat, responderunt. Ad horum principium, ita respondit Episcopus, quod non solum illi præsentes arbitrium servare promiserant, sed etiam omnes qui in ipsa ecclesia usque in finem futuri essent, eodem adstricti vinculo tenerentur. Contra ea verò quæ de transgressione arbitrii posita sunt, quia veritate roborata excusari impudenter non poterant, vicissim ab illis inquirere studuit, utrum & ipsi arbitrium beneservassent, quia prius audierat, eos clausuris & proprietatibus non carere. Quibus dicentibus, quòd atbitri discretioni Præpositi & Prioris hæc dispensanda reliquerint, ut eorum licentia talibus uterentur. Respondit, eos non hoc excusare, quod scriptura arbitrii non haberet. Illud tamen, quod de personis pro rebus receptis dictum erat, ita excusavit, ut diceret quod si aliqui sine conditione verbis expressa aliquo reciperentur, tales pro rebus non recipi sed cum rebus. Quidam sanè Iuris peritorum hujusmodi negotium *velatam Simoniam* vocant, credo propterea, quod homi-

nes lateat, quasi bona providenda non sit potius coram Deo, quam coram hominibus, coràm quo indubitanter Simonia committitur, cum quis in claustrum suscipitur, quia si non daret aliquid, non susciperetur. Iterata post hæc interrogatione Episcopus de observantia religionis & qualitate obedientiæ Præposito & de procuratione fratrum à Priore & cæteris in virtute obedientie requirens, singula horum emendatione satis comperit indigere, pluribus causam in Præpositum refundentibus in tantum, ut Prior publicè fateretur, esse quosdam fratrum, quos speciales Præpositi appellabat, quos nec Præpositus per se corrigere, nec ab eo corrigi vellet, qui pro arbitrio suo viverent, & quorum exemplo aliis malè vivendi occasio præstaretur. Præpositus verò narrationem, quam ipse texuerat, scriptam proferens recitari fecit, in qua fratres non suæ partis quosdam ipsorum nominatim exprimens, nimis indecenter laceravit, ita ut aliquos ipsorum non minus falsis quàm detestandis conaretur criminibus infamare. Multa quoque de eorum inobedientia & contumacia conquestus, plures excessus, quos ipse correxerat, replicabat, plurima quæ scripturæ deerant verbis supplens, quorum non pauca veritatis esse vacua notum erat. Aliam præterea conscriptionem recitari fecit, expensas quas per annos XIV se fecisse dicebat, & damna, quæ ab aliis ecclesia suis pertulisset temporibus, continentem, per quam scilicet causas inopiæ, qua in præsenti premebatur ecclesia, à se voluit submovere. Episcopus his patienter auditis nullam fratrum, qui accusati fuerant excusationem volens admittere, conscriptiones illas recipiens apud se retinuit ac deinde cum sociis visitationis interloquitur, & dicebat, quòd statum illius ecclesiæ talem invenisset, ut de ejus reformatione non possent sine prudentum

tum virorum consilio pertractare. Idcoque se ad præsens recessuros sed in octava beati Martini cum pleno consilio redituros, monebatque, ut ipsi causam suam cum Præposito medio tempore ita componerent, ut eorum deinceps præsentia non egerent; obedientiam quoque Præposito debitam exhiberent, religionem, quam ipsis testantibus valdè infirmam constaret, ipsi per se ad emendationem reducerent, neque hoc opus aliis reservarent, scientes indubitanter quemlibet illorum, religioni non studentem, aut inobedientem repertum, ita ab illa ecclesia removendum, ut ad eam regressum de cætero non haberet. Sicq; conventus ille solutus est. Majori verò, quam nostris temporibus visa fuerit, diligentia in ecclesia Sereni-montis religio servari cœpit, & nova quædam rerum facies repentè apparuit, dum fratres omnes, exceptis, quos officia excusabant, quotidie simul horis canonicis ad ecclesiam procederent, simul in refectorio reficerentur, intra parietes claustri se cohiberent, mox ut signum ad vesperas datum fuisset, omni opere postposito, ad conventum concurrerent, ad collationem sederent, & tempestivè ad dormitorium convenirent. Instabat quoque Præpositus coactioni, non tamen cum dilectione, sed ut de suis accusatoribus se vindicaret, religione pro gladio utebatur. Cujus rei probamentum fuit, quod unum ex ipsis sacerdotem, pro eo quod una vice hora tertia primo signo sonante ad conventum non occurreret, virgarum verberibus emendaverit. Neque enim uniformiter circa omnes eandem districtionem servabat, sed etiam quod sibi faventibus vellet parcere non celebat; quæres aliis malum intolerabile videbatur. Intentionem quoque ejus incitabat familiarium suorum instantia, qui pœnam ei divinitus irrogari precabantur, si in cogendo illos, qui in derogationem ipsius defectum religionis accusassent, tepidus exti-

extitisset. Denique Episcopus, incertum utrum ex industria an tædio interrogandi, de hoc articulo è pauciſſimis eorum, qui erant ex parte Præpositi, requisivit. Cum itaque illorum qui coactione arcebantur vita in amaritudine esset constituta, de hoc crebrò inter se conferentes ingemiscerent, quibusdam ipsorum utile visum est, ut Præpositum satisfactione placantes, cum ipso & aliis ei faventibus concordarent, ita enim posse fieri, ut rigorem suum circa eos æquè ut circa alios temperaret. Conatum enim suum contra eum, quod multis jam experimentis didicissent, inanem esse, ut ipsi captiosè ad religionis observantiam cogerentur. Alios quoque quotidie sub oculis viderent sibi juxta suum viventes placitum insultare. Hoc autem consilium quantum eis commodi & utilitatis procurasset, si illud secuti fuissent, postea cognoverunt. Verùm quia plerisq; eorum ignaviam & timiditatem redolere videbatur rejiciendum judicabant, cum tamen ipsi nullum in quo fidendum eis esset, possent solatium demonstrare: unde factum est, ut, quamvis ægrè, ad visitatorum reditum instantem sibi cum suis Præpositum tolerarent. Qui die constituta aliis eos causis detinentibus venire prohibiti, venturos se die beatæ Ceciliæ mandaverunt. Quo die cum Episcopo & Scholastico Abbas quoque Portensis adfuit, quia *Gotfridus*, ut ipse postmodum testatus est, propter iniquitatē prioris tractatus sequenti noluit interesse. Igitur in hoc loco, quo supra, fratribus convocatis, Episcopus ab illis qui in literam *Henrici* consenserant, qui erant XI. numero, requisivit, utrum cum Præposito ad pacem & concordiam redire vellent, an cum eo de jure contendere. De qua re illi cum Abbate solo collocuti ejus consilio Episcopum & Scholasticum rogaverunt consilio interesse. Quod consecuti, dicebant quod se & causam illorum consilio & mandato vellet submittere dum-

dummodo querimoniis ipsorum, priusquam ad audientiam venirent, præmissis, necessitatibus ecclesiæ providerent. Episcopus verò eos etiam hortabatur, ne aliquid eorum quæ dicenda essent, supprimerent, dicens hoc & sibi & illis expedire, quia nequaquam bene possent de rebus incognitis ordinare: adjecitque, quòd consanguinitatis, qua teneretur Præposito, vellet illa die penitus obliviscì. His animati cuncta quæ vel à Præposito, vel à suis passi fuissent fiducialiter exponebant : præcipueque suspicionem conspirationis, à qua se immunes noverant, volentes abstergere, unanimitatis suæ causam non celabant, hanc scilicet; quòd Præpositus & familiares sæpius in eos non solum verbis, sed etiam manibus excessissent, quosdam ipsorum etiam interficere minitantes, talisque eos ad concordiam, qua se vicissim tuerentur, & de qua Præpositus eos infamaret, necessitas adduxisset, *Hactenus codex Freherianus.*

In diebus primi *Ottonis* Imperatoris, fuit quidam *Tidericus* egregiæ libertatis vir. Hic genuit duos filios *Dedonem & Fridericum* Comites. In diebus autem tertii *Ottonis* Imperatoris, mortuo *Bione* quodam Mersenburgensi Comite, *Gislerus* Archiepiscopus Comitatum ejus qui inter *VVipperam & Salam & Saltam & VVillebeke* fluvios situs est *Dedoni* acquisivit. Duxit præterea uxorem *Thiebergam* filiam *Tiderici* Marchionis, genuitque ex ea filium nomine *Tidericum.* Interfecit autem eundem Tidericum *VVernizo* Marchio : filius autem *Tidericus* Comitatum patris & omne beneficium dono regis obtinuit. Marchia verò *VVernizonis*, & quicquid à Rege tenebat,

Annexa hæc superioribus erant in Codice MSto CL. Meibomii.

Bernhardo Comiti, avunculo *Tiderici* Marchionis, conceſſum eſt. Accepit itaque *Tidericus* Comes uxorem filiam *Ekkehardi* Marchionis, qui in regia curte, quæ *Police* dicitur, interfectus eſt, *Machtilden* nomine, ſororem *Hermanni & Ekkehardi* Marchionis & ex matre *Geronis* Marchionis. *Gero* autem fuit filius *Diethmari* Marchionis, qui cum fratre ſuo *Gerone* Colonienſi Archiepiſcopo *Nienburgenſem* Abbatiam, juxta *Bodam & Salam* fluvios conſtruxit. *Fridericus* verò Comes, *Friderici* Comitis patruus, frater *Dedonis*, cùm non haberet mares filios, ſed tres filias, *Hileburg* civitatem ſuam eidem *Tiderico* moriturus dedit, ut de conſenſu ſuo, quia hæres ejus fuit, prædium omne quod remanſerat, filiabus ſuis traderet. Obiit autem in eadem civitate in ſacra nocte Epiphaniæ Domini. Hujus Comitatum, & ſuper pagum *Suſelitz* poteſtatem, prædictus Comes *Tidericus* Imperatoris munere poſt ſuſcepit. Genuit itaque *Tidericus* Comes hos filios *Fridericum*, *Dedonem*, *Thiemonem*, *Geronem*, *Conradum*, *Riddagum* & filiam *Hiddam*. Primus filius *Fridericus* fuit Præpoſitus majoris Magdeburgenſis eccleſiæ, poſtea Magdeburgenſis Epiſcopus. Secundus filius *Dedo* Marchiam *Hodonis* Marchionis obtinuit, qui hæredem non habuit, & duxit uxorem *Odam* matrem *Ottonis* Marchionis de *Orlamünde*, genuitque ex ea *Dedonem* juniorem, qui in pueritia per poſteriora confoſſus interiit, & duas filias, quarum una *Adelheidis* nupſit *Erneſto* Marchioni de *Bavaria* genuitque ei *Luppoldum* Marchionem. Altera *Agnes* nupſit *Friderico* Comiti, peperitque ei tres filios, *Adelbertum* Archiepiſcopum, *Dedonem & Fridericum*, Palatinos Comites, & filiam *Odam*, quam

quam *Adelbertus* quidam nobilis, cognominatus *Seveke de Summerſcheburg* accepit uxorem, genuitque ex ea *Fridericum* Comitem Palatinum ſeniorem. Defuncto verò *Ottone* Marchione & matre ipſius *Oda*, prædictus *Dedo* Marchio viduam ejus *Adelam* duxit uxorem. Hæc fuit nata de *Brabantia* ex caſtello quod dicitur *Lovene*, erantque fratres ejus *Henricus* Comes & *Reilerus*. Genuit autem ex ea *Dedonem*, *Henricum* Marchionem de *Hileburg*, & *Conradum* Comitem, qui à paganis occiſus eſt. Idem Marchio *Henricus* genuit ex *Gertrude*, quæ erat de *Brunesvvig*, Marchionem *Henricum* Iuniorem. *Thiemo* Comes duxit uxorem *Idam* filiam *Ottonis* Ducis de Northeim, genuit ex ea *Dedonem* Comitem, & *Conradum*, & filiam nomine *Machtildam*, quam *Gero* Comes de Bavaria accepit uxorem, genuit ex ea *VVichmannum* Archiepiſcopum & *Conradum*. Illoque defuncto, accepit eam *Ludevvicus* Comes de Bavaria, præter *Ludevvici* Abbatis Merſenburgenſis, & *Ludovvici* Comitis, patris *Conradi* Præpoſiti. Quartus filius *Gero* Comes duxit *Bertam* viduam cujusdam *Popponis*, genuitque ex ea tres filios *Tidericum* Comitem & *VVillehelmum* Comitem de *Camburg*, & *Guntherum* Zeicenſem Epiſcopum, & filias *VVillam*, Abbatiſſam de *Gerbarſtide* & *Thieburgam* Præpoſitam de *Gerenrode*. Hujus Popponis frater fuit *Cuno* ſenior de *VVippera*. Quintus filius *Conradus* duxit ſororem *Tiderici* ſenioris de *Kathelenburg*, quæ *Othilhildis* dicebatur, peperitque ei filiam *Berthradam*, quam *Beringerus* Comes, frater *Ludovvici* Comitis ſenioris de *Thuringia* accepit uxorem, genuitque ei filium *Conradum* & filias quatuor, quarum unam *Cunegundam* accepit *Thimo de VVippera*, quæ

genuit ei *Ludevvicum*. *Riddagus* mortuus est sine liberis. *Hidda* nupsit Duci *Bohemico* & genuit *Guntherum* patriarcham & matrem *VVichmanni de Cella*, Omissis aliis, *Thiemonis* genealogiam persequamur. *Dedo* filius Thiemonis duxit uxorem *Bertham* filiam *VViperti de Groitz*, genuitque ex ea filiam nomina *Machtildem*, quæ nupsit Comiti *Rabodoni* Bambergensi Advocato. Idem *Dedo* ecclesiam in honore beati Petri Apostolorum principis initiavit, quam præventus morte fratri suo *Conrado* consummandam reliquit. Habens enim votum visitandi sepulchrum Domini, uxorem suam *Bertam*, quam repudiaverat, Episcoporum consilio & judicio recepit, sicque profectus in terram peregrinationis suæ, obiit, & lignum Domini ecclesiæ, quam in *Monte Sereno* fundare primus cœperat, transmisit quod usque ad præsens ibi habetur, & fidelium frequentatione honoratur. *Henricus* autem junior Marchio de *Ilenburg*, *Conradum* fratrem prædicti *Dedonis*, orto inter eos bello captivavit, & lecto ferreo in *Kirchberg*, multisque malis oppressit. Post mortem autem *Henrici* captivitate solutus, anno MCXXVII. liberalitate *Luderi* Imperatoris Marchiam *Misnensem* suscepit, cui etiam *Lusicensem*, quæ Orientalis nunc dicitur, idem Imperator, postmodum concessit. *Conradus* itaque Misnensis & Orientalis Marchio accepit uxorem *Lucardem* filiam cujusdam nobilissimi de *Svevia* nomine *Alberti*, quæ peperit ei hos filios, *Henricum*, qui in pueritia obiit, *Ottonem* Misnensem Marchionem, *Tidericum* Orientalem Marchionem, *Dedonem* Comitem de *Rochelitz*, *Henricum* Comitem de *VVitin*, *Fridericum*, Comitem de *Brene*. Filias quoque genuit sex, quarum tres *Gerberstat* monachas fecit.

cit. *Odam & Bertam* Abbatissam Gerberstadensem, *Agnetam* Quiddelingeburgensem Abbatissam : Quarta nupsit Palatino Rheni *Gertrudis*, quæ viro defuncto Christum hæredem faciens ecclesiam in honore *Theodori Bamberg* constructit, ibique monialibus Deo famulantibus se socians, in sancta conversatione vitam finivit. Quinta *Adela* copulatur Danorum *Svenoni*, qui genuit ex ea *Luccardam*, quam duxit *Bartoldus* Marchio de *Bavaria*; qui cum genuissent *Popponem* Bambergensem Præpositum & *Bertam* Gerbestadensem, consensu Episcoporum propter notam adulterii separantur. Occiso à Danis *Svenone*, viduam ejus *Albertus* Comes *Alberti* Marchionis filius, duxit uxorem, genuitque ex ea *Gertrudem VValtheri de Arnstein* conjugem. Sexta *Sophia* nupsit *Gebehardo* Comiti de Bavaria, filio sororis *Luderi* Imperatoris. *Conradus* igitur Marchio ecclesiam à fratre suo inchoatam in honorem beati *Petri in Sereno-monte* à fundamentis erexit, largisque suæ proprietatis prædiis ditatam, in jus & proprietatem Romanæ ecclesiæ tradidit, & clerum canonicorum regularium ibi Deo famulaturum instituit. Quibus & ipse omnibus mundi pompis ex integro renuncians, pauper pauperibus, pro veris divitiis associatur II. Kal. Decembr. conversus, & in ipso anno Non. Febr. defunctus. Moritur autem anno MCLVI. à *VVichmanno* Magdeburgensi Archiepiscopo & *Bolone* Havelbergense Episcopo, præsentibus filiis suis & *Alberto* Marchione pluribusque liberis & ministerialibus condignè in ecclesia beati Petri sepelitur. Anno MCXVI. Kal. Ianuarii obiit *Iudita* uxor *VViperti* Marchionis. *VVipertus* Marchio Pigaviensis ecclesiæ fundator, cujus filiam *Dedo* Comes duxerat, anno

M.G.V.I. ind. 1. p. 249.

MCXXIV. XI. Kal. Iunii moritur, relinquens hæredem *Henricum* Marchionem. Quo ſine hærede mortuo Anno MC XXXV. II Kal. Ianuarii Imperator Marchiam ejus, quæ Orientalis dicitur *Conrado* Marchioni conceſſit, cui etiam Miſnenſem priùs conceſſerat. *Berta* Comitiſſa, filia *VViperti*, uxor *Dedonis* Comitis, proprietatem ſuam *Groitz* dedit *Dedoni*, filio *Conradi* Marchionis, quem filii loco nutrierat. Ipſa autem obiit anno MCXLIV. XVII. Kal. Ianuarii. *Otto* Miſnenſis Marchio duxit uxorem *Heidvvigem*, filiam *Alberti* Marchionis de Saxonia, ex qua genuit filios *Albertum & Tidericum*, & filias *Adelam & Sophiam*. *Sophia* nupſit *Olrico* Duci Bohemorum, qui genuit ex ea —

Reliqua hujus additamenti, eaque perpauca, periere.

INCIPIT

INCIPIT
LIBER DE FVNDATIONE MONASTERII GOZECENSIS,

ab anno Christi CIↃ XLI ad annum CIↃ C XXXV.

ANno Dominicæ incarnationis millesimo quadragesimo primo, regnante Hinrico III. anno regni quarto facta est inchoatio cœnobii *Gozecensis*. Facta est autem in honorem Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi, ejusdem genetricis ac perpetuæ virginis Mariæ, beatique Michaëlis Archangeli, per ALBERTVM, sanctæ Metropolitanæ ecclesiæ Bremensis Archiepiscopum: perque fratres ejus DEDONEM & FRIDERICVM Palatinos Comites, & regalium decretorum maximos Principes. Verumtamen ut certissime constet, hunc locum illo in tempore ad eos hæreditario jure pertinuisse: qualiter Bremensi Ecclesiæ postmodum sit subditus, ut scripturarum & veracium virorum attestatione didicimus, paucis pandere curabimus.

Comes FRIDERICVS fama referente hujus nominis primus, de nobilissima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia originem ducens, nobilitatis gradu non inferiorem Dominam *Agnam*, procerum de *VVimare* filiam sibi in conjugio sociavit: ex qua prædictos tres fratres, sororemque eorum *Vdam* generavit. Et quoniam eadem domina *Agnes* more antiquorum tam literis, quam diversarum artium disciplinis apud *Quidelenburg* pulchre fuit instructa, hinc *Adelpertum* in Halberstadensi Ecclesia Cano-

Canonicum fecit: *Dedonem* ſub rege *Hinrico* in rebus militaribus implicavit; *Fridericum* Abbati Fuldenſi N. nepoti ſcilicet ſuo nutriendum commendavit. Iis in ſenectute bona defunctis, foris eccleſiam S. Simeonis ab ipſis conſtructam, in aquilonari videlicet plaga utrorumque rogatu ſepeliuntur: ſuper quorum tumulum à ſucceſſoribus ſuis nunc oratorium B. protomartyris Stephani conſtructum conſpicitur. Vbi tempus eorum luctus tranſierat filios, prædictos ſcilicet fratres, hæreditas æqua lance dividenda reſpiciebat. Vnde contigit, ut medietas, hujus montis pars videlicet orientalis, in qua caſtrum antiquiſſimum conſtructum habebatur, eis deveniret: porro plagam occidentalem propinqui eorum obtinerent. Igitur quoniam primævi circa cultum divinum erant devotiſſimi, quod dudum pari mente conceperant, nacta oportunitate ad unguem perducere feſtinaverunt. Vbi hunc locum monaſticæ religioni aptum proſpexerunt, caſtro ſubverſo templum hoc à fundamentis erexerunt: monachicamq; vitam *Borchardi* Epiſcopi Halverſtadenſis conſilio hic inſtituentes, de diverſis locis quosque perfectiores monaſticæ religionis viros advocaverunt: quibus ſinguli pro parte ſua, quantum ſufficere poſſe ſperabant, prædiorum contulerunt.

Anno autem incarnationis milleſimo quadrageſimo tertio, *Adelbertus* Epiſcopatum *Bremenſem* metropolitanæ Eccleſiæ adeptus, fratribus ſuæ partis ceſſit jure hæreditatis: eo ſcilicet pacto, quatenus hic locus cum omnibus ad ſe pertinentibus Bremenſis Eccleſiæ ſubjaceret ditionibus. Itaque quendam monachum vocabulo *Bennonem*, huic loco ordinaverunt Abbatem, qui unde, vel quis fuerit, aut ubi finierit, incertum habemus. Hoc ſolum antiquo-

tiquorum memoria referente cognovimus, quod non amplius quam tribus annis præfuerit. Post hunc *Thiemonem* Bavaricum, *Adamundensis* cœnobii monachum, substituerunt Abbatem. Hujus inthronisationis anno III. incarnationis autem Dominicæ MXLVI. Non. Novembris dedicata est crypta cum utrisque altariis in honorem B. Dei genetricis ac perpetuæ virginis Mariæ, à venerabili *Adelberto* Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Ipsa die fundatores tres villas Potelitze/ Pozieste & Laute/ huc contulerunt, quibus eandem cryptam canonice dotaverunt. Abbas *Thiemo* primo quidem se imitabilem præbuit; in brevi vero monachicam religionem non solum ipse postposuit, verum discipulos suæ exemplo irreligiositatis à regularis disciplinæ tramite deflexit. Unde crebro à Domino *Friderico* Comite Palatino, qui plus cæteris hunc locum incoluit, nunc modeste, nunc aspere ammonitus, dum non corrigitur, tandem cum vix quinque annis præfuit, unde advenerat, in locum remittitur. Quem tantæ postmodum perfectionis virum fama retulit, ut de *Ratisponensi* præsulatu ad apicem *Saltzburgensis* metropolitanæ Ecclesiæ conscenderit. Cui juste & pie vivendo postquam annis multis præfuit, in pace dormiens ibidem locum requietionis obtinuit. Hujus post discessum eligitur quidam Bavaricus *Hiltinus*, tam religione quam literarum scientia non mediocriter ornatus. Cujus suscepti regiminis anno quinto, incarnationis autem Dominicæ anno MLIII. tertio Kal. Octobris, dedicatum est templum istud in honore Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi, ejusque genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ: pariter in honore B. Mi- Michaëlis Archangeli à venerabili *Adelberto* Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopo, præsentibus Episcopis, videlicet

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [285] - 209
PUBLIC DOMAIN

Burchardo Halberstadensi, Wyntero Mersburgensi, Eppone Czizenti, fratribus ac sorore sua, aliisque innumerabilibus utriusque sexus fidelibus. Qui dum verbum præsenti solemnitati congruum faceret in populo, privilegium huic Ecclesiæ tradidit: quod hunc modum continens in omnium audientia per seipsum recitavit, & recitatum exposuit.

Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus Christi fidelibus, quod ego ADELBERTVS, sanctæ Bremensis Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, fratresque mei DEDO, FRIDERICVS, Palatini præsides, hoc cœnobium GOZEKA, quod in nomine Domini nostri Iesu Christi & in honorem sanctissimæ Mariæ Virginis, Genitricis Dei, & B. Michaëlis Archangeli, pro remedio animarum nostrarum, & patrum nostrorum vel parentum ex patrimonio nostro construximus, cum omnibus pertinentiis suis, sanctæ Bremensi Ecclesiæ tradidimus: hoc videlicet statuentes, & officii nostri autoritate confirmantes, ut ordo monasticus, quem secundum B. Benedicti regulam hic instituimus, futuris perpetuisq; temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea fratres hic Deo servientes secundum timorem Dei & regulam B. Benedicti, liberam habeant electionem: Sed electus Bremensi Archiepiscopo præsentetur, & per eum huic loco præponatur. Decrevimus insuper, ut quisquis in hac stirpe nostra laicus cæteris ætate provectior fuerit, hac nostra institutione huic loco Advocatus constituatur. Si vero evenerit, quod absit, ut talis de stirpe nostra deficiat, quemcunque Abbas cum consilio fratrum ad defensionem & utilitatem loci expetierit, hunc Archiepiscopus Bremensis Advocatum constituet. Qui Advocatus non quæ sua sunt quærat, nec populum suæ tuitioni commissum violentiis aut injuste opprimat, sed omnia cum consilio Abbatis agat atque disponat, nec extra ejus voluntatem aliquid

quid in populo præsumat. Ordinamus etiam & statuimus, ut in monimentum & confirmationem hujus dedicationis ad supplementum monachorum hic Christo regi ministrantium quadraginta libræ argenti Frisicæ monetæ levioris, & totidem lanei panni ex ærario Bremensis Archiepiscopi annuatim persolvantur. Vt autem hæc rata & invulsa permaneant per succedentem generationem in testimonium posteris, literis jussimus commendari & sigilli nostri impressione firmari. Testes hujus rei sunt isti: Burchardus *Halberstadensis Episcopus*, Eppo *Zizensis Episcopus*, Wynterus *Mersburgensis Episcopus*, Hatoldus, Adelbertus, Sindigerus, Adolfus, *Canonici Bremenses*. Dedo *Marchio & fratres ejus*, Gero & Vemo *Comites de* Brene. *De liberis hominibus* Rudolfus *de* Goſtilice, Fridericus *de* Liznec, Helinpertus *de* Wideſſendorp, Sigebodo *de* Stüvere. *Ministeriales Bremenses* Sibecko *& frater ejus* Gerungus, Godeſchalcus, Mecelinus. *Data III. Kal. Octobr. anno incarnationis Domini 1053, indictione III. Episcopatus Domini* Adelberti *Archiepiscopi anno VIII. Actum* Gozeka *in Christi nomine. AMEN.*

Itaque Archiepiscopus ubi privilegium hoc modo recitando finivit, hæc quoque intulit: Notificamus etiam tam vobis hic in Christo hodie convocatis, quam cunctis per succedentem generationem fidelibus, quod consensu omnium propinquorum nostrorum Deo ac ejus genitrici perpetuæ virgini Mariæ, sancto Michaëli Archangelo, quos præcipue hic hodie patronos eligimus & statuimus, ex communi patrimonio nostro subjectas possessiones offerimus: Nothe / Ahiſtide / Stiernene *cum pertinentiis suis omnibus, in* Gerenſtede *territorium unum: in* Lochteſtide *septem mansos: in* Scortrege *IV mansos: in* Haime *XV. Iugera: in* Alforſtide *XII. mansos: in* Velteggelethe *territorium unum.* Igitur peracto sermone, innumerabilem vul-

gi multitudinem, quæ cofluxerat, Archiepiſcopus benedicens in pace dimiſit; Epiſcopis Abbatibus, Principibus, cæteriſque qui invitati fuerant, utriuſque ſexus nobilibus perſonis hanc ſolemnitatem dedicationis per octo dies continuos magnifice celebrantibus. Octava demum peracta die magnificis honorati muneribus cum pace & lætitia ad ſua ſinguli redierunt.

VI.

Anno incarnationis Domini ML. III. Non. Maji, *Dedo* Comes Palatinus apud pagum Poletbe à quodam clerico, quem ob crimina ſibi objecta à fratre ſuo Bremenſi Epiſcopo cuſtodiendum ſuſceperat, ſimulato obſequio aggreditur, & in inguina, dum ſcandit equum, occultato enſe perfoditur. Clericus vero à militibus accurrentibus comprehenſus, Palatino jam ſemivivo eſt præſentatus, quaſi ad percunctandum, qua morte eſſet puniendus. Ubi ab eo conſpicitur, mirum dictu, manibus extenſis, oculis ſurſum levatis, voce qua poterat, hæc verba B. Protomartyris Stephani dixiſſe perhibetur: *Domine Ieſu Chriſte, accipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illi hoc peccatum.* Quo dicto, tam dictu quam rogatu ipſius Palatini non ſolum non læditur, verum liber abire permittitur. Et ille hoc quidem ordine defunctus, Imperatore *Henrico* Goslariæ jubente luctu & planctu maximo eſt tumulatus. Hic erat vir bonus & juſtus, & circa cultum Dei devotiſſimus. Spirituales qualeſcunque perſonas ac ſi dominos venerabatur, cum viduarum & orphanorum non niſi pater diceretur. Præterea rebus militaribus adeo fuit aptiſſimus, ut ſuis temporibus nemini videretur eſſe ſecundus. Unde in expeditione Hungarica per Regem *Hinricum* in anno incarnationis Domini 1040. facta, quia cunctis virtute militari ſe prætulit, primus ſtirpis ſuæ monarchiam palatij à rege promeruit.

meruit. Nam ejus ductu & ingenio fluvium *Rabam* rex transvadavit, & tres urbes maximas cepit, vastavit, atque succendit. Huic etiam *Hinricus* rex villam Etternene / quæ ad regem pertinuit, in proprium tradidit, quam huic Ecclesiæ die dedicationis suæ, extra fratres suos per se specialiter obtulit. Eo defuncto, quia filium legitimum non habuit, monarchiam Palatii dominus *Fridericus* germanus ejus à rege suscepit. Ipsis in temporibus Abbas *Hilthinus* per Archiepiscopum in Dacia Episcopus ordinatur, & *Sindrammus*, qui & *Sinzo*, natione Thuringus, vir, ut creditur, bene religiosus loco ejus est subrogatus. Verum Abbas *Hilthinus* Episcopus factus, cum per duos fere annos arguendo, obsecrando gregi sibi credito invigilaret, nec tamen verbo & exemplo præeunti consentientem perspiceret; suscepti regiminis pondera sero licet sibi doluit imposita, & verens, ne dum diutius in iis laboraret, suæmet salutis curam negligeret, virgam pastoralem Episcopo reddidit, & unde venerat, huc se recepit. Fertur quod plures in Saxoniæ & Thuringiæ partibus postea consecraverit ecclesias. Item ecclesia nostra in Nothe per eum creditur esse dedicata. De cætero ubi vel quomodo vitam finiverit, notitiæ nostræ non succurrit.

Anno Domini MLXII. felicis memoriæ Abbas *Sindrammus* ordinationis suæ anno II. Kal. Maij moritur, & coram altari S. Benedicti sepelitur. Hic bibliothecam nostram magna parte librorum augmentavit: orientales muros claustri à fundamentis erexit; mansiones fratrum in eis ordinavit. Siquidem ad ejus usque tempora fratrum habitacula apud oratorium S. Simeonis quoquomodo fuere dispositа. Fuit etiam, uti superius memoravimus, vita, moribus, conversatione, placens Deo & homini.

minibus, sed unde assumtus ignoramus. Merito igitur in Ecclesia tam spectabili fruitur sepultura, ubi omnium justorum pro memoria jugiter Christo personat laus & gloria. Post hunc dominus *Friedericus, Dedonis* Palatini filius, hujus congregationis monachus, pater eligitur: electus *Bremis* consecratur

Anno MLXXII. Dominus *Adelbertus* Archiepiscopus morbo & ætate exhaustus XII. Kal. Aprilis *Goslariæ* debitum persolvit conditionis humanæ. Corpus ejus in sedem episcopatus sui delatum, in medio cryptæ B. Mariæ virginis honorifice est humatum. De hoc fertur, quod, dum rex *Hinricus* adhuc juvenis Paschа Wormatiæ celebraret, inter sacrarum missarum solemnia debitum tantæ solemnitati sermonem faciens, dæmoniacum curaverit, fusis pro eo tam suis, quam totius populi, qui aderat, precibus. Ibi etiam permissione ejusdem Archiepiscopi rex primum arma bellica se succinxit. Erat enim præ cæteris principibus regi acceptissimus, atque ad illius nutum regni pendebant gubernacula. Fuit etiam vir admirandæ compunctionis, & præcipuè, dum salutarem Deo hostiam offerebat, totus in lacrymas effluebat. Præterea ore fuit facundissimus, corpore castissimus. Denique, ut ferebatur, virgo ab utero matris permansit. Dominus *Friedericus* Comes Palatinus, post obitum fratrum suorum, ubi superstes solus remansit, qua mentis devotione hunc locum præ cæteris respexerit, nunc voti sui compos effectus, indiciis evidentibus aperire studuit. Denique tanto magis hujus Ecclesiæ utilitatibus postmodum invigilavit, quanto liberior extitit, de suis ordinare quod voluit. Sed ne vel ad modicum talis devotionis ejus refrigesceret studium, velut incitamentum quoddam dominum *Friderichus*

cum Abbatem divinitus illi credimus adhibitum. Is etenim novellæ vineæ Domini sibi creditæ omni hora sollicite insudavit, & quod per se minus potuit, ad hoc dominum Palatinum adhortando indesinenter excitavit. Quo facto, quod Dominus fidelem se dispensatorem super familiam suam constituerit, manifestis documentis declaravit. Hoc quidem bonorum operum ejus exordium fuit: muros australes claustri nostri à fundamentis erexit, mansionesque diversis usibus nostris perneccessarias, in eis disposuit: monasterium nostrum pictura decoravit: vineam, quæ adjacet sanctuario, primus incoluit; quam possessionem ejus quidam Domini Palatini consanguineus, *Hierosolymam* orationis gratia profecturus, pro sui itineris prosperitate, nostræ contulit ecclesiæ.

Anno MLV. Dominus *Fridericus* Comes Palatinus, cum multis Saxoniæ Principibus, Regi *Hinrico* IV. pro perdita ejus gratia absque omni exceptione se dedit. Quem rupto fœdere, nam benignum se exhibiturum humiliato nunc jurando firmavit, Papiæ relegavit: unde post annum & dimidium recepta regis gratia repatriavit. Ubi dum adhuc in arctissima custodia detineretur, & non tantum reditus, verum etiam ejus vita desperaretur, quantus in eo ardor dilectionis circa hunc locum flagraverit, lectoris discretio pensare poterit. Nam quicquid pecuniæ, in vitæ subsidium de hac terra sibi transmissæ, indigentiæ suæ subtrahere potuit, res mira! cura sui postposita in utilitatem hujus expendit ecclesiæ. Denique bibliothecam ex integro, *Moralia*, *Iob*, *Passionale* unum, nonnullosque alios codices, digna pecunia comparavit: quos asinis portantibus huc deferri mandavit.

Igitur

Igitur Dominus Palatinus *Fridericus* filiorum ductus amore, Dominam *Hadevvigam* de *Bavaria* oriundam, nobiliſſimam genere, jamdudum uxorem duxerat, ex qua filium procreaverat, quem ſicut divitiarum, ſic etiam nominis ſui hæredem exoptavit, unde *Fridericum* nuncupavit. Cui cum vix pueriles annos transſcendit, filiam *Vdonis* de *Aleslephe* conjugem ſociavit. Hæc *Adelheit* fuit dicta, tam genere nobiliſſima, quam forma pulcherrima. Sub hoc tempore Abbas *Fridericus* interventu Domini Palatini Abbatiam *B. Georgii* in *Nuenburg* à rege *Rudolfo* Saxonico regendam ſuſcepit. Illo tempore Zicenſis Eccleſia ſuo orbata fuit antiſtite. Itaque junior Palatinus *Fridericus*, dum acceptæ conjugis vix annis quatuor frueretur amplexibus, quadam die juxta curiam ſuam *Aplice* dictam more ſecularium venatione delectabatur. Militibus autem, ut fieri ſolet, per ſilvam hucatque illuc diffuſis, accidit ut juvenis equo reſidens canes adhortando ſolus inſequeretur. Et ecce duo fratres *Theodoricus* & *Vdalricus* de Dedenleibe / & *Reinhardus* de Rineſtide / de inſidiarum locis inſurgentes juvenem occiderunt, & nefario opere audacter perpetrato impune evaſerunt. Hi cum nullam cauſam mortis erga eum habuerint, quare vel cujus hoc flagitium commiſerint conſilio, noſtro non paret judicio. Sed quia digreſſionem fecimus, ad inceptum redeamus. Milites hujus facinoris neſcii, equum per campos & ſilvas laſcivientem & abſque ſeſſore ferri conſpicientes, ſtupore ac metu perculſi, laxis frenis, calcaribus ſubditis, circumvolant, dominum quæritant: quem demum occiſum repererunt. Quod quali mentis aſpexerint oculo, ne prolixitas ſit legendi faſtidio, quiſque perpendat animo. Igitur cadaver feretro imponentes huc perduxerunt quod

VVern-

Wernherus Mersburgensis Episcopus & Abbas *Fridericus* in conventu nostro luctu & planctu nimio terræ commendaverunt. Acta sunt hæc anno Domini 1087. Non. Febr. Porro in loco occisionis ejus lignea crux miræ altitudinis posita perhibetur, quæ usque hodie occisionis ejus facinus in memoriam revocare videtur: quam prætereuntes quoque nos vidimus, ejusque pro requie Dominum exoravimus. Dum ista geruntur, Dominus Palatinus senior circa Albiam fluvium commoratur; qui sinistris nuntiis excitatus filii exequiis interesse primo quidem disposuit, sed communicato consilio ab incepto declinavit. Tricesima vero depositionis suæ die huc veniens, memoriam ejus per sex dies continuos magnifice celebravit. Præterea ut perpetuo hic ejus floreat memoria pro requie ejus, non solum uxoris & nurus suæ, sed & omnium propinquorum suorum assensu, curtim suam Mundorp dictam, cum omnibus pertinentiis suis, in præsentia multarum utriusque sexus nobilium personarum huic tradidit Ecclesiæ, quam traditionem, ne in perpetuum infirmare quisquam præsumat, postmodum rogatu ipsius Palatini, Imperator *Hinricus* hujus vocabuli *quartus* sui auctoritate privilegii confirmavit. Hujus exemplar hic inseruimus, ne gestæ rei lector sit dubius.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis HINRICVS, *divina favente clementia Rex. Notum facimus omnibus tam futuris quam præsentibus Christi fidelibus, quod* Fridericus *Comes Palatinus* Gozecensi *Ecclesiæ, quam in honorem sanctæ Dei genetricis Mariæ, sanctique Michaëlis Archangeli, coadjutorio fratrum suorum, videlicet* Dedonis *Palatini, &* A-

 delber-

elberti *Bremenſis Archiepiſcopi ſub monachali regula conſtruxit, conſenſu omnium propinquorum ſuorum pro remedio animæ ſuæ filiique ſui interfecti, hortatu & rogatu* Liemari *Bremenſis Archiepiſcopi, cujus diœceſi eundem locum* Gozeka *vendicaverat; nec non &* Friderici *ejusdem loci Abbatis ad ſupplementum monachorum inibi Deo famulantium, omne prædium ſuum, quod in villa,* Nindorp *dicta, paterna hæreditate habuit, in proprium tradidit cum omnibus pertinentiis ſuis: ſcilicet mancipiis utriusque ſexus, terris cultis & incultis, areis, agris, ædificiis, pratis, paſcuis, campis, vineis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, & penitus cum omni jure & utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, eaſcilicet ratione, ut quicquid ejusdem loci Abbas, cum conſilio fratrum ſuorum, pro utilitate Eccleſiæ ſuæ inde faciendum diſpoſuerit, liberam habeat poteſtatem. Quod ut ratum & firmum omni permaneat ævo, hanc eandem dedicationem in præſentia* Witzilonis *Maguntini Archiepiſcopi,* Liemari *Bremenſis Archiepiſcopi,* Bucconis *Halberſtadenſis Epſcopi,* VVernheri *Mersburgenſis Epiſcopi confirmatam, rogatu ipſius* Friderici *Comitis Palatini literis juſſimus annotari notatamque in teſtimonium poſteris ſigilli noſtri impreſſione firmari. Hujus rei teſtes ſunt:* Hinricus *Marchio,* Udo *Marchio,* Fridericus *Comes. De liberis hominibus ipſius Palatini,* Folmarus *de VValckenreit,* Tidericus *de* Walheil/Godeſcalcus *de* Wydeſendorp. *De miniſterialibus etiam,* Tiemarus, VValemannus, Adelbertus. *Data 11. Idus Iunii, anno incarnationis Domini CIↃ LXXXV, Indictione VIII. anno autem ordinationis Domini* Henrici quarti *Regis XXXI. regni vero XXVIII. Actum* Quidelinburg *in Chriſti nomine feliciter, AMEN.*

Hujus

Hujus luctus tempore transacto *Adelheid* Palatina filium genuit, quem ex nomine patris *Fredericum* appellavit. Non multo post illustri viro Comiti nupsit *Ludevvico*. Horum extitere filij *Rasso Heÿnricus*, tum primus & genere & nomine Comes provincialis *Lodvvicus*: inter quos puer prædictus *Fredericus* quoadusque Pythagoricæ literæ bivium attingeret, est educatus. Dominus quoque Palatinus Senior *Fridericus*, herili orbatus pignore, & jam confectus senio, sine spe existens sobolis procreandæ, quod unicum salutis suæ arbitrabatur solatium, interioris sui hominis studium omne convertit ad Dominum. Enimvero quamdiu substitit in corpore, omni modis profectibus huic invigilavit ecclesiæ. Quod autē per se minus potuit, per extraneos supplere summopere procuravit. Hortatu namque illius, quidam *Rethterus* de Thuringia oriundus, omne patrimonium, quod in **Holtzegglide** ad se pertinuit, cum omni utilitate huic procuravit. Ministerialis quidam Domini Palatini, nomine *Amolungus*, à quodam *Adelberto* de **Studerenheym** excoecatus, mansis quinque in **Nicstide** & quatuor in Travinckele ab eo susceptis, est illi reconciliatus: quem Dominus Palatinus ipso rogante, cum eisdem mansis nostræ contulit Ecclesiæ. *Sigifridus* etiam vir fortis & strenuus, pro honore Domini Palatini, in quadam insula *Albiæ* fluminis paganum giganteæ magnitudinis duello triumphavit: quem pro recompensatione Palatinus *III.* mansis & dimidio in **Gerenstide** remuneravit. Qui postmodū Palatini instigatus amore cum prædicto prædio huic se tradidit ecclesiæ. Nec hoc prætereundum existimamus, quod *Rudolphus* & *Hermannus* de **Gostitze** pro quodam *Everhardo* hujus ecclesiæ homine occiso, metu Palatini magnam partem prædiorum & mancipiorum huc contulerunt. Præterea Palatinus extra fratres suos sep-

tem manſos in **Grotleſte**/ tres in **Gideze**, quatuor in **Gevendorpe**/ duos in **Locſtede** majori, & unum in *Tyrungia* adhuc juvenis huc ordinaverat, quos die ſepulturæ ſuæ propinqui eorum teſtibus confirmaverunt.

Anno Domini MLXXXIIX. Sidus eximium occubuit, quod in illo tempore clarius huic loco ſole refulſit. Nam Dominus Palatinus vir bonus & juſtus aliquando vi febrium fatigatus in provincia **Barboge** naturæ ſolvit debitum plenus dierum VII. Kal. Junij migravit ad Dominum. Hic quamdiu in corpore vixit, unica ſpes noſtra ſolamen & gloria fuit. Ex quo diſceſſit, qui mentis affectu hunc locum reſpexerit, eheu poſt eum non ſurrexit. Memoranda dicemus. Seculari ſic uſus fuiſſe perhibetur potentia, ut Domini imperio miſericordiam ſuperexaltans judicio, magis temerarios & ſceleſtos coërceret lenitate & miſericordia, quam ſeveritate judiciaria. Ferunt etiam, quod literarum ſcientia in curia Fuldenſi adeo inſtructus fuerit, ut epiſtolas transmiſſas per ſe legeret & intelligeret, ac Capellanos in divino officio errantes corrigeret. Itaque corpus ejus cum gloria magnarum exequiarum perducitur, & per Abbatem *Fridericum* ad ſiniſtram partem filij ſepelitur. Quorum memoria ut jugiter nobis ſit coram poſita, hos verſiculos tumulis eorum æſtimamus adſcribendos. Horum ſumma ſub octonario numero conſtringitur, ut ſpiritum eorum æterna beatitudo poſſideat, quam ut credimus, hic numerus ſignificat.

Ecce Palatinus Comes & ſpes germinis ejus,
Filius atque pater ſunt poſiti pariter.
Sub pacis ſpecie Frideric eſt dictus uterque,
Ergo mori juvenem contigit ante patrem.
Hic nulli nocuus eſt inſons fraude peremtus
In Februi nonis occidit atque iuvenis.

Igitur

Igitur Dominus Palatinus ubi de hac vita transiit, qui bona huic loco prospiceret Abbas *Fridericus* superstes solus remansit: qui quoniam boni agricolæ more novellæ plantationi Domini pervigil insudavit, cooperatorem se Dominus offerens, tam studia, quam cuncta opera ejus dirigebat. Hinc eo præsidente conjux *VVilhelmi* Comitis de **Kamburch**/ quæ **Geve** nuncupatur, in crypta nostra, Dei genetricis illi succurrente clementia, à dæmonio curatissime liberatur. Hujus curationis pro gratia sex *Chorvvede* huic conferuntur, hoc videlicet statuto, ut exinde in eadem crypta luminaria jugiter provideantur. Per idem tempus Abbas *Fridericus* à *Cunone* Comite de *Bigliggen* exoratus Abbatiam in **Holdesleve** regendam suscepit, quam, quia laboris piguit, post paucos annos memorato Comiti resignavit. Eodem quoque tempore soror Domini Palatini *Vda* apud curtim suam *Zurbavvio* dictam moritur, & in conventu nostro terræ commendatur. Hæc proprio nomiue dicta fuit *Hilaria*, sed quia lingua Teutonica non facile promit Latina vocabula, nomen mutavit *Vda*. Quæ quoniam propriæ saluti consuluerat, quatuor mansos apud **Grodesse**/ dum adhuc viveret, huc contulerat. Quos ea mortua filius ejus Comes Palatinus de **Sumersenburch** ea conditione coram testibus hic confirmasse perhibetur, ne quis unquam iis inbeneficiaretur. Ejusdem Abbatis *Friderici* temporibus *Hildigardis* Comitissa, cujus frater Comes fuit *Ludevvicus*, filium suum Domino vovit *Gebehardum*, scilicet sub regulari disciplina quousque viveret hic Domino militaturum. Qui bonæ indolis, ubi primæ juventutis flore nituit, pro spe hæredis voti pœnituit. Unde habito consilio duo mancipia pro eo offerens Domino, *Gebehardum* extraxit de monasterio. Quod quia Domino displicuit, immatura morte occisus interiit; Sed & mater

mortua hic est sepulta. Quoniam felicia viri hujus sunt dispositatempora, plura sub eo huc collata sunt prædia, quæ in memoriali nostro reperiuntur notata. Nos ea summatim hic perstringere morosum existimamus, quandoquidem ad alia festinamus. Ipsis temporibus *Guntherus*, Zizensis Episcopus moritur, & omnis clerus coadunatus, quem longe ante exoptaverant, Abbatem *Fridericum* pari consilio elegerunt, & electum cum ingenti tripudio in cathedram tunc temporis episcopalem *Zizæ* perduxerunt. At ubi ex ecclesiæ illius impensis primum necessaria ordinat, idoneis tam clericorum quam laicorum personis assumtis post Regem *Hinricum* IV. pro investitura properavit. Hic eo tempore apud civitatem Bavariam & Longobardiam dividentem morabatur: quæ à Latinis *Verona*, à Teutonicis **Berne** nuncubatur. Hanc civitatem transmontanam *Theodoricus* quondam Rex Hunorum, ut ab indigenis accepimus, primum condidit, & à situ & naturaloci *Veronam*, scilicet à *vere* vernali vocabulo nuncupavit. Est enim locus aëre salubris, flumine jocundus, civium numerositate refertus. A meridie, occidente & aquilone planities spatiosissima per tres fere diætas extenditur: ab oriente montana cœlo contigua aspiciuntur. In eadem civitate domũ prægrandem exstruxit, quod Romuleo theatro mire assimilavit. Hæc per ostium unum intratur & exitur, & per gradus circumductos, cum sit miræ altitudinis, facile ascenditur: in qua dum multa hominum millia contineantur, singuli à singulis audiuntur & videntur. Neve quisquam conditoris hujus incertus habeatur, usque hodie *Theodorici domus* appellatur. Huc à civitate *Augusta*, per vallem Terdentinam labore nimio, grandi periculo, vix die octava dum pervenit, ut dictum est, Regem *Hinricum* reperit. Qui ubi causam itineris ejus audit, ægre tulit, quod si-

ne

ne permissione ipsius electus fuerit. Illo quippe tempore libertas Ecclesiæ sub regia potestate periclitabatur: Episcopos, Abbates, non virtutum merita, sed commendabat pecunia. Cui minor erat numerus, ad regimen minus erat idoneus. Itaque Zizensis Ecclesiæ responsalibus pro electo Regem interpellantib⁹, dure respondetur his sermonibus *quandoquidem contra antecessorũ nostrorũ decreta Augustorum, ad iniuriam Romani Imperii qualemcunq; personã eligere præsumsistis, tam regnum quam personam nostram offendistis: Pro hoc quidem secundum leges Augustorum pœnas solvere merebamini temerariorum. Sed ne potestate videamur uti potius, quam pietate, electionem factam quidem ignoscimus, sed irritam prorsus censemus. Quod non ad injuriam Ecclesiæ vestræ, vel electæ personæ fieri noveritis, verum ne in regno exemplo sitis talis ac tantæ præsumtionis.* Hoc Zizenses perturbati responso, nontamen ab incepto desistebant, sed à festo B. Andreæ, usque ad Nativitatem Domini pro electo suo fideliter laborabant. Et ut opinabamur, Regis sententiam importunitate sua immutassent, si Dei ordinationi resistere potuissent. In ipsa enim nativitate Domini *Heroveldensis* cœnobii supervenere legati, virgam pastoralem afferentes, Abbatem obijsse nuntiantes. Rex igitur honesta accepta occasione, qua *Zizensium* electionem cassaret, sententiamque suam confirmaret, omni satagebat ingenio, quatenus Abbatem *Fridericum* prædicto præficeret monasterio. Verum illo reclamante, duobusque se cœnobiis præesse non posse asserente: tandem importunitate tam Regis quam Principum devictus, assensum licet invitus præbuit. Quid labyrintheo tardamus in antro? sub eadem festivitate B. videlicet protomartyris Stephani die, memoratũ, cœnobiũ per regale sceptrum suscepit regendũ, si q; Zicensium quoq; legatis se comitantibus ad *Heroveldiam* tunc reflexit. Quo circa purificationem B. Mariæ

riæ perveniente, Regis imperio per *Fuldenſem* introducitur, & cum magna veneratione & honore ab omnibus ſuſcipitur. Suſcepto autem in honore ſtabilitus, Abbatiam in **Nüenburg** proprio reliquit arbitrio, cum Heroveldenſi huic noſtræ præeſſe deſiderans: Quippe legitimæ ſponſæ fidem ſervaturus. Sed cum jam ſenio gravaretur,& nunc laboris,nunc longi itineris tædio afficeretur, utrisq; cœnobijs præeſſe detrectãs, Heroveldenſem relinquere apud ſe diſpoſuit, ſed tali ejus propoſito terror regiæ majeſtatis obſtitit. Itaq;hortatu ejus & conſilio *Conradus* Bavvaricus monaſterii B.Georgij in **Nüenburg** præpoſitus, hic eligitur, *Bremisque* transmiſſus ad Archiepiſcopum anno Domini MXC. Abbas conſtituitur.

Hic natione fuit Ratisponenſis, profeſſione Bambergenſis. Cujus inſolentiam, quia conventus fratrum tolerare non potuit, in monaſterium B. Michaëlis **Hildesheim** declinavit. Ubià nepote ſuo ejusdem cœnobii Abbati, cui nomen erat *Memunardus* hoſpitalitatis gratia eſt ſuſceptus. Hic per tempus dum moratur Abbas *Fridericus*, per eum locum Bremis ſæpius ibat ac revertebatur. Cui in quibus potuit, quia *Conradus* devote miniſtravit, in oculis ejus glorioſus apparuit. Idcirco **Nüenburg** eum ſecum adduxit,brevique elapſo tempore inibi Præpoſitum conſtituit: ac demum, ut dictum eſt, hujus cœnobii moderamina ſuſcepit. Qui per quatuor fere annos gregi ſibi commiſſo laudabiliter dum præfuit, bonum ſe paſtorem ſed ſpecietenus demonſtravit. Hinc contigit, ut Abbate *Memunardo* defuncto, per *Udonem* Antiſtitem, præfati *B. Michaëlis* monaſterii regimen quoque illius comitteretur magiſterio. Quo ſuſcepto, ut ad altiorem dignitatem conſcenderet, omni ſtudio ambiebat. Nam, ut etiam amiciſſimi ejus referrebant, quamdiu ſubſtitit

ſtitit in corpore, pro Epiſcopio Hildenesheimenſis laborabat eccleſiæ. Quapropter quem primum gradum credidit, aſpectibus hominum omnibus modis placere ſtuduit. Quorum captando benevolentiam, quæ corradere potuit, favorabiliter eis diſtribuit. Hinc curæ ſuæ creditas utraſq; ſubſtantijs privavit eccleſias. Fecit & hoc, eccleſiarum, iſtius videlicet & Hildenesheimenſis, vectigalibus & apparitoribus primus miniſteriales inſtituit, liberorum hominia ſuſcepit, & tam illos, quam iſtos, ſtipendijs fratrum inbeneficia vit. Unde promtuaria noſtra non plena, ſed pene vacua eſſe videntur: ſiquidem à quibusdam usque hodie, libere poſſidentur. Et quia conſortio & frequentia ſecularium delectabatur, hujus loci cura poſtpoſita ſæpius *Hildesheym* morabatur. Hinc religio, quæ ejus usque ad tempora hic admodum viguit, pro rectoris abſentia non mediocriter viluit, cum quisque ſibi regula fuit. Dum verò poſt annum vel biennium militum caterva ſtipatus advenit, omnem apparatum in brevi conſumſit: ſed quid forte ſuperfuit, in nummos redegit, marſupia replevit, ſecum aſportavit. Abbas autem *Fridericus* Heroſeldenſi eccleſiæ glorioſe præſidens, ubi hæc facta ejus comperit, nimis ægre tulit, & per ſe, perque internuntios de ijs eum frequenter commonuit. Dum non profecit, de ejus depoſitione attentius tractare cœpit.

Eo tempore Comes *Ludovvicus* huic principabatur provinciæ & quoniam *Friderici* Comitis Palatini occiſi filium nutrivit, quoadusque arma ſuccinxit, ejus vice huic advocatiæ præfuit. Hic Abbatem *Conradum* familiariſſimum habuit, isq; ei ad omnem voluntatem ſuam paratiſſimus extitit. Quamobrem omni quo poterat ingenio, cunctis illi fuit præſidio. Tandem vero cum Abbatem *Fridericum* prorſus offendere timuit, à cauſa ejus ſe alienavit. Abbas igitur *Conradus*, ubi hoc experimento didicit, Abbatis *Friderici* per-

territus timore, Nonis Februarijs ab hoc loco discessit, unoque se comitante servulo *Hildesheim* redijt festinato. Postquam discessit, qui pridem, Abbas *Fridericus* huic loco præfuisse dinoscitur. Per eundem Abbatem, non ad inanem gloriam, sed ad tutelam Heroveldensem, etsi regis imperio, castrum restauratur, quod ex antiquo *VVassenburg* nominatur. Hujus plurimorum & frequentum militum potentia tota Turingiæ contremuit provincia; ubi quoniam hinc hostium, hinc fraudulentorum comprovincialium insidias verebatur, licet sumtuose frequentius morabatur. Itaque æstivo tempore dum more solito advenit, die postera ægrotare cœpit. Qui dum à physicis vitæ quærit remedium, heu! mortis incurrit exitium. Siquidem venam minutus, die tertia, quod flendo dicimus, carne est solutus. Corpus ejus honorabilibus exequijs *Heroveldiam* delatum in principalis monasterio coram principis Apostolorum altario condigne est tumulatum. Siquidem id vivens expetiverat, hoc nimirum intuitu, ut credimus quatenus ejus interventu æterna illi cedat requies, cui dictum est, remitte septuagies septies. Nec, ut speramus, ingrati erimus, si quorundam insipientum susurro responderimus. Dicebat enim: *Cujus apud Deum meriti Abbas iste fuerit, liquido exitus declaravit. Quippe cuius tam repentinus cuius tam improvisus obitus extitit.* Qui hæc susurratis, ô quidam temerarij, ô quam præsumtuosi estis: qui de occultis & incertis non temere judicandum legistis. Aut non legistis, aut lectum minime intellexistis. Hinc quidam cecinit.

Non intellectam fallit sententia rectam.

In scriptura divina clamitat sapientia in platea: *Iustus quicunque morte præventus fuerit, in refrigerio erit.* Et Dloquitur Augustinus: *Non est dicenda mors misera, quam bona præcessit vita.* Vir iste, utà plerisque venerabilibus comperimus, conversatione fuit optimus, corpore castissimus, consilio pro-

providus, circa divina devotissimus, quamvis decretis regalibus & curis militaret secularibus. O talis quam rarus, & quam fere nullus nostris temporibus! In commisso quoque fidelissimus extitit, licet super hoc ei detraxerint, quod hunc locum deserendo, prioris sponsæ fœdera violaverit. His talibus respondetur: quia hunc locum non deseruit, sed ad tempus mutavit. In eo si quid forte à rectitudinis limite deviavit, adhuc vivens digna pœnitudine recucurrit. Deniq; tempore quo de hac vita discessit, suo sub regimine hunc locum tenuit. Et sub persona Domini dictum; *qualem te invenero, talem te iudicabo.* Item in evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Desistant ergo obloquentes virum præjudicare, cujus innocentiam ipse judex justus non dedignatur approbare. Attendant illud evangelii præceptum: *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Sed damnando reos, utinam ne rei simus inter eos. Qui si saperent, nequaquam nos reprehenderent, imo insipientiæ suæ garrulitatem reputarent. Quam sapientes extitissent, si vel patulo ori silentij lupatum injecissent. Hoc sapientissimus Rex Salomon testatur: *Stultus*, inquiens *etiam si tacuerit sapiens reputatur*; & quidam sapientum; *Si tacuisses, Philosophus esses.* His talibus responsum esse credimus. Itaque Abbas *Fridericus* annis XXVIII. huic præfuit Ecclesiæ. Octavo vero postquam Heroveldensis cœnobij gubernacula suscepit, scilicet incarnationis Domini anno MXXVIII. de hac vita migravit. Hactenus lectione vel relatione comperta differuimus; nunc quæ fama didicimus dicturi sumus; quippe quorum contemporanei fuimus. Sed prolixitate impoliti sermonis ne minus grati videamur benevolentiæ lectoris, hic parti primæ præsentis opusculi metam statuere decrevimus. Nam ut organon S. Spiritus nos instruit Beatissimus Papa Gregorius: *Pabula quæ minus sufficere creduntur, avidius sumuntur.* Itaq; præsentis opusculi pars prima terminatur: Secunda in crastinum recitanda differatur.

PRÆFATIO SECVNDÆ PARTIS HVIVS LIBELLI.

DIvinarum ſcripturarum exhortatione informamur, ut dum quælibet vota fecerimus, ſummopere perſolvere feſtinemus. Sic quippe in patribus legimus: *Vovete & reddite.* Et quare votum mox reddendum præcipiatur, alias ſcriptura interpretatur: *Melius eſt non vovere, quam poſt vota non ſolvere.* Quapropter quod heſterno ſolvendum hodie vovimus, maturare quoque noſtro judicio debemus. Sed ob nimiam incurialitatem ſermonis optamus, ne urbanitatem benevoli offendamus lectoris. Quin potius apoſtolaris meminerit allocutionis Pauli egregij gentium doctoris: *Libenter*, inquit, *ſuffertis inſipientes, cum ipſi ſitis ſapientes.* Quid expectatur? juxta condictum ad narrationis ordinem accedatur: ſolummodo audientia concedatur; alioquin in caſſum diſputatur. Abſque audientia, qs. ſurdis narratur fabula.

Igitur defunctis, qui pro hujus Domini vineæ putatione ſingulos denarios acceperunt, multi continuo ſurrexerunt, qui velut aper de ſilva eam devaſtaverunt. Ea tempeſtate Comes *Lodevvicus* advocatiæ hujus, ut ante dictum eſt, vicariam tenuit: quem quidam ex noſtris convenientes pro Abbate *Conrado* interpellaverunt, eumque tam Archiepiſcopo Bremenſi, *Humberto* videlicet, quam fratribus inconſultis, non reipublicæ, ſed ſuæ utilitatis gratia huc revocaverunt. Sed & ille non Deo, ſed placere ſtudens hominibus, iſdem, qui ante, perſeveravit & vita & moribus, ut liquide pateſceret omnibus, eorum hunc eſſe numero, de quibus ait Dominus: *Ipſi regnaverunt, ſed non ex me principes extiterunt, & non cognovi.* Hujus itaque miſerrima ſub cuſtodia prædia noſtra in provincia *Duiene* amiſimus, pro quibus in præſentem diem ingemiſcimus. Palatini Comitis occiſi filius *Fridericus*

dericus factus juvenis arma succinxit, paterna hereditate donari voluit, vitricus ex parte matris ei in multis restitit. Præterea Comes *Fridericus* de Sumersenburg / licet consanguineus ejus fuerit, *Palatina Comitia* adhuc infantulum exhæredavit; quam quia alio ingenio non potuit, ferro expetere disposuit, sed sano amicorum consilio ab hac intentione se abstinuit. Verum inter se & vitricum inimicitia publica exorta eo usque processit, ut tam pro sui injuria, quam pro patris interfectione, duello apud Mersburg eum appetisset, nisi Imperatoris *Hinrici* autoritas intercepisset. Hinc pace inter eos reformata, sed in brevi ab utrisque ea violata; iterantur rapinæ, homicidia & incendia. Unde Palatinus habito consilio ad regem se contulit, cujus auxilio vitricum Principesque Saxoniæ plurimum infestavit. Siquidem eo tempore ingentes inter eos excreverant inimicitiæ. Et quoniam his diebus abundavit iniquitas, Palatinus *Fridericus* prædijs in Nindorp ecclesiam nostram privavit, quibus *Fridericum* cognomento *Colfon* inbeneficiavit. Cujus detestandi operis querimoniam Abbas *Conradus* Halberstadij quidem ventilavit, sed minime perseverans in vanum laboravit. Non multo post Comiti *Lodovvico* Abbas *Conradus* exosus redditur quippe qui temporis loco isto, utpote castro suo Nüenburg adjacente potestative abutebatur. Causa fuisse perhibetur, quod Palatini partem plus suà tueretur. Sed Comes hoc dissimulavit, & morum levitatem vitæque irrationabilitatem ei opposuit. Abbas itaque necessitate coactus, quod unicum salutis suæ arbitrabatur remedium, quorundam Comitis auricularium homicia suscepit, quibus etiam ex stipendio fratrum beneficia minus damnosa concessit. Sed quia *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus*: Hoc ejus consilium non solum inimicorum, ve-

 rum,

rum, etiam amicorum ſuorum convertit in odium. Unde cum nec per ſe, nec per ſubmiſſas perſonas Comitis animum poſſet mitigare, de ſuo tandem diſceſſu cœpit attentius meditari. Itaque collectis omnibus, quæ vel adhuc corradere potuit, inſuper codicibus, privilegijs, ad extremum SS. reliquis, abijt, receſſit, & ubi proadipiſcendo epiſcopio jamdudum ſpei ſuæ anchoram fixerat, *Hildenſem* redijt: ubi in brevi ſpe ſua fruſtratus moritur, & ſuper inductam B. Micheëlis ſepelitur. Ad xxiii. annos ſub eo fluctuabat hæc eccleſia. Hæc dum aguntur, Comes *Ludovvicus* neceſſitate ductus imperatori *Hinrico* traditur, captivatur, incarceratur. Cujus loco filij ejus *Ludovvicus* & *Raſpo Hinricus* ſurrexerunt, vicemque ejus favorabiliter ſuppleverunt.

Anno MCXVI. apud Wulfelßholtz illato bello Saxonibus vincitur, fugatur Rex *Hinricus*. Hoc eodem tempore quidam monachus, *Anno* vocabulo, natione Suevus, hujus cœnobij gratia à domino Palatino huc eſt directus; quod inſcijs fratribus quia nequaquam fiieri debuit, factum nimirum omnibus diſplicuit. Ille ubi hoc experimento didicit, itinere quo venerat feſtinato redijt. Sed adhuc inunanimitas fratrum electionis fit impedimentum. Quo tempore quidam, cui *Rudigerus* vocabulum erat, ſimulative monaſterium intraverat: laicus erat, ſe tonſoraverat, ſe cucullaverat. Huic *Conradus* quidam Nyenburgenſis cœnobij monachus erat familiariſſimus: cumque fratres de electione diſcordantes perſpexit, convocatis eis audientiam petijt; qua conceſſa, vultum dejecit, poſtremo ſuppreſſa voce hæc intulit: *Reverendiſſimi fratres & Domini; cauſam, ſi placet, veſtræ pandam ſanctitati. In VVeſtphaliæ partibus eſt nobilis conſanguineus auorum numeroſitate confectus, inſuper ob diutinam infirmitatem jam corpore præmortuus. Is divitias poſſidet innumeras, incertus quis poſt ſe obtineat eas. Itaque ſi diſcretioni veſtræ expedire videtur, quantocius eatur, hucque*

cum

eum omnibus divitiis deferatur. Siquidem plerumque me convenit, & hæc vobiscum agere peroravit. Placuit sententia fratribus, ut ad præsens ire debeat una voluntas omnibus. Nec mora; benedictionem petijt, accepit, abiens benedicite dixit. Sed qui agit dolum in lingua sua, nunquam accipiet benedictionem à Domino. Igitur uno se comitante servulo egressus, *Bremam* est profectus, Archiepiscopum adijt, fictitias literas obtulit, ex parte conventus jam dictum *Conradum* expetijt rectorem. Quid plura? Archiepiscopus dictis fidem præbuit, quod petebatur annuit, *Conradus* ut quantocius ad se vocetur præcipit. Ille machinationis suæ de processu gavisus episcopati auctoritate roboratus in Thuringiam cum festinatione est digressus. Ubi ejusdem *Ludovvici* propinquos, nobiles quidem viros coadunavit, & quæ egerat, capitulatim exposuit. Qui consurgentes quosdam ecclesiæ nostræ homines nunc blanditijs nunc promissionibus alliciunt, *Conradumque* de monasterio evocatum ad Archiepiscopum perduxerunt. A quo honorifice est susceptus, virgaque pastorali donatus, idoneis legatis se comitantibus, fratribus prorsus ignorantibus huc est introductus. Quibus ut ante reniti meditantibus, minime præsumserunt, quandoquidem Palatini Comitis assensum in hisce persenserunt. Huic enim propinqui ejus militabant, benevolentiamque ejus super ijs captaverant. Sic plerumque deluduntur, qui adversus domesticas insidias minus cauti feruntur. Verum *Conradus* hoc ordine Abbas constitutus à *Reinhardo* Halberstadensi Episcopo est consecratus. Hic à puero claustralibus tantum curis occupatus in exterioribus minus erat exercitatus. Quapropter dum nec interioribus perfecte invigilavit, circa exteriora prorsus dormitavit. Hinc ecclesiæ substantia citius est dissipata. Simplicitatem omnino prætendebat: sed omne quod est nimium, vertitur in vitium. Excessus fratrum

nimis

dissimulavit, ecclesiæ famulos plus justo extulit, beneficijs cumulavit. Præterea propinquorum suorum frequentia gloriabatur. Unde ecclesia, ut pene exhausta, nimis gravabatur. His diebus junior *Ludovvicus* fraterque ejus *Raspo Hinricus*, capto *Hinrico* quodam regiæ tyrannidis capitaneo, à captivitate patrem expedierunt, cui sociati denuo, adversus regem arma contulerunt. Palatinus quoque *Fridericus Agnem Hinrici* Ducis de **Lintburg** filiam uxorem duxit, ex qua duos filios *Hinricum* & *Fridericum* generavit. Quibus adultis, *Henricum* pro spe hæredis militiæ aptavit, *Fridericum* apud Parthenopolim canonicę professioni associavit. Sub eodem tempore Palatinum *Fridericum*, Comitemque *Ludovvicum* fidelium suorum interventus reconciliavit, ingentique á vitrico accepta pecunia, nonnullis prædijs, hujusque ecclesiæ advocatia se Palatinus abdicavit. Isdem Palatinus Conradi Abbatis importunitate pulsatus, decem argenti libras expetijt, & ab invasione prædiorum in **Tundorp** se cessare spopondit. Quod uxor ejus ut comperit, dissuasit, unde allatam pecuniam suscipere recusavit. Abbas etiam *Conradus* duorum mansorum precio, omnisque hujus familiæ auxilio, *Christiano* & *Edelgero* xxx. talenta persolvit, quibus quinque mansos in **Falenbrunnen** ecclesiæ ablatas redemit. Sub ejusdem regimine aquilonaris hîc turris corruit, quam itidem à fundamentis erectam nequaquam consummavit. Eo tempore *Fridericus* Palatinus, regio fretus auxilio montem **Ruffese** occupavit, impositoque præsidio, viris fortissimis locavit. Gestæ rei fama excitati Principes Saxonum convenerunt, & auctore Duce *Ludgero* montem denominatũ arta obsidione ceperunt, succensaque munitione terræ coæquarunt. His transactis senior *Ludovvicus* apud **Reynhynresburnen** ex Comite factus monachus in brevi defunctus, & in basilica B. Dei genitricis sepultus est. Quod

cœno-

cœnobium iſdem Comes in honore B. Iohannis Evangeliſtæ conſtructum, ſub apoſtolicæ ſedis auctoritate libertavit. Defuncto patre filii ſucceſſerunt, & partes ſingulas, ſinguli hæreditaverunt: unde *Henricus*, qui minor erat, hujus eccleſiæ advocatiam tenuit. Sed & *Hodevingam* Comitis *Giſæ* viduam; frater vero ejuſdem nominis filiam conjugem duxit. Verum illo ſine liberis obeunte, *Ludovvicus* duos filios genuit, quos ſuo fratriſque nomine nuncupavit.

Reynhardus Halberſtadenſis Epiſcopus dum moritur, *Otto* Magdeburgenſis Eccleſiæ Canonicus ſubſtituitur. *Fridericus* Palatinus internorum inciſione in firmatus, per internuncios conjugem abſentem exoravit, quatenus pro animæ ſuæ remedio Gozecenſi Eccleſiæ **Tundorp** reſtituat. Sed & hoc petiiſſe perhibetur, ut ſi vita decederet, patribus ſuis appoſitus ibidem ſepeliretur. Quas ejus petitiones illa ſe expleturam tunc quidem ſpopondit, ſed poſtmodum etiam audiſſe negavit. Ita Palatinus apud **Tiggilſted** moritur, & *Ottonis* antiſtitis imperio **Halberſtad** ſepelitur. Miro Dei actum judicio, ut qui primus patrum ſuorum temeravit inſtituta, primus quoque eorum privaretur ſepultura. Iſdem *Otto* Halberſtadenſis de eccleſiæ noſtræ deſolatione pro fratrum libertate, ſed & ſæpius Abbatem de negligentia *Conradum* videlicet, frequenter vocavit, vocatum corripuit: non proficiens tandem ab officio ſuſpendit. Non multo poſt moritur, & ante eccleſiæ valvas deforis tumulatur. Guerra nimia omne regnum tenuit, & eccleſia hæc aliquamdiu tum quoque rectore caruit. Cum quidam congregationis noſtræ Præpoſitus Eccleſiæ quibuſdam famulis conductis, quibuſdam conſanguinitatis affinitate ſe comitantibus, Abbatiæ hujus gratia ad *Bremam* iter arripuit; res penitus fratres latuit. Iam fere medium iter agitur, & ecce detinetur, fugatur, ſpoliatur: vix tandem vel nudi redire merentur. Quorum via quo-

niam prava, quoniam Domino fuit contraria; quos ambitio eduxit nimia, non minor reduxit ignominia. *Agnetis* Palatinæ filius *Henricus* puer moritur, & apud **Sutze** tumulatur. Vnde *Fridericus* frater ejus germanus, de monasterio fraudulenter extractatus, gladio accingitur, cuique *Sizzonis* Comitis filia desponsatur.

Anno Dominicæ incarnationis MCXXVI. Imperatore *Henrico* apud *Trajectum* defuncto, apud *Spiram* vero sepulto, veritas de terra prodiit, & justitia de cœlo prospexit. Siquidem curia generalissima apud *Maguntiam* VIII. Kal. Septembris habita, *Ludegerus* Dux Saxonum regni gubernacula suscepit: *Lotharius* quoque nomen mutavit. *Rokerus* Parthinopolitanensis Archiepiscopus vita discessit, cui regis gratia *Nortbertus* vir religiosus successit. Hic quoniam creditæ sibi Ecclesiæ honoribus invigilavit, pro Domini *Friderici* revocatione omnibus modis laboravit. Sed & ille, licet ejus exhortationi animum clam inclinavit, in manifesto tamen reclamavit, eo quod desponsatæ sibi virgini fœderatus esset, insuper & fidejussores statuisset.

Anno primo *Lotharii* Regis magna nobilitas Saxoniæ bello corruit Boëmiæ. Eo tempore ecclesiæ B. Georgij in **Nüenburg** *Bertoldus* Svevus præfuit, quique ab *Albirone* Bremensi Archiepiscopo fratrum consensu & hanc nostram ecclesiam gubernandam suscepit, licet regula ecclesiastica hoc prohibuerit. *Raspo Hinricus* immatura morte defunctus, viam universæ carnis ingreditur, sepultusque apud **Reynheresbrunnen** conspicitur. Qui, uti memoravimus, quia sine liberis discessit, frater *Ludovvicus* hæreditario jure successit. His diebus *Eilica* Comitissa *Magni* Ducis filia, provinciam hanc inhabitavit, & in *Murbinensis* castri fundatione laboravit. Hæc accepta oportunitate Dominum *Alberonem* Bremensem adiit, hujusque ecclesiæ advocatiam ab eo impetravit,

vit, data fide, quoad viveret, ſecundos advocatos excluderet. Cujus rei cauſa inter eam & Comitem *Ludovicum* odia gravia oriuntur, quæ amicorum ſuorum interventu in amicitias tandem commutatur. Itaque advocatia ſub Comitiſſæ ditione eſt firmata.

Annus quartus *Lotharii* regis computatur, cum generalis curia *Quedelinburg* in Pentecoſte celebratur. Hic *Hermannus* de VVintziburg provinciali, honoribus, dignitatibus, principum judicio, abdicatur: **Wintziburg** obſidetur, capitur, incenditur, funditus ſubvertitur. Cauſa fuiſſe dicitur, quia *Burchardum* de **Luckem**/ regis quidem conſiliarium, hominem vero ſuum, pro cujuſdam caſtri extructione fraude circumvenerit, & fide violata occiderit. Cujus principatu Comes *Ludovvicus* ſublimatur, quippe qui Regi, ut fidelis, ut prudens, cariſſimus habebatur. Sed & reginæ propinquus fuiſſe narratur. Per idem vero tempus eccleſiæ *B. Georgii* cura Abbas *Bertoldus* ab *Vdone* Epiſcopo Zicenſi eſt ſuſpenſus. Modicum temporis evolvitur, cum & *Eilica* Comitiſſa manifeſtis odiis eum proſequitur. Ad hoc ventum eſt, ut in facie eum appellaret, & de multis & nefandis criminibus accuſaret. Sed ejus teſtimonio, utpote fœminæ adverſus Abbatem repudiato, majori exarſit in eum odio. Nec mirum. Quem enim Deus humiliare diſpoſuit, parcere nec ei femina potuit. Et quid faceret? omnium odia adverſus eum concitavit, calumniis & opprobriis dehoneſtavit. Poſtremo minis & terroribus de loco exturbavit, unde ille omni reverſionis ſpe compoſita *Lauriſamum* declinavit: Quædam ejus operum memorantur, quæ ſubter notari jucundum eſſe arbitramur. Quaſdã officinas noſtras reſtauravit, aquæductu locum lætificavit: ſeptem circiter annis hic præfuiſſe dinoſcitur. Ex quo piæ memoriæ Abbas *Fridericus* Heroveldenſis Eccleſiæ apicem conſcendit, ſi quis fortaſſis advertere curaverit, annos LV. huc

usque computare poterit. Omne per hoc tempus dum minus idoneis rectoribus ecclesia hæc inhabitabatur, diversarum tribulationum turbinibus sine cessatione quatiebatur. Dum enim quisque sua, non quæ Dei sunt quæreret proh dolor defuit, qui labenti manum extenderet. Jam jamque ædificia alia funditus corruerant, alia jam ruinam minabantur. Omnis ecclesiæ substantia cujuslibet conditionis hominibus facta est in direptionem, cultoribus exturbatis, terra versa in solitudinem, annuis fratrum reditibus extranei fruebantur: ipsi licet pauci inediam patiebantur. Vnde quinque valentiores recesserunt, reliqui aut perniciei aut imbecillitatis necessitate quasi fidem servaverunt, quibus ullius religionis cura minima fuit; unde quod cuique libuit, cuique regula fuit. Iam nihil restabat, præter, quod ab extraneis locus inhabitaretur, aut in Babylonicam desolationem redigeretur. Sed pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui quos flagellat & corripit non in fine derelinquit, in supremo periculo constituto, clementiæ suæ non defuit præsidio. Enimvero quemadmodum per Iudith sanctam civitatem suam Ierusalem de vastatione Holofernis liberavit: sic facto mirabili & hunc locum de imminentis ruinæ præcipitio per feminam relevavit, unde digressi sumus: sed ad narrationis initium redeamus. Igitur post discessum Abbatis *Bertoldi Eilica* advocatissa tanto circa ecclesiæ profectum sollicitabatur, quanto de Abbatis expulsione à quibusdam incusabatur. Utriusque professionis viros religiosos convenit, & de ejus Abbatis substitutione consuluit, quem & sapientiæ nitor decoraret, & vitæ meritum commendaret. Tempore plurimo hoc flagrabat studio.

Anno Dominicæ incarnationis MCXXXIII. Rex *Lotharius* transcensis Alpibus manu valida *Romam* intravit, expugnatisque circumquaque præsidiis Lateranis nativitatem Domini

mini celebravit. Cui solemnitati interfuit & Papa *Innocentius*, per quem Rex consecratur Imperator Augustus. Ubi postquam regni negotia disposuit, circa Augstum Alemanniam repetiit. His diebus prædia Comiti *Sifrido* de Ertheneburg in his partibus pertinentia justo concambio imperator obtinuit, quæ itidem *Eilica* Comitissa simili conditione ab eo promeruit. Inter hæc quidam supervenit, qui Abbatem *Bertoldum* migrasse significavit. De quo postmodum à quibusdam percepimus, quia cum vespere sanus fuerit, nocte media vita discessit. Itaque *Eilica* Comitissa diu exoptata oportunitate accepta *Bigangiam* abiit, & quem multorum consilio jamdudum suspectum habuerat, *Nentherum* bonæ conversationis virum, Gozecensis Ecclesiæ rectorem expetebat. Hic à primis ferme annis militiæ Domini mancipatus sub monachica professione pie fuerat conversatus. Vnde non solum fratres, sed & ipsius loci defensores miro affectu eum diligebant, & omnimodis Comitissæ petitionibus contraire satagebant. Sed & ille multas licet occasiones prætenderet, hoc præcipue tamen affirmabat, ecclesiam scilicet, cui semel se subjugaverat mente & corpore alterius respectu nulla ratione debere, sed nec velle deserere. E contra Comitissa convenientia satis testimonia opposuit. Sed eorum propositum sæpius attentatum, cum nec prece nec ratione immutare potuit, Domini non immemor præcepti: *Petite & dabitur vobis*; omnium exauditorem Dominum super his exorare studuit. Quid per laudabilem hujus fœminæ devotionem nisi Evangelicæ Cananitidis miramur actionem? Pro filia dæmoniaca illa egressa clamitabat, pro ecclesia orbata ista exiens rogitabat. Illa cum Domino præsumtuosa disputavit: hæc ut cum legisperitis disputando certavit. Non desiit orare mulierecula à Domino quando injuriatur: non cessavit Comitissa etiam à Monachis exacerbata. Ergo quia pari affectu

utraque petiit, pari affectu utraque quod petit accepit: Illa sanitatem filiæ, ista commissæ ecclesiæ.

Eo tempore dignæ memoriæ Abbas *VVyndolfus* ecclesiam illam gubernabat, cujus virtutum mitus odor longe lateque fragrabat. Hic vir Deo plenus, utrisque zelo Dei partes proprias justificantibus medium se obtulit, & primo ad consuetum pacis & concordiæ portum revocare studuit. Deinde paterna qua solebat dulcedine omnes affatur, & ad Comitissæ explendum desiderium exhortatur. *Non*, inquit, *fratres sanum nobis æstimamus, ut tantæ autoritatis ac potentiæ non dico feminam sed terræ nostræ principem offendamus. De ea concedatur ut fileamus, vel ecclesiæ professionis nostræ condescendamus. Itaque de dilectione præsumentes consulimus, hortamur, exoramus, ut ad humilimam ejus intercessionem, quod juste petimur, juste concedamus.* Nec dum sermonem complevit, cum ecce omnis pia illa fratrum tumultuatio, veluti divinitus imperatis conquievit. Quid plura? Desiderium Comitissæ fieri censetur: Sed vi Dei modis omnibus adhuc frustra renititur. Nam conditor rerum Deus, quod fieri dispositi quis unquam infirmare potuit? Itaque velit nolit electus frater *Nentherus* adducitur, *Bremam* dirigitur, ab Archiepiscopo honorifice suscipitur. Quem licet ob nimiam occupationem Comitissa non deduxerit, attamen eunti & redeunti ducatum præbuit, sumtus tribuit, devote ministravit. Ubi aliquantis diebus familiariter detentus, præsente clero ecclesiæ hujus donum suscepit, sicque tandem in pace dimissus, per virum venerabilem *Bertoldum*, monasterii *B. Pauli* Abbatem ad Comitissam remittitur: per quam etiam ecclesiæ familia convocata summa cum devotione huc introducitur. Post perceptam Archiepiscopi legationem, post Advocatissæ serenissimam allocutionem, omnis populus in ejus laudem conclamavit, se devotos, se fideles illi promittentes. Sed & fortuna-

tunatos se futuros profitentur, qui tanti talisque testimonii virum rectorem habere mererentur. Cum istis, iisque similibus diu conclamatum fuit, ut quique ad sua redeant Comitissa præcipit. Sed & ipsa unde venerat lætissima rediit, agens gratias largitori omnium bonorum Deo, qui suo se non defraudavit desiderio. Gesta sunt hæc anno MCXXXIV. Dominicæ incarnationis sub die VIII. Kal. Decembris.

Igitur Abbas *Nentherus*, ubi jugo Domini cervicem inclinavit, mandatorum ejus per viam more solito ambulavit, neque ad dextram, neque ad sinistram declinavit. Quod ne quis dubia aure concipiat, operum ejus ab exordio argumentum capiat. Horrea, cellaria vacua prorsus reperit; unde vel una die vivendum fuit, super incertis accommodari debuit. Sed & emtionis pretium deerat, & ecclesiæ thesaurus jampridem consumtus fuerat. Cum tantæ penuriæ incommoditatibus quisque merito possit anxiari, iste non solum æquanimiter pertulit, sed mirum dictu, veluti plenis promtuariis confidens fratrum magis paucitatem indoluit, quippe quorum neminem præter unum adveniens reperit. Quapropter tota animadversione de eorum tractabat augmentatione, certus tanto se futuros locupletiores, quanto in omnipotentis Dei laudibus fierent numerosiores. Et quid ageret? De *Bigaugia*, aliisque circumquaque positis monasteriis, boni testimonii fratres accivit, quibus sociatis, veteris consuetudinis fermento expurgato, Hirsaugiensis ordinis aspersione locum emundavit: in cujus observatione nimirum secundus extitit. Sed & illi amoris divini fervore succensi, ut Tirones invicti ducis cœperunt imitari. Præterea Abbas quos jam in stadio currere considerat, nunc consolando, nunc exhortando ad promerendum bravium incitat, illudque B. Tobiæ frequentius replicando commemorat:

morat : Memores eſtote filii , quoniam pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi Dominum Deum timuerimus. Hinc illi magis magiſque proficientes, mundi prorſus inquinamenta devitabant, & per quoſque virtutum gradus incedere ſtudebant. Sed & Dominus in nomine ſuo congregatis medius aderat, omniaque eorum opera dirigebat. Facultates ampliavit, fratrum collegia augmentavit, adeo ut in brevi duodenarium excedentes numerum in hymnis & confeſſionibus benedicerent Dominum. Sub eodem tempore hortatu *Northerii* Archiepiſcopi Dominus *Fridericus Agnæ* Palatinæ filius rebus militaribus exuitur & *Parthinopolim* rediens armis ſpiritualibus reinduitur. Annus à partu virginis M CXXXV computatur, cum per *Lotharium* Imperatorem Spiritus S. adventus Merſeburg celebratur.

INCI-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [316] - 240
PUBLIC DOMAIN

INCIPIT

PROLOGVS IN LIBELLVM DE FVNDATIONE COENOBII BIGAVGIENSIS,

à temporibus HENRICI III. ad annum Christi MCCXII.

GEsta quorumque præstantissimorum literis mandare veterum sagacitas his de causis duxit commodum, ne qua videlicet vetustatis aut oblivionis obliteratione favorabilis eorum vita per succedentia tempora mortalium animis excideret. Quin potius si qua fortia vel honesta facta attigissent, in his audientium mentes oblectarentur, ad imitationem quoque eorum jugi recordatione inculcata proficerent. Cum igitur paganis & veræ fidei penitus extraneis, id potissimum fuerit studii, ut non solum propria, sed etiam prædecessorum suorum gesta probabilia, scriptis ob commendationem perpetuam vel ædificationem, (conficta licet nonnulla) posteris transmitterent: cur non potius nos Christi fidelium non tantum honesta, sed & felicia gesta scriptis & omnium laudum præconiis non efferimus, quorum vita multo probabilior, gestorum memoria longe delectabilior, executio etiam piorum operum effulsit fructuosior. Igitur de fundatione Bigaugiensis cœnobii intendentes scribere, primo quidem progeniem fundatoris, scilicet Domini *VVicperti* Comitis in *Lu-*

ut, altius ordientes, à proavis incipiamus, deinde institutionis ejus occasionem divinitus acceptam gesta fortia institutoris, ejusque finem in eodem cœnobio, aperiemus.

INCIPIT COLLECTVM EX LIBELLO SVPERNOMINATO.

Emelricus Rex Teutuniæ fratres habuit *Diezmarum* Verdumensem, & *Herlibonem* Brandenburgensem, &c. *Herlibo* tres filios habuit, *Emelricum*, *Vridelonem* & *Herlibonem*, qui ex filia Regis de *VrVeghe* procreavit filios *Zventibor* & *VVolfum*. *VVolfus* Pomeranorum principatum adeptus, inde ad Regem Danorum confugit, à quo grarioſe ſuſceptus, ejusdem Regis filiam accepit uxorem. Deinde fratres puellæ invidia moti perſecuti ſunt *VVolfum*, qui livori cedens, cum paulo poſt ſocer obiiſſet, reverſus occidit Regis filios, regnumque, uti gener Regis, ſolus obtinuit. Ex uxore ſua inde tres genuit filios, ſcilicet *Ottonem*, *Hermanum*, *VVicpertum*: Balſamorum etiam regio dominio ejus ceſſit. *VVolfus* iſte bellicoſiſſimus defunctus eſt; corpus barbari more ſuo in templum Deorum ducentes, exequias flebiles agebant. Eo defuncto, avunculus eorum, quos *VVolfus* in Danorum provincia occiderat, filios ipſius de finibus ſuis ejecit: Otto in Græciam declinavit; *Hermannus* in Ruſciam: *VVicpertus* autem in Balſamorum regionem, quæ ei paterna hæreditate provenerat, ſeceſſit, prælia plurima geſſit. Quod cernens Dominus *Goſuvinus* Comes de *Leige*, filiam ſuam, nomine *Sygenam* in conjugem ei tradidit, &c. Ex ea *VVicpertus* genuit filium *VVicpertum* longe præſtantiorem paternis virtutibus. Duas etiam filias ex eadem *Sigena* ſuſcepit, quarum unam *Henricus* de *Leige* duxit, alteram *VVernerus* ſenior de Dietrhem; ex qua is filios habuit *VVernerum* & *Adelgotum*, Magdeburgenſem poſtea Archiepiſcopum. Huic *VVernero*

villæ

villæ Bigaugiensis pars cessit hæreditatis jure. *VVicperto* mortuo immature, superstite *VVicperto* filio parvulo, Domina *Sigena* nupsit *Friderico* Comiti de Lengenfeld / ex quo filium *Fridricum* suscepit; & filiam quoque, quam *Ruggerus* vel *Rutgerus* Comes ducens, *Rutgerum* Magdeburgensem postea Archiepiscopum, & *Fridericum* Comitem procreauit. Sed *Fridericus* genuit filiam, quæ nupsit *Ottoni* Palatino de VVinlisbach, genuitque *Ottonem* Palatinum patre defuncto, & *Fridericum* Comitem.

Hinricus Imperator filius *Conradi* regebat tunc imperium, sub quo respublica pace fruebatur; sub quo Princeps *Vdo* Marchiam Stadensem regebat. *VVycbertus* ergo patre orbatus hunc accedens ab eo donec adolescceret educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, urbe *Tangermunde* ab eodem Vdone inbeneficiatur. Crevit consilio & audacia in tantum, ut formidabilis etiam notis efficeretur. Ideoque *Vdo* eum dimittens, municipium quod habuit juxta *Elstram* fluvium nomine *Croÿsta* cum omnibus attinentiis eidem tradidit procommutatione *regionis Balsamorum*. Pro *Tangermunda* vero ei alia beneficia ad *Nortmachiam* ei restituit. Ille ibidem alios impugnans, ab aliis fugatur; venitque ad Ducem Bohemiæ *VVratislaum* persuasit illi, ut regium nomen acquirere satageret ab Imperatore: illeque consensit eidem.

Hinricus tunc rex, superioris *Henrici* filius, imperabat, qui *Saxones* impugnabat. Qui cum in Italiam ire disponeret, *VVicpertus* ipsum accedens, suum illi cum LX. militibus promisit servitium. Quod ille acceptans, subjunxit *VVicpertus* suum consilium, persuadens ut Ducem *VVratislaum* in Regem exaltaret, at ille quatuor m.llia talentorum gaZis regijs appenderet: insuper & filium suum cum trecentis armatis cum ipso in Italiam destinaret. Acquievit Cæsar, ac *VVicpertus* effecit, quod promiserat. Jubente ergo Cæ-

sare, per Moguntinum Archiepiscopum ac præsules VVirziburgensem & Constantiensem, *VVratislaus* coronatur in Regem, qui aurum persolvit, filiumque suum *BoſVVinum* cum apparatu bellico Cæsari destinavit, commendatum fidei *VVicperti*, ut cum Cæsare pergeret in Italiam; de qua expeditione alibi require. Venit enim *Mediolanum*, obsedit inde civitates per quatuor annos & cepit: Obsedit *Romam* inde triennio. *VVicpertus* ad omnia pericula primus Regem à morte liberat; Romam tandem cepit Papa fugiente cum *Petro Leonis*. Papa captivatur cum avunculo suo *Petro*, &c. custodiæ deputatur *VVicperti*, effuso sanguine plurimo intra Dei templum, fluente instar Tibris. Tandem post multas controversias Papa reconciliatur Cæsari, templum Domini reconsecratus, Rex imperiali benedictione sublimatur: nova lux oritur: ex militibus *VVicperti* XI. veneno perierunt, dolo à militibus Romanis confecto. Revolutis septem annis hujus expeditionis ac belli ex sexaginta *VVicperti* militibus tantum quinque supererant; & ex Bohemis trecentis solum IX. adeo in præceps more barbarico ad omnia pericula ruentibus. Affuerunt Cæsari Mogũtinus & Colonienſis, Halberstadensis & Monasterienſis Episcopi; Fuldensis & Hersfeldensis Abbates, aliq; Principes plurimi, cum Boëmico adolescente. Cæsar audaciam & fortitudinem *VVicperti* male experiri tentans, contra eum leonem improvise adduci fecit: quem pugno fugavit: Cæsarem dire corripuit; ut erat irato animo; abire voluit; vix placari potuit. Tandem pacifice, multis ei promissis à Cæsare & Episcopis, cum *Boſvvino* abcessit, acceptis etiam donis regalibus pro *Boſvvino* ad suum patrem honorifice remittendo. *VVicpertus* autem nil tunc se petere aut accipere velle respondit Cæsari: tempore autem congruo postulare.

GosVVinus Bohemicus literis imperialibus patri commenda-

mendatus, ac muneribus, cum *VVicperto* ad Bohemiam revertitur, occurrentibus sibi Principibus & populo cum gaudio. Commendavit adolescens patri suo *VVicpertum*, quanta illis feciſſet bona, &c. Rex plurima preciosa xenia *VVicperto* obtulit; nil horum, nec paruum quid recepit. Iterum plurima: tertio plurima. Ille ut prius non recepit præter quædam quæ ibi exprimuntur. Persuadet filius patri, cum nil recipere vellet, ut filiam suam *Iudith* nomine elegantem illi in conjugem traderet, quod illi plus prodesse posset, quam si ipsam *Ruſtenorum* vel *Vngarorum* Regi sociaret. Assensit hilaris, illamque ornatam regiis induviis *VVicperto* tradidit in conjugem. Quam ille libenter susciпiens, cuncta xenia illius fidei commendavit. Coniugi susceptæ *Iuditha* VVicpertus urbem construxit **Schwortzen** nomine, quæ tutum ei foret præsidium. Impatiens vero pacis, infestabat & infestabatur. *Hinricum* etiam Marchionem Misnensem, alioſque, offendit. Item quendam *Hagenonem* fugientem in Basilicam S. Jacobi, cum egredi nollet, proh dolor! cum Basilica concremat. Hæc fuit causa, quod post modum compunctus in honorem S. Iacobi fundat cœnobium **Pegaw**.

Anno Domini MLXXVIII. bellum fuit inter *Hinricum* & *Rudolfum*, ubi Saxones terga vertunt. Ibi *VVratislaus* Dux & Rex Bohemiæ regalem lanceam adeptus *Rudolfi*: qui exinde permissione Imperatorum semper quemvis illius gentis ducatu insignem, in omni festiva processione præcedit. Huic bello interfuit *VVicpertus* bellicus.

Anno MXXC. Rex Boëmiæ consilio *VVicperti* & ducatu *Saxones* invasit, non tamen impunitus. Imperator ab Italia rediens, apud *Ratisbonam* curiam tenet: iterum Saxones invadunt, ubi *Rudolfus* Saxonum Rex vulneratus fuit. *VVicpertus* reduxit Cæsarem in Boëmiam, &c. *Ecbertus* Marchio

Brunſvicenſis, æmulus *VVicperti* ſuit: qui tandem in molendino ſuo poſt bella inter ipſos turpiter occubuit.

VVicbertus ex ſua conjuge ſuſcepit filios, *VVicpertum* ſcilicet, & *Henricum*, & filiam *Bertam*. Formidabilis efficiebatur cunctis, etiam Cæſari, qui oblitus beneficiorum ejus à ſtatu ſuo tantæ felicitatis ipſum conabatur evertere. At *Wicpertus* tandem ad cor rediens, memormalorum quæ fecerat, maxime *Romæ*, & exuſtione S. jacobi in *Zizka* compunctus dolore, acceſſit *Hartvvigum* & *VVernerum* Magdeburgenſes Archiepiſcopos pro ſalubri conſilio ſalutis animæ ſuæ. Mittitur ab eis *Romam* ad limina Apoſtolorum, paucis ſecum aſſumtis; ubi humi proſtratus, limina Apoſtolorum, quæ olim ſanguine fœdaverat, nunc lacrymis rigavit. Ad pedes Apoſtolici præſentatus, cauſam itineris ſui & peccatorum ſuorum enormitatem ex ordine confitetur cum ſumma devotione. Erat tunc Patriarcha Hiſpanenſis, vir merito vitæ etiam Papæ admirabilis, & Apoſtolicæ auctoritatis: ad hunc direxit Papa pœnitentem hunc VVicpertum: ut ſcilicet gravioris itineris laborē ſubiret. Ad quē ardenti deſiderio properans, monita ſalutis ab ipſo recepit, auditiſq; cauſis ejus conſuluit, ut Deo templū in honore *S. Iacobi*, cuius Baſilicā combuſſerat, ædificaret illucque famulantes Deo, quantos poſſet, congregaret. Acceptat id VVicpertus, inquirens, ſi ſufficeret, pro ſex fratribus fundare cœnobium. At ille Patriarcha: *qui parce ſeminat, parce & metet*, &c. & quia tenor diſciplinæ regularis in tam paucis obſervari non poteſt; ad hos totidem adde. Acquievit, & promiſit, vita comite, Deo dante, id ſe facturum. Patriarcha dat illi reliquias, hoc eſt: *S. Iacobi pollicem*, & Eccleſiæ reconciliatum abſolutumque in pace dimiſit.

Reverſus *VVicbertus* in urbem ſuam *Liznich* divertit, ſi ſceptu a ſuis cum gaudio. Conſilium cum ſuis iniit, ubinam in ſua ditione locus cœnobio conſtituendo aptus inveniretur

niretur. Circuiens pervenit in *Groysh*, ibi similiter à suis lætè susciptur, in castro videlicet suo; concilium quærit à suis. Pervenit tandem ad locum divinitus præordinatum, ad occidentalem plagam Bigaugiensis villæ: ubi cœnobium fundare statuit.

Anno itaque Domini MXCII. ad opus tantum auxilium à socero suo *Fratislao* rege Bohemiæ quæsivit. Qui laudans propositum generi tam sanctum, liberaliter septingenta eidem ad manus talenta dedit: utque fiducialiter ageret, ad honorem Dei & S. Jacobi, plurima promisit. Qui reversus domum, *Hartvvigum* Magdeburgensem Archiepiscopum adijt, flagitans, ut loco considerato, fundamenti & cimeteriorum benedictiones daret: cum quo etiam *VVolramum* Zizensem, & *Albuinum* Mersburgensem, Episcopos corrogavit. Qui suaserunt *VVicperto* ut proprijs humeris per duodecim angulos fundamenti, exemplo *Constantini* Cæsaris devotissimi, totidem cophinos lapidum deferret. Paruit ille libens, suosque tanto accendit laboris ardore, ut non sicut aliarum Ecclesiarum fundatio mercenariorum fit labore, sed manu militari ac illis obsequentium instantia certatim serveret opus, ita ut infra triennium usque ad cacumen turrium sine intermissione assurgeret: curiam sibi interim constituens operi contiguam, ubi nunc hospitale est situm, in qua Capellam *S. Nicolao* construxit.

Inquirens hinc aliquem religiosum virum prudentem, qui fratribus sibi sociatis officinas constitueret, &c. cœnobium **Schwartzea** dictum adiens, dominum *Beronem* aliosque tres fratres tanti laboris consortes impetravit, cui sui cœnobii curam commendavit. Qui cum simplex esset, fratrum numerum non augmentat.

Anno Domini MXCIII. *VVicpertus* denuo misit ad socerum suum *Fratislaum* pro subsidio: qui iterum ei trecenta talen-

talenta in ſupplementum operis inchoati transmiſit. Obiit eodem anno *Fratislaus* Rex Bohemiæ, quinque relinquens filios, *Borvvi*, qui poſt patrem ducatum ad tempus tenuit: *Vdalricum*, qui poſtea Lothario regnante præfuit eidem.

Anno Domini MXCVI. conſtructis ædificiis per Abbatem *Beronem*, perfectisque, dedicatum eſt cœnobium Bigaugienſe per Dominum *Hartvvigum* Magdeburgenſem Archiepiſcopum, cooperantibus eidem *Albuino* Merſenburgenſi & *VValramo* Zicienſi, Epiſcopis, *Ezelinoque* Havelbergenſi: in præſentia domini *VVicperti*, fundatoris, filiorumque ejus *VVicperti* & *Hinrici*. *Iuditta* uxor ejus Comitiſſa, filia regis Bohemiæ *Fratislai* coronata adornata proceſſit eodem die, obtulit pretioſa plurima. Sicque VII. Kal. Auguſti dedicatum eſt monaſterium in honorem *S. Trinitatis*, *S. Mariæ Virginis*, *Sanctique Iacobi Apoſtoli*, dotatumque magnifice. Singulis quinque diebus tempore dedicationis domina Comitiſſa in aliis veſtibus & aliis proceſſit.

Anno Domini MC. Dominus *Bero* Abbas primus obiit in Domino, ſepultus VII. Kal. Jan. Vigebat eo tempore in Saxonia apud *Corbejam* Abbatiam regalem, regularis diſciplinæ diſtrictio, quæ ſecundum Hirzaugienſem inſtitutionem jam laudabiliter propagari cœperat. Præfuit tunc Corbejæ Abbas *Marquardus*. Hunc VVicpertus adiens, petijt ab eo virum, qui cœptam ibi religionem promoveret amplius. Datur illi Dominus *VVundolfus* monachus, ad tantum opus idoneus, vir religioſus doctus & ſtrenuus, fidelis & prudens: junguntur eidem & alii fratres in adjutorium. Dantur & libri pro divino officio, & reliquiæ de S. Vito, quæ omnia gratanter *VVicpertus* ſuſcipiens, venit cum Abbate *VVyndolfo* ad Bigaugiam: fecitque ipſum paſtorali benedictione per Moguntinum Archiepiſcopum, *Rotardum* nomine, ſublimari, adductum ſecum in *Erpfurt*. &c. Inde reverſus *Pegavv*

ſuſce-

ſuſcepit curam, emendavit omnia, fratrum adauxit numerum, uſque ad quadraginta, gratia Dei adjutus per omnia.

Anno Domini MCV. Comes *VVicpertus* monaſterium *Luczke* fundavit in diœceſi Mersburgenſi de conſenſu Epiſcopi *Albuini*, & capituli Eccleſiæ ejus, contiguum monaſterii Bigaugienſi, & ſubjectum eidem. Quem locum eſſe voluit parochiam omnium circumjacentium villarum, pro ſex ſaltem fratribus, quibus cella fieret, &c.

Anno Domini MCVI. *VVicpertus* de conſilio Abbatis *VVyndolfi* miſit ad Romam, ſupplicans, ut locus *Pegavv* per Papam eximeretur à poteſtate cujuslibet alterius, &c. obtinuitque ſigilli robore privilegium ſequens: *Paſcalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, fidelibus per Saxoniam ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deſiderium &c. VVicpertus ſiquidem, Saxonicæ gentis illuſtris Comes in Merſeburgenſi parochia, in loco prædii ſui, quod* Bigavvia *dicitur, monaſterium &c. quod obtulit S. Petro, &c. & Apoſtolicæ ſedis iuri in perpetuum mancipavit: Advocatiam tamen monaſterii ipſe habiturus excepit.*

Anno Domini MCVII. *Hinricus* Cæſar obiit, & filius ejus *Hinricus*, Rex quintus, ſucceſſit. Qui Moguntiæ Principes convocans, etiam *VVicpertus* cum filiis *VVicperto & Hinrico* affuit: ſed ibidem nuntium triſte de conjugis ſuæ *Iuditæ* obitu ſuſcepit. Qui cito remeandi obtenta licentia dilectam ſuam in Bigaugienſi cœnobio honorifice ſepeliri fecit, Epiſcopis tribus præſentibus, Bohemiæ, & aliis Principibus & nobilibus.

Anno Domini MCX. Poſthæc Dominus Comes *VVicpertus* aliam duxit uxorem, relictam ſcilicet *Chunonis* Principis de *Bichilinge*, nomine *Kunighundem*. Ejus etiam filiam ejusdem nominis filio ſuo *VVicperto* deſponſat. Celebrarunt ergo nuptias ſimul binas. Habebat hæc Domina Abbatiam

in confinio Saxoniæ & Thuringiæ *Oldesleibe* dictam, cujus res sub Abbate *Luperte* perierant. Hanc suscepit rogatu *VVicperti* Abbas *VVyndolfus* reformandam, sed pertæsus impetravit à *Corbeia* Dominum *Hildelinum* in Abbatem: qui cum eo dudum fuerat missus Prior ad Bigaugiam. Hic pro tempore præfuit ibidem utiliter, & obiit in Hierosolymitana profectione sub *Conrado* Cæsare, in comitatu *Bernardi* Comitis de *Plozeka*. Nobilis quidam *Vizo de VVyzenboreh*, consanguineus *VVicberti*, moriens ipsum prædiorum suorum statuit hæredem. Is congregationem Sanctimonialium in eodem castello instituerat. Quo defuncto, *VVicpertus* venerabilem matrem suam Dominam *Sigenam*, jam secundo viduatam, ibi pausare usque ad finem vitæ in sancta conversatione concessit. Qua mortua, ibidemque sepulta, cum religiositas ibidem omnis deperisset; *VVicpertus* consilio *Ottonis* Episcopi *Balbergensis* in vicino ejusdem castelli, juxta fluvium *Vnstrod*, monasterium monachorum instituit in loco qui *Reyndorp* dicitur; cui Abbas *VVyndolfus* fratrem *Ludigerum de Corbeia* revocatum in *Bigaugiam*, Abbatem instituit.

Anno Domini MCX. *Henricus* junior Cæsar filium *Fratislai*, *Bosvvi* nomine, regno privavit, & quendam *Svvetpoldum* instituit. De quo *VVicpertus* dolens, regem rogavit pro restituendo *Bosvvi*, nec obtinere potuit. Anno sequenti Cæsar in Bohemiam exercitum ducens, *VVicpertum* etiam advocavit: qui sumtis duobus millibus profectus est. Cum ergo pro *Bosvvi* Cæsarem haberet infensum, *Zvetepol* cum Cæsare clam de *VVicperto* tractabat; quod *VVicpertum* non latuit. Cumque nocturno tempore ab hujusmodi consiliis *Zvvetepol* à rege ante *VVicperti* tentoria rediendo transiret, *VVicpertus* jussit uni militum suorum, ut sic clam pertranseuntem *Zvvetepol* cuspide transfigeret. Et fecit sic, fugitq;

ad

ad tentorium *VVicperti*. Exorto clamore mortuo duce Bohemi fugiunt, & Cæsarem in grandi timore relinquunt. Rogavit igitur *VVicpertum*: ut se à Polonia deduceret. Pollicetur id *VVicpertus*, si Cæsar *Bosvvi* in paternum principatum restitueret. Annuit Cæsar necessitate constrictus, imperavitque *VVicperto* reducere *Bosvvi* in sedem paternam. Rex *Hinricus* festinus *VVicpertò* præduce Polonia decessit: sed *VVicpertus* junior patre jubente interim *Bosvvi Pragam* in sedem paterni principatus reduxit. Rex cum in Teutoniam usque *Nurenberch* venisset, comperto quod *VVicpertus* junior *Bosvvi* reduxisset, & adhuc in Bohemia moraretur, favens *Ladislao* fratri *Zvvetepolæ*, quem *VVicperto* inscio pro fratre dolose in principatum provexerat, eodem instigante Bohemiam ingreditur, insequiturque *VVicpertum* juniorem & *Bosvvi* doli inscios, ambosque captivos abductos in *Hamersteyn* custodiæ mancipavit. *VVicpertus* hæc audiens & dolens, aliter filium liberare non potuit, donec urbem *Lizink*, & pagos *Insen & Budissen*, una cum urbe **Morunge** regi tradidit: quæ omnia statim Cæsar *Hogero* Comiti de *Mansfelt*, sibi familiarissimo in beneficium concessit. *VVicpertus* junior laxatus non multo post cum Cæsare in *Thuringiam* venit, ubi eum municipio quodam **Ekersberg** dicto inbeneficiat.

Anno Domini MCXII. rex *Hinricus* manifesto jam odio *VVicpertum* seniorem infectatus *Ladislao* auxilium sibi ferente *Groystam* deliberavit invadere. *VVicpertus* quoque junior **Nüenborch** urbe sperans se inbeneficiari, regi contra patrem suum fuit auxilio. *VVicpertus* autem electissimos in urbem congregavit, cumque obsideretur, *Lodeslaus* amisit ultra quingentos suorum. Ideoque rex omittens obsidionem, post octo dies inde transiit, urbe **Nüenborch** alium inbeneficiavit: sicque *VVicpertus* ab eo deficiens, ad patrem

suum rediit. *VVicpertus* regis denuo adventum præcavens, amicitiam iniit cum *Sigifrido* Comite, Palatino de *Orlamunde*, & cum *Ludovvico* Comite de *Turingia*. Quorum conventione apud **Warenstede** comperta, cum ccc, insperatus advenit; *Ludevvicus* effugit, *Sigefridus* occiditur, *VVicpertus* vulneratus captivus abducitur, & in *Litzinich* custodiæ mancipatur. Dein in **Wirtzenburch** regi præsentatur, ab omnibusque capitali sententiæ adjudicatur. Miles *Conradus*, cui decollandus traditus fuit, cum jussa moraretur perficere, expectans meliorem à Rege nuntium: suggesserunt Principes cuncti *VVicperto* juniori, ut *Groystam* cum omnibus attinentiis pro patris liberatione regi devotus offerret. Quod cum feciſſet, *VVicperto* vitam indulsit, sed in urbe sua *Druls* per triennium servari ipsum mandavit. Quo comperto filii ejus *VVicpertus & Hinricus* contra Regem ad Saxones se contulerunt, & ob hoc cum *Ludevvico* Comite rei majestatis adjudicantur. Patre ergo per triennium in captivitate detento, filij silvarum latibulis; hominum destituti solatiis, se suosque tuebantur.

Anno Domini MCXV. *Hinricus* Rex insolens, Principes Saxoniæ infestabat graviter, privavitque dignitatibus suis Episcopum Halberstadensem, venerabilem *Reinhardum*, Comitem Palatinum de **Sommerskenborch** / *& Fridericum* de **Arnsborch** / *ac Rodulfum Nortmarchia* potitum; substituitque pro eis alios sibi faventes. Qua injuria commoti, cum *Lothario* Duce Saxoniæ, cum *VVicperto* juniore ac *Hinrico* fratre ejus, & cæteris injuriatis ab eo, conglobati juxta **Cruceborch** fœdus inierunt contra Regem. Inde proficiscentes, castrum quod **Wallebek** dicitur, ad injuriam Regis ædificaverunt: ex quo *Hogerum* Comitem infestabant. *VVicpertus* junior juxta **Guntorff** nemoris latibulo se occulens,

ex

ex invaſione adverſariorum neceſſitati propriæ ſubveniebat. Menſe autem Novembri foliis deficientibus, opaca ſilvarum illuſtrabantur. Miſit ergo nuntium ad *Adelgotum* Archiepiſcopum Magdeburgenſem, avunculum ſuum, petens, in aliquo ſuo municipio cum ſua conjuge & paucis militibus recipi ad hyemandum, quem bruma non ſineret ſub divo latitare. Cui compatiens Epiſcopus, ipſum cum ſuis ultra Albiam, in urbe quæ **Lübbordh** dicitur, collocari fecit: Cujus loci præfectus *Priborn* adhuc fere erat paganus, eo quod ultra Albiam illis temporibus. Audiens hæc *Hinricus* Cæſar, citavit *Adelgotum* Goslariæ ad curiam ſuam, cum quo *VVicpertus* miſit legatum ad reſciendum, ſi quid ibidem de eo Archiepiſcopus doli neſcius aviſatur à quodam, quia non ſolum deponere ipſum, ſed & capere rex intenderet. Ideoque noctis tenebris clam celeriter aufugit, **Magdeborch** cum ſuis pervenit. Cæſar mane factum audiens, graviter contemtum regiæ majeſtatis tulit. Querimonia de iis coram principibus habita, quorum favore illius fovebatur audacia, Archiepiſcopus abſens deponitur, & ultio fieri de Saxonibus reipublicæ contemtoribus illico decernitur. Adunatur exercitus apud **Walhuſen**/Saxonesque ad bellum præparantur. Venitur ad pugnam in **Welpsholt.** *Reynhardus* Epiſcopus Halberſtadenſis inter miſſarum ſolemnia ſermonem fecit ad populum, eos monens divinam implorare clementiam. Præſtolantes itaque regis adventum, ad defenſionem libertatis & patriæ ſe viriliter cohortabantur. Impe-
rator adveniens ſuas ordinavit acies, & primo congreſſu *Hogerus* cum ſuis locatus, prior omnibus à ſuis paululum cum quodam *Ludolfo* remotus, audaciæ jactantiam jungens, ſolus equo deſilit, & manu exertum gladium gerens, in Saxones præceps accurrit. Quem *VVicpertus* junior, duobus

sibi sociatis *Conrado & Hermanno*, fratribus viribus valde præstantibus, nil moratus aggreditur, forti nisu cuspide in pectus ejus vibrata. Qua per *Ludolfum* confestim extracta, *Hogerus VVicpertum* ense commotus impetiit, sed ictus clypeo cum protegente cassatur: statimque gladio per medium caput reverberatum *Hogerum* prostravit, & nitentem exsurgere lumbo loricæ nudatum gladio transfodit. Sublato ergo clamore cunei utriusque partis consequuntur; & Saxones pro se patriaque viriliter agentes, hostes nec spe nec timore nitentes, quasi oves tanto furore aggressi sunt, ut xxx. vel xx. ex uno Saxone occumberent. Tota die pugnatum est, & nox interveniens bellum diremit. Rex itaque victus, fugatus in Bavariam abiit; victores Saxones læti ad sua redierunt. *De bellis istis quinque cum Saxonibus satis habetur in Chronica Magdeburgensium Episcoporum & alibi. Sed nusquam legi, nisi hic, quis istum occiderit Hogerum de Mansvelt, totius mali incentorem. Nec clare habetur ibi, quod hic sequitur de fundatione Novi operis prope Hall, quod mirum est.*

Anno Domini MCXVI. fundatum est monasterium Hallense à venerabili *Adelgoto* Archiepiscopo Magdeburgensi, (cujus genealogia & successoris ejus *Rutgeri*, descripta est in principio hujus libelli) Cœnobium, inquam, Hallense, quod dicitur ad *Novum opus*. *Lodevvicus* Comes à vinculis absolvitur: *Everwinus* Comes monachus effectus est. Archiepiscopus Maguntinus liberatur rege coacto.

Wicpertus junior rogavit *Dedonem de Crozuch*, ut reciperetur saltem in atrium Ecclesiæ. Ædificat sibi asylum tutum infra XIV. dies sibi & suis. Novem dehinc transactis hebdomadibus urbem Dewyn per insidias occupavit. Tantam ibi rerum diripuit abundantiam, ut milites suam exinde levarent inopiam. Inde XXIV. jubegit municipia circum-

cumpoſita. Deinde obſedit *Groyſtam* & obtinuit, auxiliante *Adelgoto & Gertrude* Marchiſa, quæ fuit mater reginæ *Richinzæ* uxoris *Lotharii*. *Adelgotus* Magdeburgenſis, cum *Reynhardo* Halberſtadenſi Epiſcopo & *Friderico*, Comite Palatino, *Wicperto* etiam & *Ludovvico*, Nüenborch obſidione vallavit. *Hinricus* autem quidam, dictus *cum capite*, inſidias parabat vagantibus pro pabulo in circuitu. Hunc perſecuti in *Arnsburch* comprehenderunt, & ad Epiſcopos duxerunt. Quo audito Nüenborch tradiderunt. Imperator coactus pro hujus redemtione relaxavit *VVicpertum* ſeniorem, *Ludevvicum & Burchardum de Miſna*. *VVicpertus* ergo dimiſſus *Groyſtam* revertitur. Exinde Litzinch petiit, vique recepit. Idem ab *Adelgoto* Magdeburgenſi Epiſcopo præfecturam mille clypeis & quingentis talentis præditam in beneficium ſuſcepit. Omnibus ergo ſuis ei reſtitutis ad curiam *VVormatiæ* indictam porrexit, & Imperatori pro ſuorum recuperatione grates perſolvit, & ut Marchia *Luzenſi* ab eo inſigniretur, promiſſis duorum millibus talentorum exoravit & impetravit. Indeque ab Imperatore inter reliquos Principes par habetur, cappa Dalmatica pretioſa ab eodem dotatur, quam *Burcardus* Epiſcopus Monaſterienſis Imperatori obtulerat. Sicque proſperis ſuccedentibus *VVicpertus* cum gaudio ad propria remeat.

Anno Domini MCXIIX. *Paſchalis* Papa obiit, à quo privilegium Bigaugienſi cœnobio obtinuit fundator *VVicpertus*, Marchio poſtmodum in *Luzitz*. *Gelaſius* ſucceſſor obiit XIX. *Kalixtus* Papa Synodum apud Remenſium urbem à CCCCL. Epiſcopis & Abbatibus vocavit.

Anno Domini MCXX. *Fuldæ* convocantur Principes ſuper diſſenſione regni: ſed Rex diſtulit. *VVelpho* Dux Bavariæ obiit, & *Fridericus* Palatinus de Saxonia obiit. Antea obiit XIX.

Anno *Adelgotus*.

Anno Domini MCXXII. *Hinricus* apud Wormaciam per Cardinales duos à *Calixto* Papa missos Ecclesiæ reconciliatur, & suis. *Raynhardus* Episcopus Halberstadensis obiit MCXXIII. *Otto* pro eo constituitur. *Tidericus* Episcopus Zitiensis occiditur improvise. *Richvvinus* succedit. *Ludevvicus* Comes fundator Reynsbornensis cœnobii, factus ibidem monachus, obiit. *Hinricus* Marchio junior obiit (*forte erratur ut sit VVicpertus junior*) pro quo *Hinricus* Rex instituit *VVicpertum* Divitem, & *Hermannum* de Wincborg. Sed *Albertus & Conradus* Comites de Saxonia, adjutorii *Lotharii* Ducis Saxonum, illis pulsis eorum invadunt loca & dignitates.

VVicpertus Marchio, fundator Bigaugiensis, Anno Domini MCXXIV. obiit XI. Kal. Iunij. Hic invaluerat prædiis & beneficiis in provincia nostra, quæ *Svvorbia* dicitur, (ait autor hujus) Monarchiam quoque in *Luzici*, ac præfecturam in *Magdeborch* principalem obtinuerat. Cum enim in villa Halle/ubi advocatiæ causas administrabat, pernoctaret, expergefactus ignem accensum pedibus nudis extinxit: semiustus inde lectum repetiit. Infirmatus ex hoc, jubens se in suam *Groystam* reduci, prius *Bigaugiam* divertit, tanquam asylum suum. Ad breve tempus ibi commoratus, ne fratres plus contristaret desolatos, misit ad Episcopum Magdeburgensem *Ruggerum*, filium sororis suæ, ad *Arnoldum* Mersburgensem, *Richvvinum* Czizensem, *Godeboldum* Misnensem, Episcopos; *VVyndolfum* etiam Abbatem. Quibus advenientibus, consilium eorum requisivit de salute animæ suæ. Consuluerunt illi, *ut religionis habitum susciperet*. Qui promtus obediens, in præsentia eorum cum deditione gladii, tam militaria omnia quam secularia abdicavit. Sequenti die *Bigaugiam* allatus, habitum suscepit, professionem fecit. Obedientiam inde servavit integram, cæteraque monastica, ut nec cibum

nec

nec potum sumeret, nec proprio filio se videndum, sine permissione Abbatis, sineret. Silentio vacabat & animæ suæ indeque obdormivit in Domino Episcopis & aliis exequias ejus peragentibus & sepulturæ tradentibus, inter uxorem & filiū in medio Eccleſiæ **Pegaw** sepelitur (*Oportet ergo VVicpertum præmortuum.*) Succeſſit ejus filius Comes *Hinricus*: sed Comites *Adelbertus* & *Conradus* Marchiam ejus invadunt, quam *Adelbertus* ad tempus tenuit. *Luthario* regante, *Hinricus* in ejus gratiam rediens, eam recepit.

Anno Domini MCXXV. Obierunt Rex *Hinricus*, Papa *Calixtus*, Episcopus Czizensis *Richvvinus*, pro quo *Vdo* constituitur, cujus optima fuerunt principia. *Lotarius* Dux Saxonum anno MCXXV Rex eligitur apud Moguntiam, *Otto* quidam, conquestus apud Regem privatum se Ducatu Bohemiæ. Rex vocatum ad se *Vdalricum* tunc Ducem Bohemiæ, filium *Fratislai*, cum non comparuisset, bellum contra eum suscepit, in quo iste *Otto* occubuit. *Vdalricum* Rex in gratiam recepit MCXXVII in *Mersborg* Pentecostes festo, filiumque ejus de sacro fonte levavit. Rex castrum obsidet **Nürnberch** habens secum Ducem & exercitum Bohemorum. Rex inde per *Conradum* fratrem *Friderici* fugatur, inflatus ex hoc nomen sibi regium assumsit. Ideoque *Conradus* excommunicatur à Papa *Honorio*. Sed tandem humiliavit se regi & subdidit. Anno Domini MCXXIX. Halberstadenses duo Episcopi eliguntur simul. *Hinricus* de Staden Marchio obijt. *Vdo* Comes de Saxonia occiditur. Papa *Honorius* obijt. 1130. *Hinricus* Comes frater *Ludevvici* obijt anno 1131. *Hermannus* de *VVinceburg* per regem custodiæ in **Blankenborg** mancipatur; *VVinburg* destruitur. Rex in Daciam profectus subdidit rebellem. Synodus apud *Leodium* sub *Innocentio* congregatur; ibi præsente *Lotario Otto* Episcopus Halberstadensis restituitur.

Ibi *Adelbertus* Marchio de Saxonia deponitur, & *Hinricus* filius *VVicperti* pro eo Marchio in *Lusiz* constituitur, qui hue usque ab *Adelberto* excluſus fuerat violenter. *Godehardus* Epiſcopus Hildenſemenſis de terra levatur ab obitu anno Domini 1132 Rex cum *Rickinza* & excercitu mille & quingentorum pergit in *Italiam* ad reducendum illuc *Innocentium* Papam: quod & fecit: benedictionemque imperialem ab eodem in *Roma* ſuſcepit 1133. Vide alibi.

Anno MCXXXIV. Rex in Halberſtad Pentecoſten celebravit. Ibi *Magnus*, filius *Nicolai* regis Danorum gratiam invenit pœnitens, & coronam regni ſuſcepit ab Imperatore. Sed rediens, cum abuſus gratia ingratus, filio patrui *Erico*, cujus fratrem occiderat, bellum indiceret, obſedit eum in *Lundina* cum xx. millibus armatorum. *David Erici* ſororis filius erumpens civitate cum ccc. armatis turbat exercitum. *Magnus* relinquitur ſolus in terra proſtratus: quem. *David* ut judam proditorem occidit. *Nicolaus*, pater *Magni*, fugit, ſed perimitur doloſe. &c. Imperator *Svveviam* ingreditur contra *Fridericum* & *Conradum*. *Vlma* evertitur, & tenta clade Suevia opprimitur, ut nunquam poſt taliter.

Anno MCXXXV. *Fridericus* gratiam Cæſaris impetrat. Imperator curiam apud *Mersborg*, habuit, ubi ex præcepto Dux Polonorum affuit, qui nunquam antea ad alicujus Imperatorum curiam venire voluerat, nec precibus nec minis. Affuit & Dux Boëmorum *Vlricus* ibi Polono Duci per *Lotarium* conciliatus. Advenerant & à *Græcia* miſſi Dux & Epiſcopus, cum legatis Ducis *Venetiæ* conquerentes contra *Ruggerum* Comitem *Siciliæ*, eo quod Græcis abſtuliſſet *Africam* paganis auxiliantibus: *Venetiam* ſpoliaſſet: de imperio Romano totam *Apuliam* & *Calabriam* ſubtraxiſſet. &c. Affuerunt Regis *Hungariæ* nuntii obedientes &c. Curiam iterum habet Cæſar in Mülhuſen circa Michaelis feſtum. Ibi

Conr-

Conradus Dux in gratiam ſuſcipitur, cumque reſtituiſſet omnia, in pace dimittitur. Hinricus Marchio in *Luſiz* eſt Præfectus Magdeburgenſis.

Anno Domini MCXXXVI. Lapis magnus, ut caput hominis, juxta **Oltensleiben** cecidit de nubibus, abbatiam quæ ibidem cuſtoditur â fratribus. Imperatore in **Quedelingborg** exiſtente plura prodigia viſa ſunt in cœlo: crux rubea de cœlo deſcendiſſe in aëre pependiſſe & reaſcendere. *Lupoldus* Marchio in venatione occiditur. Imperator ſecundo in Italiam profectus, *Apuliam* reſtituit ſedi Apoſtolicæ. *Bruno* Colonienſis obit: ſepelitur apud *Barum* Apuliæ. De iſtis plenius feci ſcribi antea ex geſtis *Lotarij* Cæſaris, ubi habetur Chronica Sclavica. Anno Domini 1137. Maguntinus Epiſcopus *Adelbertus* obiit, & *Adelbertus* alter ſucceſſit patruelis ejus. Imperator de Italia revertitur, ſed in via obit: cujus corpus à *Rickinza* in **Lutter** ſepelitur. *Sigifridus* Comes de **Wallebecke** ſagitta percuſſus interiit in expeditione *Lotharÿ* ſuperius.

Conradus frater *Friderici* Ducis Suevorum in regem eligitur poſt *Lotharium* MCXXXIIX. Fuit nepos *Hinrici* quarti ex ſorore, vir bonus. Paſſagium fecit 1147 cum cruce ſignatis contra Saracenos circiter LX. millia, Imperavit annis quindecim; amicus S. Bernhardi. Anno Domini 1139 obiit *Hinricus* Dux Bavarorum & Saxonum, qui *Catulus* dicitur, reliquit filium, *Hinricum* ſcilicet Leonem. Diſcordia inde oritur pro ducatu Saxoniæ, quem Cæſar dedit *Adelberto* Marchioni. Saxones defendebant puero ducatum. Anno 1140. Obierunt *Otto* Bambergenſis Epiſcopus, *Godfridus* Dux Lovaniæ, *Ludevvicus* Comes provincialis, *Olricus* Dux Bohemorum & *VVilhelmus* Comes Palatinus. Cæſar habet curiam *VVormatiæ*; ibi *Ludevvicus* adhuc puer Provincialis efficitur. Caſtra deſtruuntur **Anahalt/Groningen/Gebeli,**

Witteſſo. Imperatrix *Rickinza* obiit, & *Albertus* Epiſcopus Maguntinus. Cui ſucceſſit *Marcolfus* Aſcanienſis Præpoſitus, qui cito moriens *Hinricum* habuit ſucceſſorem. *Conradus* Epiſcopus Magdeburgenſis obiit: *Fridericus* ſucceſſit. *Gerdrudis* Duciſſa obiit, 1142. Anno 1148 *Vdo* Czizenſis Epiſcopus ab Ieroſolymis rediens naufragio periit; pro quo *VVichmannus Conradi* Marchionis ſororis filius ſequitur. Pomeranorum princeps *Rodibernus* fidem ſuſcipit.

Anno MCXLIX. Imperator revertitur à Ieruſalem. *Bucco* VVormatienſis Epiſcopus obit. Anno ſequenti 1150 Dominus *VVyndolfus* Abbas Pigaugienſis, peractis in regimine annis quinquaginta & amplius, multo ſenio & laboribus attritus, ſponte ſe abbatia abdicavit, habito conſilio *Reynhardi* Epiſcopi Mersburgenſis & *Adelberti*, Abbatis de *Porta*, & *Gerungi* Abbatis de *Poſovv*, & aliorum. Inde deſtinatur in cellam *Stolen*, cum iis qui ei ſubminiſtarent. Obijt LVI.

Hinricus ejusdem Eccleſiæ nobilis juvenis ſucceſſit *VVyndolfo*; qui in principio multis adverſitatibus preſſus, anno ſcilicet Domini 1150. Poſtea debile principium melior fortuna ſecuta eſt. Hic contemtor honoris, quamvis ab omnibus amaretur, & rebus affluēret omnibus, tertio tamen conabatur deſerere Abbatis officium, filioſque ſuos fratres, licet reclamantes & flentes, precibuſque ipſum retinentes relinquere. Sed tandem detineri non potuit: ſed anno ordinationis ſuæ XVI. Domini autem 1168, cum magno ſuorum dolore ſanus & juvenis, nullo conſulente, ſpiritus tamen impetu magis quam carnis ductus, Abbatiam reſignavit. Obiit LXX.

Anno MCLI. obierunt *Arnoldus* Colonienſis Archiepiſcopus. *Arnoldus* Cancellarius ſucceſſit. Obiit *VVernherus* Monaſterienſis. *Fridericus* ſubſtituitur. *Ludevvicus* de *VVitera* obiit. 1152 *Lambertus* obiit. *Hermannus* de VVincen-

borch

borch cum *Luchardi* conjuge insidiis suorum in domo propria occiditur III. Kal. Febr. *Conradus* Imperator obiit, & *Fridericus* filius fratris ejus eligitur: & *Fridericus* Magdeburgensis Episcopus obit, *VVichmannus* succedit.

Anno MCLIII. *Fridericus* Rex in Saxoniam venit. *Hinricus* Maguntinus Episcopus deponitur á legatis Papæ, cui successit *Arnoldus*. *Hinrico* Mindensi deposito successit *VVernharus*. *Bernhardus* Hildesheimensis Episcopus relaxatur & moritur: *Bruno* succedit. Papa *Eugenius* obit; *Anastasius* succedit. *Anastasius* obiit 1154, *Adrianus* successit; à quo *Fridericus* imperiali benedictione susceptà à Romanis evasit. *Sueno* Danorum rex fugatur: cujus regnum occupant nepotes ejus *Knutus* & *VVoltmarus*.

Anno MCLVI. obit *Arnoldus* Colonienſis. *Fridericus* sequitur. Dux *Hinricus* Frisiam hostiliter ingreditur. Ducatum Bojoariæ à *Friderico* Ratisponæ posito obtinuit. *Hinricus* antecessor marchionatum in Osterich obtinuit. *Conradus* Marchio obit, conversus in Monte sereno, cujus fundator ipse fuit S. Petri. *VVyndolfus* Abbas Pigaugiensis obiit. Dux *Hinricus Suenonem* in regnum Daciæ reduxit. Anno 1157 *Knutus* Rex à Suenone interimitur, & *Fridericus* Cæsar Poloniam hostiliter ingreditur. *VVoldemarus* congressus *Suenonem* interficit. Anno 58. *VVilliboldus* Corbejæ Abbas obit in Græcia. *Reinoldus* obiit Colonienſis Archiepiscopus mortuo Friderico. Anno 59. *Adrianus* Papa obit. *Henricus* Dux *Leo* instituit in Sclavorum regione Episcopatus *Luybeg*, *Suurin*, *Razesburch*, *Rudenberch*. Monasterium Pigaugiense crematur

Anno MCLX. *Arnoldus* Maguntinus à suis civibus occiditur. *Hinricus* Leo vastat terram Slavorum. Deposuit *Olricum* Episcopum Halberstadensem auxilio Cardinalis ex parte *Victoris* Papæ: cujus electioni Episcopi consentire nunquam voluit. *Gero* substituitur Anti-episcopus Halberstadensis.

denſis. Anno 61. *Brunoni* Hildeshemenſi ſucceſſit *Hermannus*. Anno 62. guerra inter *Henricum* Leonem oritur & principes Saxoniæ, in periculum Saxoniæ annis xv. *Radeboto* abbas Pigaugienſis *Hinrico* abſoluto ſubſtituitur anno Domini 1169. *VValdemarus* Rex Danorum Rugianos ad Chriſti fidem coëgit: ſed Doctorum defectu relapſi ſunt. *Hinricus* filius Imperatoris quinquennis in regem eligitur in *Babenberg*, *Chriſtiano* Moguntino proloquente, MCLXX *Adelbertus* Marchio obiit. Dux *Hinricus* mare tranſiit.

Anno MCLXXII. rex Bohemiæ per *Fridericum* deponitur Zibislao datur. Obiit *Ludevvicus* Epiſcopus Monaſterienſis: *Hermannnus* de *VVincinburg* ſucceſſit. Obiit Brandeburgenſis Epiſcopus *VVillimarus*; ſuccedit *Sifridus* filius Marchionis *Adelberti*. Anno 1177. reconciliantur Papa *Alexander* & Imperator. *Chriſtianus* Moguntinus ob petitionem Imperatoris confirmatur à Papa, cæteris dejectis: *Conradum* inde ejectum conſtituit in Epiſcopum Saltzburgenſem. *Olricum* etiam Halberſtadenſem Epiſcopum reſtituit, *Geronem* removit. Dux *Hinricus* Leo & *Otto* Marchio *Dimin* capiunt. Inter *Hinricum* & *Olricum* lis oritur.

Anuo MCLXXVII. *Alexander* Papa duce *Chriſtiano* Moguntino Romæ honorifice reſtituitur in quadrageſima. Legatos Cæſaris cum muneribus Papa remiſit, & ipſi Imperatori xenia miſit. *Philippus* Colonienſis Epiſcopus usque ad *VVeſeram* omnia vaſtat quæ *Hinrici* Ducis ſunt, nec Eccleſiis parcens. *VVichmannus* Magdeburgenſis & *Everhardus* Mersburgenſis obviã amice venientes eos cohibent. *Olricus* Halberſtadenſis auxilio *Ottonis* Marchionis de Misna iuxta *Boſcofesheym* contra Ducem aciem inſtruxit: ſed *VVichmannus* eos ſedavit. Vrbs tamen combuſta fuit; iterum reædificari cœpta. Comes interim Palatinus de Sommerſkenborg cum militibus Ducis ſupervenit: contra illos Comes de *Anhalt Bernardus* irruit,

it, &c. Signifer Ducis Palatinus fugiens alijs fugæ causam dedit. Ex militibus Ducis plus quam cccc. capti sunt: quidam in palude submersi.

Anno MCLXXIX. Imperator VVormatiæ filios suos hereditate propria & aliorum beneficiis ditavit. *Alexander* Papa *Romæ* concilium habuit generale cum tribus patriarchis, prælatisque usque mille, post pascha. Pace indicta singulos remisit. Imperator Magdeborg curiam tenet festo Baptistæ cum Imperatrice *Beatrice* & filio coronatis. Postea in Nüenborg. Sed Dux *Hinricus* nec hic nec ibi citatus comparuit. Tertiam in Wyne castello *Hinrico* indixit: cumque non venisset *Leo*, contra eum expeditio indicta est. *Olricus* Episcopus Halberstadensis reversus, & honorifice à clero & populo susceptus: *Geronis* ordinata cassavit. Castrum Horneborch ædificat. Sed Imperatore abeunte Dux *Leo* intrat *Halberstad*, cremans omnia. Ecclesias etiam SS. Stephani, Mariæ, Pauli & Johannis ignis voravit. Mille homines, tres Canonici presbyteri &c. qui in sacra loca fugerunt, occisi, spoliati vel capti sunt. Episcopus cum suo *Rumaro* captus abducitur. Væ unum abiit: duo sequuntur. *VVichmannus* Episcopus castrum Ducis Haldensleve obsedit: ad cujus auxilium non tantum nostri principes, sed Episcopus Colonienſis cum duobus Ducibus & octo Comitibus, IIII. millia armati, ad destructionem illius castri convenerunt. Sed heu! ad ultimam desolationem totius Saxoniæ Cœnobium Haldensleve vastatur. Orta inde discordia in exercitu discesserunt vastantes in via obvenientia. Dux illis digressis supervenit, circa *Bodam* fluvium, omnia comburens & vastans, *Calve* curiam Episcopi exussit.

Anno MCLXXX. Imperator *Vlmæ* nativitatem Domini peregit: Olricus & sui capti relaxantur. Conditio tamen, quam

fecit Episcopus captus cum Duce à Papa cassatur & Cæsare. Iterum *Hinricus* curiam in **Wirtzenburch** tenet: *Hinricus* non venit. Reus ergo majestatis adjudicatur, omnisque hæreditas, quam ab Imperatore vel Episcopis tenuit Dux, eidem abjudicatur. Imperator inde **Ingelenheim** curiam tenet in quadragesima, præsentibus Legatis Papæ duobus Cardinalibus. Ibi *Sifridus* transfertur ab episcopatu Brandenburgensi ad Bremensem. *Bernhardo* Comiti, fratri Episcopi ducatus Saxoniæ ex omnium sententia adjudicatur circa orientalem plagam fluminis *VVesera*. Ducatum vero ad occidentalem plagam in *VVestfalia* Episcopus Colonienſis obtinuit. *Lodvvicus* Comes provincialis efficitur loco *Adelberti* de **Sommeriskborch**, qui sine hærede obiit. Expeditio contra Ducem *Hinricum* indicitur. Post Pascha Dux *Goslariæ* folles &c. ejusdem civitatis in Cæsaris injuriam evertit, civibus annonam inferri prohibuit. **Northusen** concremavit: ibi etiam monasterium Sanctimonialium exustum est. Cui occurrunt *Lutvvicus* & *Bernhardus*; sed capti sunt *Lutvvicus* & *Hermannus*; *Bernhardus* fugatus. Dux fugientes Thuringos usque in **Molhusen** persecutus est, omnia devastans. Imperator tenet curiam *Ratisponæ*, festo Baptistæ. Ibi *Hinricus* Leo privatur Ducatu Bavariæ. Castrum Ducis **Lichtenberg** capitur. *Olricus* Halberstadensis Episcopus obiit: *Tidericus* successit. Imperator apud **Werle** omnes fautores Ducis ab eo discedere mandat, & nisi ad gratiam Imperatoris ante Martini redeant, ipsi & filii eorum jure hæreditario abjudicarentur. **Hartzborg** & **Biscofichen** construxit Imperator ad oppressionem Ducis: venien que **Aldenburg** adjudicavit ducatum Bavariæ *Ottoni* ante Palatino de **Wiclingesbach**. Vrbes Ducis traduntur & Cæsari, **Heimenburg**/ **Lawenburg**/ **Regenstein** &c. Dux obsedit **Sigheberch** urbem Adolfi Comitis, doloque cepit contra

tra juramentum. Imperatori traduntur Goslariæ posito, **Hartesberg / Scopenberc Scultberc** / urbes Ducis egregiæ: multique nobiles prius Ducis fautores, tradiderunt se Imperatori; scilicet Comites de **Waltenrath** / de *Scartfeld*, de **Hilfeld**; & in gratiam suscipiuntur. *Razamarus*, Princeps Sclavorum subito interiit.

Anno Domini MCLXXXI. obiit *Radeboto* Pigaugiensis Abbas: cui successit *Ekelinus Mirabilis* prior ibidem. *VVicmannus* Magdeburgensis iterum obsedit **Haldesleve** castrum Ducis mirabili arte opprimens: & tandē cepit & Magdeburgensibus traditum destruxit. *Thidericus* Episcopus Halberstadensis obsedit **Blankenborch** in quadragesima: quæ sola manserat Duci fidem servans Leoni, Colonienſis *Philippus* destinatur ab Imperatore juxta **Brunswyk** ne qua fieret excursio à militibus Ducis. Imperator **Bartwic**, perrexit. *Hinricus* Dux in **Ertineborg** cognito adventu Cæsaris, destitutus à suis, incendit castrum, & navigio evasit. Omnes urbes ejus Imperatori panduntur. Ducissa quæ in **Lüneborg** remanserat, & eandem urbem dotem suam esse asseruit, eam sibi annuente Imperatore libenter conservat. Imperator movit exercitium in **Lübek** / occurrente illi in pace rege Danorum & Ducibus Slavorum: Omniaque obtinuit celeriter quæ in illis partibus Ducis fuerant, & victor rediit.

Anno Domini MCLXXXII. Omnes principes regni Teutonici pacem se servaturos jurabant. *Hinricus* Dux de **Brunswyk**, qui *Leo* vocabatur, sicut juraverat egressus Saxonia ad socerum suum regem Angliæ divertit. Hic, dum abesset Cæsar, intravit Thuringiam, cremavitque **Molhusen & Northusen**. Langravius Thuringiæ *Ludvvicus*, & frater ejus *Hermannus*, cum cæteris, quos Imperator Goslariæ reliquerat, bello inito contra Ducem, victi sunt & capti. Audiens hoc *Fridericus* Imperator, grandi exercitu terram Ducis funditus

ditus vastat, cremat. Lübek oppugnat civitatem. Deinde Dux gratiam Imperatoris promeruit. Inde secuta est curia, qua major nunquam fuit, in Thuringia. De isto *Hinrico Leone*, Duce Brunsuicensi vide in Chronica Sclavica & in Teutonica. Multa fecit bona: multa mala.

Anno Domini MCLXXXIII. obiit *Ekelinus* Abbas Pigaugiensis, *Rudolfus* successit. Anno 1184. obiit *Adelheidis* Abbatissa in *Gandersem* & *Quedelingborg*: *Agnes* soror *Ottonis* Marchionis de *Misna*, de *Gerpstad* sumta eligitur in locum ejus. Imperator Moguntiæ Pentecosten celebravit cum regina & cunctis principibus. Duos ibi filios suos gladio accinxit. Ibi Dux *Hinricus* nullam gratiam impetravit.

Anno MCLXXXV. Abbas *Rudolfus* Pigaugiensis obiit: successit Dominus *Sifridus*. Anno 86. translatio S. Ottonis facta est, in qua Abbas Sifridus interfuit, & inde reliquias S. Ottonis attulit, eique Ecclesiam construxit. Discordia inter ipsum & Episcopum Mersburgensem orta est, qui ecclesiam sibi subjectam affirmabat. Abbas ad Apostolicam sedem appellabat. &c. Anno 87. obiit *Vdo* Nüenburgensis Episcopus; *Bertoldus* succedit. Imperatrix obit. Schisma oritur inter Papam & Cæsarem. *Ierusalem* capitur à Saracenis, & Christianorum ultra quinquaginta millia pugnatorum occisa. Ierusalem autem superna à suis hic civibus occisis pie credentibus possessa est.

Anno Domini MCLXXXVII. Consecratum est monasterium (*Puto Pigavv*) à *Hugone* Cardinali Hostiensi. Interim Episcopo & Abbate litigantibus, Abbas ad curiam accedens, quædam privilegia *Paschalis* mutari per *Cœlestinum* nunc Papam obtinuit; & ecclesiam S. Laurentii, in qua jus Episcopus exercuit, Papa exemit ab omni jure Episcopi. Sit autem Abbatis & monasterii, nec contra eorum voluntatem Episcopus juris quippiam exerceat. Eccleſia etiam S. Ottonis

exemta

exemta fuit ab omni jurisdictione episcopali. *Vrbanus* obit *Gregorius* obit 88. *Clemens* mandat ulciſci Ieruſalem.

Anno MCLXXXIX. Imperatore *Nurenberch* exiſtende, niſi ad eum legati à rege Græcorum, à Soldano, & rege Arabum. Sed dolus patuit ſubinde. *Otto* Miſnenſis Marchio à filio ſuo *Adelberto* capitur. Hic erat filius *Conradi* Marchionis de *Vvittin* & poſt de *Misna* & *Luzane*: fundatoris *Montisſereni*, monaſterii S. Petri. Poſtea relaxatus: cum compoſitio pacis ſibi non placeret, bellum filio indixit. Hinc rapinæ & incendia. Oppida **Iſenberg**/ **Libitz** & alia læſa. Interim Dux Bohemiæ *Otto* nomine, qui de **Mererin** transpoſitus fuerat, *Miſnam* venit, depopulatur regionem; theſaurum Marchionis ultra XXX. millia marcarum tulit, & rogatus abceſſit. *Henricus* rex curiam habet in **Wirtzenborg**. Ibi *Otto* & filius ejus reconciliati ſunt poſt damna plurima. Idem *Henricus* filius Cæſaris curiam in **Mersburg** habuit. Ibi expeditio indicitur contra *Hinricum* Ducem Leonem, & contra **Brunſwik**, pro querimonia *Bernhardi* Ducis. Convenerunt in Saxonia prope **Hornebog**/ omnia circa **Brunſwik** devaſtabant iterum conventuri.

Anno Domini MCLXXXX. Imperator *Fridericus* in Græcia fuit. *Henricus* filius ejus à *Cæleſtino* coronatur. Tertio anno regnum *Siciliæ* cepit; *Neapolin* obſedit, &c. Regnum *Apuliæ* ſibi ſubjugat *Hinricus* anno 94. *Albertus* Miſnenſis obit. *Cæleſtinus* Papa obit, 96. *Innocentius* tertius ſuccedit. Anno 1198. *Tidericus* Marchio Miſnenſis, avus *Diderici* ultimi, reverſus de *Ieruſalem*, recuperat hæreditatem paternam adjutorio ſoceri, & poſſedit ipſam annis XVII. Diſſenſio orta inter Electores: una pars elegit *Ottonem* filium *Henrici Leonis*: alia pars *Philippum*. Per IX. annos fit de regno contentio. *Philippo*, quia Dux, *Suevia* favebat. Sed Papæ diſplicuit,

quia *Hinricus* frater contra Ecclesiam fuerat. *Ottoni* favebat *Innocentius*, & ipsum coronari fecit *Aqrisgrani* in regem Almaniæ, etiam *Philippo* renitente; quem etiam excommunicavit Papa. Anno Domini 1209 *Otto* fuit coronatus Romæ à Papa in basilica Petri. Sed quia intrarat *Apuliam*, auferens regnum *Siciliæ* *Friderico*, Papa excommunicat Ottonem. Anno Domini MCCXII. *Fridericus* eligitur contra *Ottonem* Cæsar. Qui Romam veniens ab *Innocentio* & populo honorifice est susceptus. Dein in Almaniam veniens contra *Ottonem* triumphat.

***



EVNDA-

FVNDATIONES QVORVNDAM GERMANIÆ MONASTERIORVM, collectæ quondam per Monachum Benedictinum sed anonymum.

FVNDATIO MONASTERII WISSENBVRGENSIS PER DAGOBERTVM FRANCORVM REGEM.

DAGOBERTVS divina favente clementia Francorum Rex, omnibus regni sui primatibus, imo cunctis fidem Christianam profitentibus, tam futuris, quam præsentibus. Votum quo Deo vel Sanctis ejus se quis obligaverit, sine macula reatus irritum fieri non poterit, & quanto major & dignior est is, cui vovetur, eo ferietur graviore judicio voventis & non reddentis præsumtio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere, quod vovimus Domino Deo terribili, & ei qui aufert spiritus Principum apud omnes Reges terræ. Qui qualiter in brachio suæ virtutis terruerit & qualiter percutiens & sanans rursus nos visitaverit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri duximus; præcipue, ut quisque fidelis audito nostro periculo ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primum ergo de divina super nos habita terribiliter examinatione, postea de voto & voti nostri redditione breviter exponemus. Patre meo *Clotario* felicis memoriæ defuncto patrii

patrii regni curam suscepi; sed vivendi ductus levitate, dominandique cupiditate distractus, regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens commissis solicitudinis, vel diligentiæ nihil faciens, vel judicans mansuetudinis aut Zelo justitiæ. Inter alios excessus meos Ecclesiarum Dei destructor & dissipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse debueram, nec divinæ majestatis oculos, nec hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virga correptionis iniquitates meas visitavit, & castigato mihi veniam non negavit. Nam raptus in sublime, divinæque majestati inter choros Sanctorum in habitu judicantis sedenti præsentatus à sanctissimis Ecclasiarum Patronis pro rebus Ecclesiasticis per rapinam destructis à me & consumtis, graviter & constanter sum accusatus, maximè à sanctissima Dei genitrice *Maria*, & beatissimis *Petro* & *Paulo* Apostolorum Principibus. Cumque conscientia gravatus non auderem delicta defendere, occurrit mihi tandem specialis patronus meus martyr Dionysius, qui precibus suis & instantis pœnæ dilationem & pœnitentiæ mihi tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei & SS. prædictorum, quos magis offenderam, domum divinis apertam servitiis extruerem. Qua permissione lætatus, libens vovi, dimissusq; à superis redii. Igitur sub certa spe remissionis & indulgentiæ peccatorum nostrorum reddentes alacri studio votum quod fecimus, Ecclesiam in honorem S. *Trinitatis*, & S. *Mariæ* perpetuæ virginis, & SS. Apostolorum *Petri* & *Pauli* in loco, qui dicitur WISSENBVRG, construximus, quam sublimare & regali munificentia ditare decrevimus. Donamus ergo & in perpetuũ datum esse volumus de rebus fisci nostri illic adjacentibus, quicquid ad nos spectat, tam in villis,

lis, quã mancipiis, vineis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve diſcurſibus, & omnia hæc in uſu fratrum ibidem ſub monaſtica profeſſione Deo ſervientium libera traditione redigimus. Et ut hujus noſtræ donationis auctoritas in omne tempus perſeveret ſtabilis & firma, terminos & circumjacentium nomina locorum ſubnotare curavimus. Verſus orientalẽ plagã extenditur *Marcha*, quam tradidimus uſq; ad *Morchohoven*, & ad *Aldenherden*, & inde ad *oboldeſvvege*, & inde ſubter vadum **Lutre**, & inde ad *Guozdigenhurſt*, & inde ad limitem, qui ſtat in ſummitate vallis *Iuvenesdal*, & inde ducit ad meridianam plagam ſuper **Marsbach**, & inde ad *Bodemloſestapha*, & inde ad **Sebach**, & inde ad **Kirchdale**/ & inde ad **Ingoldesczahe**/ & inde ad ſilvoſos montes usque **Bedebur**; Ad occidentalem vero plagam uſque **Lutenbach**/ & **Berenbach**/ & inde ad **Erlebach**/ & inde ad **Grünenbrunen**/ & inde ad **Otterichesſcheit**; ad Septentrionalem plagam usque ad **Lichenerenberch**. Locum autem ipſum, quem ſingulari amplectimur amore, nunc & deinceps ab omni ſervitutis oppreſſione liberum ſub regali volumus eſſe tuitione; ita videlicet, quod nullus publicus judex, nullus ex judiciaria poteſtate, quicquam poteſtatis, vel negotii in ipſa *Marcha* ſine patris monaſterii licentia exercere, vel habere, præſumat: nec homines ipſius loci vel conſtringere, vel ad cauſas audiendas aut freda aut tributa ſolvenda, poſtremo nihil penitus ab eis audeat exigere. Illud etiam pari decrevimus auctoritate, ut nullus Pontificum *Nemetenſis* civitatis vel reliquorum Epiſcoporum aliquam damnandi ibidem, vel quaslibet cauſas agendi habeat poteſtatem; ſed ſub noſtræ emunitatis defenſione omnia illuc pertinentia Pater monaſterii cum fratribus ſuis libere & quiete poſſideat. Adhæc monetam habentem in ſe imagines & literas, expreſſamque ſimilitudinem Nemetenſis monetæ

metæ eidem loco concedimus, parique noſtræ auctoritatis donatione ratun & firmum eſſe volumus, ut homines ejusdem Eccleſiæ per omnes fines regni noſtri libere negotiis ſuis inſerviant; ita videlicet, ut nulli debitum telonii perſolvant, & nullus judex ſeu quælibet cujuscunque ordinis perſona, in hujus modi cauſa violentiam eis aliquam inferre præſumat. Fratribus autem ibidem Deo ſervientibus, ut eo devotius & tranquillius ſanctæ converſationis ordinem cuſtodiant, liberam inter ſe eligendi ſibi Abbatem donavimus poteſtatem; cui Abbati, omnibusque ſibi ſuccedentibus, hoc ſpeciale concedimus privilegium dignitatis, ut in ordinem & jus poſſit promovere Miniſterialium, quemcunque de familia tali honore dignum judicaverit. Omnes etiam miniſteriales ejusdem Eccleſiæ ex Domino Abbate accipiant beneficium, ſolique Abbati ſerviant, nec aliquam poteſtatem ſuper eos Advocatus exercere audeat, niſi forte ex aliqua inobedientia, quaſi rebelles, illos Miniſteriales conſtringendos Abbas Advocatum invitet. Reliqua vero familia legitimo loco & tempore ter in anno pro juſtitia facienda ad placitum Advocati debet convenire, & in provicium Advocati, ſi præſens eſt, ſinguli ſingulos denarios ſolvere, exceptis his, qui ſunt in emunitate. Quod ſi in his placitis abſens fuerit Advocatus nihil ei ex his denariis debetur, niſi in ſervitio Regis eſſe probetur. Vt autem hæc noſtra traditio, & juris, & conceſſæ dignitatis inſtitutio, ſtabilis & inconvulſa jugiter permaneat, chartam hanc inde conſcriptam adjectione ſigilli noſtri roboratam ſignavimus. Quod fecimus in ipſo monaſterio menſe Majo die XI. anno regni noſtri XXIII. in Chriſti nomine feliciter AMEN. Anno Domini DCXXIIII.

FVN-

FVNDATIO S. PETRI IN ERPHVRDIA.

EGratia Sanctæ & individuæ Trinitatis Ego *Dagobertus* Francorum Rex notum facio, tam clero quam populo, tam Christianis quam paganis, quod urbem nostram **Merwigesburg**/ quæ nobis hæreditario jure ab ipso avo nostro *Mervvigo*, fundatore videlicet ejusdem urbis in *Thuringia* ob venerat, S. *Petro* & suis Monachis Deo inibi servientibus, à quo & ipse mons post fundationem monasterii, quod in honorē præfati Apostoli construxi, vocabulū sumsit, deleto paganico prius nomine avi nostri, S. *Petri* mons vocitatus, cum omnibus servitiis suis post finē meam possidendā regali potentia dedimus. Quali autem id Dei ordinatione factum sit, indicabimus. Fuit in præfata urbe juxta Ecclesiam S. *Basilii* martyris homo Dei nomine *Adeodatus*, rogatu meo à Mogontino Epicopo *Rigiberto* incluſus. Qui incluſus ob periculum animæ nolens uti communione clericorum uxoribus & armis utentibus, sæpe me rogavit, ut de aliquo meo monachum claustro à quo divinum officium & verbum veræ fidei audiret, & communionem sacri mysterii perciperet, sibi evocarem. Hujus ego ob intimam familiaritatem petitioni annuens, misi ad monasterium monachorum, quod simili modo construxi in **Selsenburge**/ & venerabilem seniorem monachum nomine *Truckindum* inde evocans præfato *Adeodato* incluſo doctorem & rectorem direxi. Qui eo perveniens, cœpit paulatim ex ejus doctrina, & suasione incluſi numerus credentium multiplicari, tum conversione paganorum ad baptismum, tum clericorum & laicorum ad monachicum habitum. Hoc ego cernens & divinum in hoc favorem intelligens, tradidi sæpe dictam urbem meam cum

omnibus sibi pertinentibus, S. *Petro* & suis monachis, ibidem monachicam religionem statuendam & Abbatiam meo auxilio faciendam. Dedi præterea S. *Petro* & suis monachis ad usus diversos silvam, quam ab numero ferarum cervorum **Hirsbrulis** vocant, à meridiana plaga urbis versus orientem, usque ad terminos regionis **Orlaw**, quam regionem *Pipinno* Palatino Comiti in beneficium tradidi. Dedi nihilominus ad supradictum cœnobium villas à Sclavis in eadem silva factas, scilicet **Tunecdorpff Tugebrachtestet / Tuttelstet / Neukenrod / Hochdorpff** / & alias plures, & aquam *Geram* ad captumpiscium monachis, à meridiana parte urbis usque ad terminum curiæ ministerialis mei *Gisboti*. Dedi etiam de curia mea ad usus fratrum C. modios tritici, C. ordei, & totidem avenæ, & cætera omnia mea in *Thuringia*. Ad hunc mihi dilectum locum continendum dedi ministeriales meos, cum omni eorum sobole & possessione, quorum hæc sunt nomina, *Gisbotum*, *Gilbertum*, *Eckehardum*, *VVolffholdum*, **Hisen / Egenen / Wolgisur** / *Omarum*, *Sigibertum*, *Theodbertum*, *Theodoricum*, *Adelbotum*, *Adelgolfum*, *Gelfcatum*, *Infridum*, *Hunzelinum*, *Guntterinum*, & cæteros omnes famulos meos & famulas in Thuringia. Vt hæc traditio Domino meo Iesu æternaliter firma maneat, literis nostris stabiliri fecimus, & banno *Rigiberti* Episcopi Mogontini confirmari rogavimus, & annulo nostro colligavimus, & sigillo nostro adhibito complevimus. Acta *Mogontiæ*, Kalendis Martii, in præsentia *Rigiberti* Episcopi. Signum invictissimi Regis *Dagoberti* Francorum.

Testes omnium harum causarum sunt hi: *Pipinnus* Major domus, & filius ejus *Karolus*, Mogontinus Episcopus *Rigibertus*, *Guntterinus* paganus Comes, *Ekebi* Comes, & omnis Ecclesia in *Thuringia* & circa *Renum* in *Mogontia* Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis DCCVI. Indictione IX.

S. BLA-

S. BLASII monasterium erectum est á *Reginberto* Barone de *Feldenberen*, tempore *Ottonis* III. Anno Domini MXLVI. & fuerunt solum *Heremitæ*: sed per mineralia ditati erexerunt Abbatiam. Abbas *Georgius*, qui modo præest, in numero Abbatum est vicesimus sextus.

Monasterium S. TRVTPERTI in *Brisogia* fundatur per *Otpertum* Comitem de *Habspurg* & Landgravium *Alsatiæ* tempore *Gregorii* Magni, anno videlicet Dominicæ nativitatis DCVIII.

Monasterium OTTENBVREN à *Svevo* Duce fundatur *Tutone* Canonico Viennensi, cujus pater *Sylachus* dictus est; anno Domini DCCLXIIII.

Cœnobium S. PETRI in NIGRA SILVA fundatur à *Berchtoldo* secundo Duce *Zaringiæ*, Anno Domini MXCIII. & habuit ibi sepulturam communem, demto *Berchtoldo* III. constructore civitatis *Friburgensis*, qui jacet in domo Capituli: qui fuit vir prudens & bellicosissimus.

Cœnobium DE VINEIS, i. e. **Weingarten**, in monte S. *Martini* fundatur per *Gvelphonem* tertium, Comitem in *Altdorff* & Ducem *Noricorum*; & monachi, qui prius fuerunt ab **Altenmönster** tralati ad **Altdorff**, sunt ad montem S. *Martini* translati.

ALPERSPACH monasterium fundatur anno Domini MCLV. à tribus Comitibus, de **Zolrn**, **Sulcz** & **Husen**; quorum primus ordinem monasticum ingressus, Abbasque primus factus, & dictus *Albertus* inde & à quo dictum & vocitatum est monasterium *Albertispachium*.

Monasterium MORBACH fundavit Dux *Eberhardus* anno Domini DCCCXXXI. Accepit autem monachos ex *Augia* majori.

Monasterium CÆSARIENSE, id est, **Kayserßheim**, fundatur ab *Henrico* Comite in **Lechsgmind**, anno Domini MCXXXIIII. Nunc præest Abbas *Conradus*, in numero Abba-

tum vicesimus quartus. Sepulturam habent in isto cœnobio Domini de Helffenstein/ Hiffen / Graispach/ & Marscalci de Bappenheim; Reise.sheim nuncupatur, non Perg.

Cœnobium TRVTENHVSEN Canonicorum Regularium de observantia, in diœcesi Argentinensi, situm in pede montis S. *Ottiliæ*, reformatum, ut dixi, de capitulo *VVindemensi*; fundatum est à veneranda *Herranda* Abbatissa *Hoënburgensis* Ecclesiæ, montis videlicet S. *Ottiliæ*, anno Domini MCLXXXI. Monasterium certe admodum insigne & amœnissimum, in quo cum Dei cultu & regulari disciplina maxima viget hospitalitas & humanitas.

REBDORF monasterium Canonicorum etiam regularium de observantia unione & capitulo *VVindemensi*, fundavit *Fridericus* I. cognomento Barbarossa Anno Domini MC...

Monasterium S. GEORGII in *Nigra silva* fundatur à Comite *Hetzelone* in allodio proprio, ubi tandem monachus factus fuit. Erat autem prius Advocatus in *Augia* majori. A.D. MLXXXVIII.

Cœnobium Zwifalten, quod communiter Latine AD DVPLICES AQVAS appellatur, instituitur per Abbatem Hirsaugiensem *VVilhelmum*, virum sanctum, anno Dominicæ nativitatis MXCI.

PETRI DOMVS, vulgo Peterhusen, prope *Constantiam* fundat S. *Gebhardus* Episcopus Constantiensis, natus Comes Brigantius, Anno Domini DCCCCLXXX.

EBERBACH fundatur anno Domini MCXXVI.

LORCH fundatur per *Fridericum* Seniorem Ducem Sueviæ.

KEMPTEN monasterium fundavit *Hildegart* illustris femina, in quo & tumulata quiescit. Primus Abbas S. *Andegarius*

frater *Kolandi* fuit. Hæc vera sunt omnino & solida.

Anno Domini MCXXXIII. *Diepoldus* Marchio Vorburg/ dedit monachis Cistercienſis Ordinis in Waldſachſen aream, in qua constructum est monasterium eorum, & de silva, quantum ipsi fratres per unum diem poterant in circuitu perlustrare. Vnde ipse est fundator eorum. Hocce monasterium tempore belli Bojoarici furens edaxque flamma voravit, eo videlicet tempore funesto, quo & Lympurg igne arsit. Nunc reparatur.

Anno Domini MCCLVI. *Ludvvicus* Dux Bojoariæ, Comesque Palatinus Dominam *Mariam* conjugem suam, sororem Ducis Brabantiæ, in Werd Sueviæ decollari fecit. Miserat equidem ipsa binas literas, unas Duci, qui tunc in partibus Rheni erat, alteras *Henrico* Comiti Hirsuto; quæ ex errore marito præsentatæ fuerant. Pro emenda vero conjugis occisæ, Abbatia in Furſtenfeld ab eo constructur & fundatur.

Adelbertus filius sororis *Henrici*, primi hujus vocabuli regis, patris *Ottonis Magni*, matrem habebat *Babam* nomine, à qua *Babenberg* castellum ejus nominatum est. Hinc dictus est *Albertus* ille, vir fortis & strenuus, *Comes Babenbergenſis*. Fundator extitit monasterii *Tharis*, nostri ordinis in diœcesi Herbipolensi, ubi & sepultus quiescit. Hunc *Adelbertum* proditorie blandis verbis eductum & seductum *Hatto* Episcopus Moguntinensis in manus Imperatoris *Ludovici* dedit, qui & ipsum *Albertum* decollari fecit. Ego de illo Imperatore à certo nomine dubito mirorque: nam ratio temporis aliquem *Ludvvicum* Imperatorem tum fuisse, non admittit. Scripsi quemadmodum reperi in exemplari.

Monasterium Ordinis fratrum Cistercienſis, quod Jorgenthal/ ie. *Vallis Georgii* nuncupatur, prope nemus

Thüringiæ, Comites fundaverunt dè **Kaffernberg**, anno Domini MCXLII. Horum Comitum ſtirps prorſus aruit & deſiit.

Anno Domini MCLXIIII. fundatum eſt monaſterium monialium noſtri ordinis prope *Erphordiam*, per Generoſos Comites de **Grunpeche**: Cœnobium **Ichterhuſen** dicitur.

FVNDATIO MONASTERII CELLÆ PAVLINÆ.

PAulina nobiliſſima & devotiſſima femina, imo & vitæ ſanctimonia præclariſſima, quæ etiam angelo nunciante concepta legitur. Hæc in omni virtutum flore & Dei amore proficiens, ter in vita perſonaliter *Romam* petiit, & Apoſtolorum limina devotiſſime adiit, viſitavitque: ibique à ſummo Pontifice *Paſchali* confirmationem monaſterii ſui *Cellæ Paulinæ*, quod in *Thuringiæ* ſaltu fundaverat, impetravit. Bulla papalis, quam vide, data eſt anno Domini MCXIIII. VII. Kal. Septembris. Indictione octava.

ANNO, Archiepiſcopus III. Colonienſis, qui claruit anno Domini MLVI. ille Canonicos expulit & ejecit ex Eccleſia SALFELDENSI & in eam locavit & introduxit Ordinis D. *Benedicti* monachos, integritate vitæ ac regulari diſciplina probatiſſimos. Ego omnino anceps ſum de *Annone* illo tertio, cum *Anno* ſecundus fuerit in humanis temporibus *Henrici* III. & *Henrici* IV. Sit qualitercunque, *Anno* dictus eſt ille Archiepiſcopus qui in *Salfeld* monachos locavit certiſſime, ut liquet ex imagine ipſius, quæ ſaxea, in ſummo marmorea, & vetuſto ſchemate ſculpta, & in ſanctuario parieti infixa, &c. ſuper quam nomen *Annonis* ſcriptum viſitur.

DE

DE ANDECHS.

Temporibus *Adriani* Papæ hujus nominis I. *Desiderius* Rex Longobardorum perturbavit Ecclesiam Romanam, contra quem *Carolus Magnus* rogatu Papæ processit, belloque vicit. Hujus *Desiderii* filiam habuit uxorem TASSILO dux potens Bavariæ ideo & ipsum socerum suum *Desiderium* Regē juvit cum *Hunis* & aliis infidelibus contra *Carolum*. Vide inter hæc *Distinct.* LXIII. c. *Adrianus*. Porro *Carolus* capto *Desiderio* *Thassilonem* Ducem Bavariæ consanguineum suum (ni fallor patruus *Caroli* erat) privavit ducatu & intrusit eum ad monasterium inferioris *Altach*, una cum filio suo, quod ipse cum patre suo seniore *Thassilone* fundaverat: proinde *Carolus* Magnus *Pipinio* filio suo commisit Ducatum Bavariæ, &c. Ex illo Pipino orta est stirps illa nobilis & vetus Comitum & Principum de *Andechs*, quorum castrum fuit inexpugnabile, ubi nunc est monasterium nostri ordinis dictum *Andechs*, sive MONS SANCTVS, vulgo **der Heiligeberg.** Ex dicta progenie sancti & viri & mulieres complures per successum temporis exorti sunt & nati, quorum præstantiores sunt: *Conradus* Episcopus Constantiensis, S. *Henricus* Cæsar Babenbergensis, S. *Elisabet* Lantgravia Düringiæ, *Hedvvigis* sancta, matertera S. *Elisabeth*: *Mechtildis* Abbatissa in *Ottelsteten*: S. *Otto* Episcopus Babenbergensis, *Arnulfus* Imperator, *Eufemia* Abbatissa in **Altenmünster**, *Rasso* &c. Hæc ex Topographia *Montis Sancti* transscripsi.

FVNDATIO MONASTERII ALTHE.

ANno Domini DCCXLI. Pontificatus *Zachariæ* Papæ sexto, monasterium ALTHE inferioris ex consilio S. *Pirminii* Meldensis Episcopi, ab *Otilone* Duce, in honore S. *Mau-*

Mauritii, sub monachica professione construitur. In hoc monasterio S. *Godehardus* Episcopus Hildesheimensis est factus monachus, qui ex familia istius Ecclesiæ natus & ibi nutritus ac sacris literis imbutus. Vide latius in Legenda ipsius.

In eadem Chronica sic continetur: Anno Domini MCXXIII. fundatum est monasterium ALTACH superius, tempore *Honorii* PP. II. & libertati traditur à *Friderico* Ratisbonensis Ecclesiæ Advocato, de consensu conjugis suæ & filiorum.

In alia Chronica, quæ habetur Ratisponæ ad S. Emmeranum, ita habetur: Thassilo Dux Bavariæ, filius *Otilonis* & *Hillerudis*, quæ fuit soror *Pipini* Regis, patris *Caroli Magni.* Fuit autem *Otilo* primum Rex, postea vero Bavaria in provinciam redacta Dux, & fundavit monasterium Inferioris *Altach. Thassilo* prædictus filius *Otilonis*, monasterio inferioris *Althe* plura prædia dedit: item *Pataviam* civitatem Bavariæ renovat & instaurat, & Episcopatus sedem, quæ apud *Laureacum*, prius quam ab Hunis everteretur, fuerat, inibi instituit. Denique in Choro monasterii in **Weltenburg** subscripti rithmi habentur:

Thassilo Dux Bavariæ,
Fundator hujus Ecclesiæ,
Sex struxit in Bavaria,
Thassilo monasteria.
VVeltenburg, Lorsheim, Cremmonster,
VVessenprun & Pfaffenmünster.

Item fundavit monasterium *Matze* in honore S. *Michaëlis* Archangeli. Item **Mansee** quoque monasterium construxit, & **Ensdorff.** De fundationibus monasteriorum ab *Otilone* & *Thassilone* grandis est diversitas, & potissimum de duobus ALTHA. Ego in dictis monasteriis non fui, sed quæ posui transcripsi ex quadam collecta Croniculain *Ratis-*

pona

pona ad S. *Emeranum*. Quare & ego vehementer dubito de dictis, quoniam topographias & originales dictorum non vidi cœnobiorum. Quin imo & nomina confusa sunt & transpoſita, ut plerumque filius ponatur pro patre, & pater pro filio; videlicet *Thaſſilo* pro *Otilone*, & è diverſo.

Sane & alio quodam in libro ſic exaratum comperi: Otilo prius Rex, poſt, *Bavaria* in provinciam redacta, Dux, *Altha* monaſterium fundavit ex ſuo allodio, & ſepultus eſt cum uxore ſua in **Oſterhoven**, quod nobiliſſimum monaſterium ſub regula S. *Benedicti* egregie ſatis Dux ipſe conſtruxerat. Legi etiam ut ſupra, quod filius ipſius *Thaſſilo* Dei amore ſeculum reliquerit, & monaſterium **Lorsheim** intraverit, & in eodem religioſiſſime vixerit, & tandem beate obierit. Legitur nihilo tamen minus & aliter in quibusdam Chronicis, & *Lupoldus* ſimiliter refert in Epitomate de rebus Germanorum veterum quod *Thaſſilo* ob rebellionem & inobedientiam ab *Carolo Magno* una cum filio ſuo *Theodone* in monaſterium truſus ſit & in monachum tonſoratus, & hoc ex gratia, alioqui mortis ſententiam non evaſiſſet. Cæterum & hanc dubitationem auget, quoniam non unus tantum, verum plures, & ad minus *duo Thaſſilones* fuerunt.

FVNDATIO MONASTERII MONTIS S. PETRI PROPE **Roſenheim.**

ANno Domini MCVII. *Bertholdus* nobilis Comes de *Purgeck* & *Otto* Iunior Comes de *Scheurn*, qui caſtrum habuerunt dictum quondam **Glanck** / nunc **Oſenhoffen** / vel *Mons S. Petri*, cui caſtro renunciantes Monaſterium in honore S. *Petri* conſtruxerunt & fratres de **Oſpachaw** ibidem collocaverunt.

FVNDATIO MONASTERII BENEDICTEN PVEM.

ANno Domini DCCXL, indictione VIII. ſub *Zacharia* Papa, tempore quo S. *Bonifacius in Francia, Friſia, Auſtraſia, Bavaria* fidem Chriſti ſeminabat, cum jam jam Eccleſiæ & monaſteria in *Bavaria* conſurgerent, in loco & in ſolitudine invia condiderunt & fundaverunt primum monaſterium, dictum **Benedictenburn**/ tres fratres viri clariſſimi, **Latfried / Waldam / Ellant** / tam virtutum quam divitiarum inclyti primates regni, & regis *Caroli*, patris *Carolomanni* & *Pipini*, conſobrini.

Anno Domini MCXLVII. & circa illud tempus *VVelpho* Dux Bavariæ ſenior complura fundavit monaſteria, videlicet **Raitenpuch / Aldorff** / quod modo **Weingarten** vocatur, **Altenmünſter**, & Eccleſiam *Racenſem*; & his peractis *Hieroſolymam* verſus proficiſci cœpit, III. Kal. Aprilis.

Anno Domini DCCCCLXXVI. Dominus *Gero* Colonienſis Archiantiſtes conſtruxit GLADEBACENSE cœnobium, quod ſitum eſt in diœceſi *Colonienſi*, ſed in dominio & terra *Iuliacenſi*: & viget ſub *unione Burſveldiana*.

CAMPIDONE monaſterium conſtruitur per *Andegarium* qui etiam Abbas effectus eſt ibi, Anno Domini DCCLII.

OPHO Angliæ Rex, avus maternus S. *VVilliboldi*, primi Epiſcopi *Eichſtetenſis*, monaſterium fundavit SCHVTTERENSE in *Mortnavia*, unde usque hodie dicitur OPHONIS CELLA. Anno Domini DCCXVII.

BVCHAVGIENSE cœnobium fundatur à nobili Comitiſſa *Adalinda*, uxore *Hattonis*, cujus tres filii nequiter occiſi, in eodem monaſterio conſepeliuntur, ſcilicet **Beringer / Regrimof** / & *Gerardt*. Anno Domini DCCCCII.

AVGESNOVEN fundatur à *Bernhero* Comite de **Haſpurg** & Domino in **Ortenberg**, anno Domini .....

SCHAF-

SCHAFHVSEN monasterium *Omnium Sanctorum*, fundatur per Comitem *Gebehardum* de Nellenburg. anno .....

Monasterium REICHENBACH fundavit *Diepoldus* Marchio, dictus de Vechpurg / ad petitionem matris suæ *Luckardis*, & uxoris *Adelheydis*, temporibus *Henrici* Imperatoris quarti.

ETALL cœnobium fundatur per *Ludvvicum* Imperatorem quartum, & ponitur per eum primus lapis, Anno Domini MCCCXXX, in die Vitalis martyris. Primus Abbas *Fridericus* Henrichreüter sumtus ex Reichenbach.

VISPACH cœnobium monialium fundatur per *Haikam*, filiam regis *Arragoniæ* viduam, & relictam *Ottonis* Comitis de Scheürn / anno Domini millesimo, septuagesimo septimo.

HIRSAW fundatur ab *Henrico* IV. Imperatore, genero *Conradi* Imperatoris, in loco nativitatis suæ, in *Hircinia* silva, *Tempe cervorum*, anno Domini MIII.

Monasterium ETTENMVNSTER fundatur ab *Higerno* Episcopo Argentinensi. Alii dicunt ab *Ethone*, qui primus fuit Abbas in *Augia* majori, etiam condidit Ettenheim. Anno Domini DCCXXXIII.

Circa annos Domini DCLXX. in partibus Noricorum erant duo fratres, *Albertus* & *Ockarius*, ex patre *Burgundi*, ex matre *Bavari*, divitiis præpollentes, Deumque timentes, consanguinitatis affinitate proximi *Pipino* Regi, patri *Caroli* Magni, fundaverunt Monasterium Tegernsee nostri ordinis; *Albertus* novem comitatus in Bavaria possedit; *Ockarius* ducatum tenuit in Burgundia.

Anno Domini DCCCL. *Rathardus* presbyter & Dei famulus apud Pienſee / quod obſonitum aquæ ibi decurrentis nomen accepit, monasterium S. *Georgii* martyris construxit, ibique Canonicos regulares, &c.

Anno Domini DCCCCXXXIIII. *Eberhardus* Comes præpotentissimus, fraterque ejus *Adelhero* in castro EBERSBERG monasterium Canonicorum regularium fundarunt. Postea tamen *Vdalricus* filius dicti Comitis Adelheronis ordinem regularium Canonicorum in monachos nostri ordinis commutavit.

Anno Domini DCCCCXCVII. *Gebehardus* primus hujus nominis Episcopus Ratisponensis præficitur. Hic in territorio urbis Ratisbonensis quendam locum **Pruel** dictum, monachicæ vitæ aptum elegit, & monasterium construxit. Dotatum est per *Ottonem* M. magnifice & privilegiatum.

Anno Domini MLXII. septem fratres *Scoti*, quorum nomina sunt hæc: *Marianus*, *Mathantinus*, *Murchertachus*, *Clemens*, *Gervasius*, *Isaac*, & *Donatus* Ratisponam venerunt, & sicut in Chronicis legitur, quendam mortuum nuper in patibulo *Zandolphum* nomine ibidem resuscitaverunt, ac tempore *Ottonis* Episcopi tunc temporis locum, ubi nunc est *Prioratus S. Petri* extra muros civitatis inhabitare cœperunt.

Eberhardus Comes de *Ebersberg* supra dictus super flumen *Ilmum* monasterium etiam construxit **Geysenfeld**/ ordinis nostri, anno Domini DCCCCLIII. & circa.

HISTORIA FVNDATIONIS MONASTERII BOSAVGIENSIS.

ANno Domini millesimo centesimo decimo, sub *Henrico* Imperatore hujus nominis quarto, sed in ordine regum quinto, auctoritante in Ecclesia militante post *Vrbanum* II. viro Apostolico *Paschali*, Dominus *Theodoricus* Zitzensi Ecclesiæ digne præficitur, vir vere commendandus, literis apprime eruditus, contra schismata, quæ nonnunquam suo tempore pullulabant, propugnator Catholicus, & in

& in omni pastorali solicitudine commissæ sibi Ecclesiæ desudans utilitatibus. Hic tertio Episcopatus sui anno, scilicet anno Domini milesimo centesimo quarto decimo, cum esset *B. Mariæ* Dei genitrici specialiter devotus, quendam Sclavum penitus illiteratum, eidemque B. Virgini æque devotum in sua curia habebat. Cui Sclavo B. Virgo Maria tunc apparuit adhortans, ut præfato Episcopo diceret, ut claustrum suo honori consecrandum non longe à suburbano seu territorio suæ civitatis, in colle, quem antiquitas *Bosavvgia* nominaverat, construeret, & pro indicio veritatis insinuaret, quod secrete dicere solitus esset ante inchoationem horarum B. Virginis hanc antiphonam: *Nativitas tua Dei genitrix*, &c. Quæ cum idem Sclavus Episcopo nuntiasset, & Episcopus suum secretum illi revelatum cognosceret, quod Domina nostra sibi dilectissima virgo Maria voluit, quantocius adimplevit, & montem qui *Bosavvgia* dicitur, primum occupavit ac fruticetis & spinetis mundavit, & mense Septembri VI. Idus ejusdem mensis ligneam capellam in eodem monte constructam in honore S. Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ dedicavit, ipsumque montem cum aliis prædiis in usum fratrum inibi Deo in perpetuum secundum regulam beatissimi Patris *Benedicti*, Nigrorum monachorum servitutorum assignavit. Nam de monasterio *Hirsavvgiensi* Spirensis diœcesis, pro tunc in regulari observantia, secundum *Cluniacensium* statuta nominatissimo, Abbatem postulavit, & quendam *Erkenbertum* virum venerabilem, quem primum huic loco Abbatem præfecit, una cum aliis fratribus acquisivit. Secundo dehinc anno, qui est annus Domini millesimus centesimus quintus decimus, Basilicam hanc à fundamento erexit, & octavo ab hinc anno, qui est annus Domini millesimus centesimus vicesimus secundus, consummavit, duoque altaria, unum in dextrali plaga

plaga in honore Apostolorum *Petri & Pauli* sexto Idus Septembris, alterum vero in sinistrali in honore Apostolorum *Philippi & Iacobi* Kalendis Maji dedicavit. Hic etiam quendam nobilem, nomine *Bennonem* de vicina Soraborum gente inconversum recepit. Qui cum vere perversus existeret, & ab Abbate sæpe correptus emendare nollet, Abbas ad ejus directionem etiam Episcopum advocavit. Qui cum prædictum durius, ut dignus erat, argueret, idem *Benno* cuncta impatienter ferens in tantam malitiam devenit, ut eundem Episcopum in oratione ante principale altare procumbentem latenter cultello perfoderet. Vnde post triduum venerandus Dei sacerdos quinto Kal. Octobr. anno Domini MCXXIII migravit ad dominum in eodem loco sepultus, quo occisus. Ipse vero *Benno* non conversus sed perversus mox vivus à Dæmone raptus, nusquam comparuit. Altero abhinc anno, qui est annus Domini MCXXIV. septimo Idus Septembris, dedicata est hæc basilica à Domino *Richvvino*, venerabili Domini *Theodorici*, nostri fundatoris successore, ordinationis ejus anno primo, & ab *Arnoldo* Merseburgensis Ecclesiæ Episcopo, & quinque altaria ipso die, principale quidem altare in honore B. & perpetuæ Virginis *Mariæ* & S. *Iohannis* Baptistæ, sanctique Iohannis Evangelistæ: altare ante chorum in honore *S. Crucis*; altare post summum in honore *S. Benedicti*; in honore *S. Georgi* martyris in dextra parte: in sinistra vero parte in honore *SS. undecim milium virginum*, &c. Feliciter. Amen.

FVNDATIO MONASTERII PRVMIENSIS PER PIPINVM SENIOREM QVI FVIT PATER Caroli Magni Imperatoris.

Pipinus Francorum Rex, cum esset in venatione in *Arduenna* super flumen quod vocatur *Prumia*, venatores suos & canes

& canes à se dimissos ita perdidit, ut nulla ratione potuerit scire, quorsum divertissent, aut in qua parte eos sequi debuisset. Stupefactus ergo infinum armigeri caput reclinavit, &ecce angelus Domini in similitudine hominis astitit, & dixit ei: *Ecce ego nuntius Dei ad te venio, ab eo missus qui mandat tibi, ut sicut ego signa posuero, ita jacto & posito fundamento ei templum in hoc loco ædifices, & locum ipsum S. Salvatoris nomine in perpetuum appelles. In crastinum vero cum equitaveris, duos pauperes monachos Græcos obvios habebis. Hos rogabis, ut illud, quod ferunt, tibi pro amore Dei dare velint, promittens eis retributionem magnam, cumque acceperis, eos huc adducere debes, & monasterium, sicut me vides ponere signa, ita ædificare jube, positis sanctis reliquiis in hoc loco. Dabis ergo impensas ad ædificandum eis & cuncta necessaria vitæ. Ferunt enim Innocentium corpora tria; partem de cute Apostoli Bartholomæi, & multas alias sanctas reliquias. Venatores, de quibus sollicitus es, ad te venient vespere; & sic, ut imperatur à Domino, facere grato animo procura.* Pipinus autem animo hilari, ut imperata fuerunt, ita fecit, ubi & curtes plurimos, & thesauros magnos conferre studuit, & eo mortuo trinepos ejus *Lotharius* Imperator magnifice consummavit: Vbi & sepultus in pace quiescit.

FVNDATIO MONASTERII SELGENSTADENSIS.

HEinardi Cancellarius *Caroli* Magni Imperatoris, vir egregiæ dignitatis, qui in puerili ætate cum eo nutritus fuerat, & miro ac ineffabili amore se dilexerant, cujus & consilio palatium tunc regium gubernabatur. Hic itaque *Heinardus* super *Mogonem* fluvium Abbatiam insignem fundavit, & **Selingstat** appellavit, & de *Roma* sanctos *Marcellinum* & *Petrum* apportari fecit, & ibi eos collocavit, & eam Abbatiam regno

regno dimisit, & se & dominam *Immam* uxorem suam, prædicti *Caroli* filiam, post mortem tumulari fecit.

FVNDATIO MONASTERIORVM DVORVM IN Quedelburg / & COENOBII S. JOHANNIS BAPTISTÆ PROPE Magdeburg.

930 *Henricus* primus Saxo genere, pater *Ottonis* Magni, qui cœpit anno Domini DCCCCXVIIII. ædificavit & fundavit Abbatiam de *Quettenleburg* regalem utique, & in omni *Saxonia* præcipuam. Illic Abbas moniales posuit, cui loco contulit decem & octo millia mansa, & thesaurum pergrandem; advocatiam & monetam, teloneum & militam, ubi & se sepeliri mandavit. Hujus uxor *Machtildis* regina sanctissima illi ad latus consepulta & posita est in crypta ejusdem monasterii. Hujus filius fuit *Otto Magnus*, Imperator hujus nominis primus, qui & *Rufus* dictus est. Iste *Otto* Abbatiam magnificentissimam & ditissimam construxit extra muros civitatis magnæ Magdeburg / in honore *S. Iohannis Baptistæ*, in quo posuit monachos Ordinis S. *Benedicti*. Item construxit in *Quetteleburg* monasterium Nigrarum monialium ordinis S. *Benedicti*, dedicans Ecclesiam in honore B. Virginis.

Conradus primus natione *Francus* eligitur in Regem anno Domini millesimo vicesimo quarto. Iste Abbatiam Nigrorum monachorum glorioſam & famatissimam sub regula S. *Benedicti* construxit & fundavit, quæ LINTHBVRG dicitur anno Christi 1038.

1055 *Luiboldus* Archiepiscopus Moguntinus monasterium S. JACOBI propriis expensis exstruxit *Moguntiæ* foris murum in monte qui dicitur *speciosus*, tempore *Henrici* Imperato-

ratoris IV. Anno Domini CIↃLIX. obiit prædictus Archipræsul, cui *Sifridus* Abbbas Fuldénsis succeſſit.

FVNDATIO MONASTERII B. VIRGINIS MARIÆ IN Schuttern.

ANno quinque milleſimo DCCLXXIII. à creatione mundi, ab incarnatione vero Domini noſtri Jeſu Chriſti DCIII. regnante *Phoca* Imperatore Romanorum, anno regni ejus primo vivente adhuc ſanctiſſimo Papa *Gregorio*, gubernante Franciam Rege *Theodorico*; *Offo* Rex Angliæ divina motus inſpiratione, cœpit ædificare & conſtruere hoc ſolenne cœnobium Schutern / cum adjutorio & conſilio S. *Pirminii* Epiſcopi ex cujus diſcipulis creduntur fuiſſe primi monachi inhabitantes hoc cœnobium in honore glorioſiſſimæ Virginis Mariæ. Illud poſtmodum glorioſe ditavit multis muneribus & privilegiis magnificus Francorum Rex *Dagobertus*, anno Domini DCCXLII. Collapſo autem priori cœnobio, illud iterum reædificavit, privilegiis & cenſibus ampliavit, ſanctiſſimus & glorioſiſſimus Romanorum Imperator *Henricus II.* anno Domini MXVI. Deinde anno Domini. MCCCCLXXXIX. in die S. *Eliſabeth* inchota eſt obſervantia vitæ regularis hoc in loco, ſecundum laudabilem unionem *Burſfeldenſem*, per venerabilem Abbatem hujus cœnobii Dominum *Iohannem Full*; cooperatus eſt ſibi ad hoc opus ſanctum venerabilis Pater & Dominus *Blaſius*, Abbas Hirſaugienſis, qui primos reformatores de monaſterio ſuo huc adduxit. Deus dedit initium, dabit etiam incrementum.

FVNDATIO MONASTERII, CANONICORVM REGVLARIVM IN Kyrbgarten PROPE WORMATIAM.

ANno Domini MCCXXXII. fundatum est monasterium ortus gloriosæ virginis Mariæ prope urbem Vangionum nominatum Kyrbgarten / per reverendissimum & gratiosum Dominum *Henricum* Comitem de Saraponte, Episcopum Wormatiensem, pro monialibus Cistercienſium, &c. Anno autem Domini MCCCCXLIII. reformatum est præfatum monasterium, à monialibus Cistercienſibus desolatum, per Canonicos regulares, opera Domini gratioſi *Friderici* Pogneck Episcopi Wormatiensis, ac Illustrissimi Principis Electoris *Ludevvici*, comitis Palatini.

FVNDATIO MONASTERII S. WALPVRGÆ IN SACRA SILVA

ANno Christi milleſimo septuageſimo quarto, ætate *Gregorii* VII. & *Heinrici* III. fundatum est à *Theodorico* Comite montis Peligardi cœnobium S. *VValpurgis*, ordinis D. Benedicti: cujus Abbati *Bertolfo* post plurimos annos *Fridericus* Sueviæ Dux cum uxore Judenta, donavit prædia, quæ intus & extra foreſtam, quæ *ſancta* nuncupatur. *Bertolfus* primus Abbas hujus loci fuit; *VVolfgangus* ſecundus; *Dietmarus* tertius; quartum invenire non poterant, quo nomine dicitur. Item, quæſitum est in antiquiſſimo martyrologio hujus loci, & nullus inventus est Abbas qui *VVolfframus* dictus sit, quamobrem arbitrantur *VVolffgangum* esſe, & erratũ esſe in nomine. Item, ante primum Abbatem *Bertolfum* leguntur longe fuiſſe duo monachi in hoc loco, qui fundatores primi in martyrologio dicuntur: ſic cum legitur *VVibertus* monachus primus fundator hujus loci obiit v. Kal. Augu-

Augusti. *Martius* confundator III. Kal. Decembris. Hi tamen creduntur habitasse tanquam heremitæ in parvulo monasterio sive cellula: verum annus Domini, i.e. quo tempore fuerunt, incertum est. Nota tamen, quod hic fuit mihi oblatus liber antiquissimus, ibi legi, quod præfatus frater *Vvibertus* suscepit primum privilegium monasterii, à *Henrico* Imperatore quinto anno Domini millesimo sexto. Item: *Fridericus* Dux Sueviæ pater fundatoris hujus loci Sic *VValpurgis* fundat monasterium S. Benedicti **Lorch**/ prope **Schwabischen münde**/ in quo sepelitur, &c. Item monasterium Præmonstratensium *Adelberg*.

FVNDATIO MONASTERII Künigesberg/ SANCTIMONIALIVM.

ANno Dominicæ incarnationis MCLXVII. Indictione XI. Epacta nulla, tempore *Alexandri* Papæ, regnante *Friderico* Romæ Imperatore, sub *Agnete* hujus loci Abbatissa VIII. Idus Julii dedicatum est hoc monasterium à venerabili *Bernone* Zvvirmensi Episcopo; & eadem die dedicatum est altare principale in honore S. *Mariæ* perpetuæ virginis, &c. *Fridericus Barbarossa* est fundator.

EX TOPOLOGIA NOVIENTENSIS i. e. EBERSHEIMENSIS COENOBII

MOnasterium *Novientense* sive *Ebershemense* situm est in Germaniæ finibus inter *Rhenum* & *Vosagum* in pago Alsatiensi in comitatu *Thronic* & in Episcopatu Argentinensi, in insula *Ylbæ* fluminis, nemoribus consitum, pernenspicuis fontibus irriguum, pratis amœnum, agrorum fertili

cultura circumdatum, vineis non longe adjacentibus lætum, piscationibus & venationi commodum, ac variis commeatibus utile ac oportunum. Cum enim pagus idem Alsatiensis primitus ab exercitu *Trebere* possessus fuisset, & excultus, ipsi cultores fanatici & idololatræ fanum culturæ Deorum suorum, & in ipso aram *Dianæ* & *Mercurii*, construxerunt & ludis scenicis dedicaverunt. Sed cum post multa temporum curricula tota Germania, & idem pagus à Romanis, temporibus *Iulii Cæsaris*, subacta fuisset; *Iulius Cæsar* Deum placare, *Mercurium* videlicet, qui à Theutonicis colebatur, quoniam Deus facundiæ dicebatur, insulam ingressus, ipsum fanum jam vetustate collapsum renovavit, ac Donariis honoravit, nomenque mutans *Novientum* nominavit. Nam antiquitus à primo possessore suo **Stanebruch** vocabatur, unde etiam hactenus saltus adjacens eo nomine nuncupatur. Deinde ad munimen Romani exercitus castella in circuitu munivit: primum scilicet super lacum ipsius *Yllæ* fluminis, quod *Brunduſium* nominavit; sed post ab accolis renovatum *Branneburg* est nuncupatum. Alterum vero juxta villam quæ *Hilzheim* vocatur, construxit, quod hactenus *Ertburg* vocatur. Tertium vero juxta villam **Kageneheim**, quod nunc **Altenburg** dicitur: Quartum nihilominus trans flumen juxta montana construxit, ipsumque ab alto sito *Apicam* nominavit. Horum itaq; castrorum castella cum finitimis populis ipsius pagi, singulis mensibus ad fanum supradictæ insulæ venientes, sacrilegos sacrificiorũ ritus cum ludis scenicis celebrabant, & ille quidem ritus gentilitatis usque ad tempora *Neronis* Imperatoris ibidem permansit. Eo tempore Christi videlicet ab ascensione decimo anno beatissimus Apostolorum princeps *Petrus* adjuncto sibi *Paulo* Apostolo Evangelium Christi in urbe Roma prædicabant. Qui cum per Spiritum S. tempus passionis suæ sciret instá-

instare, convocatis discipulis, quos idem fervor prædicationis incenderat, tali eos sermone alloquitur: *Videte nunc fratres mei, quanta sit messis dominicæ sationis, & quam pauci operarii. Nunc igitur memores verborum Domini nostri Iesu Christi, quando ait: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, &c. *& quia dignus est operarius mercede sua.* Deinde singulis imponens manus dedit eis potestatem ligandi & solvendi & dimisit eos; mittens quidem B. *Apollinarem* in *Ravennam* civitatem, S. vero *Martialem* in Aquitaniæ partes, Sanctum autem *Saturninum* in Tolosanam civitatem B. autem *Maternum* Episcopum, cum duobus presbyteris *Eucharto* & *Valerio* in Transalpinas Germaniæ partes destinavit. Qui transmissis Alpibus penninarum, venerunt in supradictum Germaniæ pagum qui *Alsatia* dicitur, cœperuntque incolis prædicare verbum Dei, quos & sermonibus & miraculis ad fidem converterunt, destruentes fana eorum, ex quorum lapidibus Ecclesiam in honore *B. Petri* construxerunt. Post hæc B. *Maternus* Argentinam civitatem causa prædicationis ingreditur, & eos de cultura idolorum arguere cœpit, &c. sed ab incolis non est receptus, imo ex urbe pulsus; qui pulverem pedum in eos spargens, ad relictum solitudinis locum repedavit. Cumque in tinere essent constituti, B. *Maternum* repentina febris invasit: quem cum in humeris secum ferre tentassent, spiritum exhalavit. At illi rerum inopia ac labore fatigati, simulque barbaræ gentis ferocitatem metuentes, flumen *Yllam* transierunt, ipsumque in loco deserto ac solitario cum maximo luctu & fletu sepelierunt unde etiam usque in hodiernum diem locus idem *elegium*, propter elegos, qui ibi profusi sunt est vocitatus. Mansit denique in præfato loco S. *Maternus* sepultus xxx. dies, i.e. usque ad reditum B. *Eucharii* de Roma cum baculo S. *Petri*, per quem etiam meritis B. *Petri* fuit resuscitatus, & vixit ex post xxx annis. In hoc loco

longa post temporum curricula *Dagobertus* Rex Franciæ ex arce *Rubiaca* veniens, dum venationi insisteret, aper miræ magnitudinis canibus & clamoribus provocatus, filium Regis sedentem in equo invasit, unde equus perterritus rapidis cursibus totus in præceps actus densissimam silvam petiit. Sed puer non volens residere cecidit, & mansit uno pede in sterisio pendens, & tractus tandem semi mortuus est repertus, & die altera expirat. Dicunt etiam puerum ab apro percussum. Hinc ipse Rex prædictam insulam *Novientum* mutato nomine **Ebersheim** i.e. mansionem aprorum nominavit, & locum in magna reverentia habuit: nam puer per *Arbogastum* Episcopum Argentinensem resuscitatus fuit. Ideoque Rex & Regina gavisi valde S. *Arbogasto* & B. *Virgini* dederunt *Rubiacum* & multa alia. Hæc latius vide in Legenda Arbogasti.

INDEX RERVM IN HIS CHRONICIS MEMORABILIUM.

A.

Abbates de VValkinrede, de lapide S. Michaelis & Riddagshusin, deputantur ad reformandum Montem Serenum. 134.

Adelbertus Comes Palatinus de Sommerſenborg obit ſine herede. 264.

Adelbertus primus Epiſcopus Prutenorum. 109.

Adelbertus Comes de Babenberg occiditur à Ludovico Imp. 277.

Adelgotus Magdeburgenſis Archiepiſc. 253. fundat monaſterium Halenſe ad Novum opus. 17. 254.

Adelheidis Abbatiſſa in Gandersheim & Quedelingeborg. 266.

Adelheidis de Alesleve, uxor Friderici Junioris Comitis Pal. 216. Nubit Comiti Ludovico. 219.

Advocatia Goslarienſis confertur Henrico Palatino à Philippo Imp. 76.

Equivoci conſtructores & deſtructores Epiſcopatus Magdeburgici. 103.

Agna Friderici Palatini conjux filia procerum de VVimare. 207. Inſtructa fuit variarum artium & diſciplinis in Quidelingborg. Ib.

Albertus Archiepiſcopus Bremenſis 207. moritur Goslariæ. 214.

Albertus Leodienſis Epiſcopus frater Ducis Brabantiæ ſcelerate occiditur. 58.

Albertus Ottonis Marchionis Miſnenſis F. patrem captivat. 52.

Albertus Magdeburgenſis Epiſc. 76. Conſtituitur Legatus contra Ottonem IV. Imp. 98. excommunicat eundem, nihil permotus deſolatione Epiſcopatus ſui. 103. excommunicat Epiſc. Halberſtadenſem. 179.

Albertus Marchio de Brandenberch. 7.

Alexandri Papæ faſtus, erga Fridericum Imp. notatus à Tiderico Orientali Marchione. 42.

Aldenborgenſis Epiſc. Geroldus. 32.

Anehalt deſtruitur. 17. 259.

Appellationis & verborum Decretalium uſus quando notus eſſe cœperit Monti-Sereno. 79.

Apollo-

Apollonius Præpositus de VValbeke. 69.
Arnoldus IV. Sereni-montis Præpositus. 23. æstu electioni renunciare compellitur. 24.
Aschersleve incenditur. 40.
Augustensis Episcopus Hermannus. 11.
S. Augustinus & Benedictus Ordinum monasticorum fundatores. 187.

B.

Balsamorum regio. 242. ex permutatione pervenit ad Vdonem Marchionem Stadensem. 243.
Barboge provincia. 224.
Bambergenses Episcopi: Otto 17. Eilbertus. Ibid.
Bartenkirke locus in introitu Alpium. 44.
Basiliensis Episc. Adalbero. 16.
Bavariæ ducatus Henrico Leoni ereptus datur Ottoni de VVicilingesbach. 264.
Berneburg incenditur. 16.
Bernhardus Clarevallensis Abbas. 20.
Bernhardus Comes de Lippia, fit monachus & post Episcopus. 134.
Bernhardus Comes Ducatum Saxoniæ obtinet Henrico Leoni ereptum. 45. 264.
Berta Comitissa uxor Dedonis. 18.
Bertradis Abbatissa Quedlinburgensis ex nobilibus de Crozuk. 167.
Blankenborg urbs. 257. sola servat fidem Henrico Leoni. 265.
Bodo & Henricus de Ravenspurg, occidunt Episc. Herbipolensem. 72.
Boëmi instinctu Cardinalis Romani vastant Archiepiscopatum Magdeburg. 74.
Boleslaus Dux Poloniæ & Othilricus Dux Bohemiæ adsunt Imp. Ludero curiam in Merseburg celebranti. 14.
Bosvvi rex Bohemiæ. 251.
Brandenburgenses Episcopi:
Balduinus. 85.
Balderamus. 111.
Northertus. 76.
Sifridus. 39.
VVikerus. 20.
VVillimarus. 39.
Bresvviz castrum destruitur à Ludovico Landgravio. 144.
Burggravius de VVitin. 119.
Burchardus de Lucknem Comes Frisonum nefarie occiditur. 11. 235.

C.

Campana de L. centenariis Petronella dicta. 80.
Capitulum Goslariense. 185.
Cardinalis quidam Episc. Portuensis visitat Ecclesias Galliæ & Germaniæ. 189. Serenum Montem præterit. 194. Aldenburg. 43.
Comes de Andechs. 279.
Anhalt 262.
Arnsberg. 2.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [372] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Asse. 43.
Aveberg. 48.
Bavaria 31.
Bavenberg. 277.
Bigliggen. 221.
Brene. 28.
Crudorp. 11.
Dannenberg. 46.
Ebersberg. 284.
Flandria. 6.
de Frankeleve. 11.
Frisonum. 11.
de Groitz. 40.
Haspurg. 282.
Homburg. 18.
Honstein. 19.
Comes de Ilfeld. 265.
Kamburg. 221.
Kirchberge. 48.
Leige. 241.
Lengerfeld. 242.
Mansfeld. 19.
Mersburg. 201.
Nellenburg. 283
Plötzke. 16.250.
Purgek. 281
Rochelez. 28.
Regenstein. 139.
Scartfeld. 46.265.
Scheurn. 281.
Sommersenburg. 32.57.
Schwartzburg. 48.
Staden. 18.
Sthalecke. 18.
Thüringia. 11.
Valkenstein. 166.
Velsecke. 129.
VValtenroth. 265.
VVallebeke. 259.
VVartberge. 48.
de VVetin. 3.
VVintzenborg. 25.
VVizenfels. 63.
Zolre. 13.
Zigenhagen. 48.
Comes Palatinus de Sommerschenborg. 221. privatur dignitatibus suis ab Henrico V. 252.
Conradus Comes de VVetin. 3. obtinet Marchiam Misnensem. 5. & Lusizensem 14. item provinciam Rochelez. 17. transfert Ecclesiam Numicensem in proprietatem fratrum Montis-Sereni. 22. fit Monachus ibidem. 27. moritur. 29. 203.
Conradus Herbipolensis Episc. Henrici & Philippi Impp. Cancellarius nefarie occciditur. 72.
Conradus de Eckstide occiditur. 11.
Conradus frater Friderici, usurpat nomen regium contra Lotharium. reconciliatur eidem. 14 219. 7. 207. Eligitur in regem 16. 259. Poloniæ Ducatum confert Vladislao 19 Expeditionem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [373] - -
PUBLIC DOMAIN

peditionem suscipit in Palæstinam. 20.
Conradus Marchio de Plötzke. 12.
Conradus Marchio Orientalis, F. Dedonis. F. Conradi senioris. 87.
Conradus Tiderici Marchionis F. lanceæictu in torneamento occiditur. 40.
Cizenses Episcopi Bartoldus. 32. alius ejus nominis. 51.
Udo. 51.
Colonienses Archiepiscopi. 1.
Anno. 12.
Arnoldus. 16.
Arnoldus alter. 25.
Bruno. 12.
Fridericus. 12. Alter ejus nominis. 30.
Gero. 36.
Hugo. 15.
Philippus. 35.
Reinoldus. 33. Schismatis autor & corroborator inter Fridericum Imp. & Alexandrum Papam. 34.
Conradus Episc. Halverstadensis, monachus de Sichem 123. frater est Günzelini de Crozuc. 188.
Concursus ad reliquias S. Ottonis Bavenbergensis Episc. in Pegavv. 146.
Consanguinitas inter Montis Sereni, & Niemburgensis Ecclesiæ fundatores. 38.
Constantinopolis à peregrinis S. sepulchri & Venetianis capta. 74.
Corbeia Abbatia regalis in Saxonia. 248. in ea viget regularis districtio adhuc tempore Henrici IV. Ibid.
Cuno de Mincenborg. 146.
Curia generalissima apud Maguntiam. 234.

D.

Dagobertus I. fundator monasterii V Vissenburgensis. 269.
Dagobertus II. fundator monast. S. Petri in Erfordia. 273.
Damiata à paganis recuperatur. 139.
Dedo Comes in VVetin. F. Thiemonis, fundator monasterii Montis-Sereni. 2. 205. Jerusalem visittat. Ibid.
Dedo Palatinus Comes fundator monasterij Gozeke. 207. ense perfoditur à quodam clerico 212.
Dedo de Crozuc. 254.
Desiderius Longobardorum Rex. 279.
Devvin urbs. 254.
Discordia inter Episcopum Colonienſem & Comitem Palatinum Rheni propter castrum Rinecke. 33. inter Conradum Archiepisc. Moguntinum & Ludovicum Landgravium Thuringiæ. 48.
Divortium inter Fridericum I. Imp. & con-

& conjugem ob adulterium. 26.
Inter Henricum Leonem & conjugem ob consanguinitatem. 33.
Ditmarsi occidunt Rudolphum Comitem de Staden. 18.

E.

Ecclesia S. Mauricii in Halle. 62.
Eckehardus Mersburgensis Episc. 138. visitat jussu Legati Rom. Montem Serenum. 194.
Eckehardus V. Montis Sereni Praepositus. 24.
Electionem Episcoporum in Germanico Imperio vendicat sibi Henricus IV. 223.
Eligere quid sit. 97
Eilika Comissa Magni Ducis filia. 16. 234. Impetrat advocatiam monasterij Gozeke. Ibid. eidem praficit Nentherum bonae conversationis virum. 237. praediis Sifridi de Ertheneborg ditatur. Ibid.
Emelricus Rex Teutunia. 242.
Eris impostor Deum se appellat, & damnatur. 21.
Expeditio Conradi Imp. contra Turcas parum felix. 20.

F.

Fames magna. 119.
Feminae conversae. sorores dictae 88.
Feminarum congregatio in Luttere commutatur in regularem Ordinem S. Benedicti. 14
Fratres Laici Barbati dicti. 170.
Fridericus Abbas Gozecensis, cogitur etiam praesse Herofeldensi coenobio. 223. moritur. 226.
Fridericus Comes de Arnsberg. 2.
Fridericus Comes de Brene. 118 transfert se ad vitam Templariorum. 139.
Fridericus Comes ex nobilissima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia. 207.
Fridericus, Friderici huius F. post mortem Dedonis, fratris, primus ejus stirpis Comes Palatinus. 213. dedit se Henrico IV. Imp. 215. ejus devotio erga monasterium Gozeke. Ibid ducit uxorem Hadavvigam de Bavaria. 216. Nindorp villam donat monasterio. 218 obit. 220.
Fridericus Friderici F Friderici. N. Comes Palatinus, ducit uxorem filiam Vdonis de Aleslephe. 216. scelerate occiditur. Ib.
Fridericus hujus filius privatur Comitia Palatina 219. fit Advocatus monasterij Gozeke. 232.
Fridericus Comes de Sommerschenburg Comitiam Palatinam consanguinei sui ad se rapit. 229.
Friderius Comes de Schvvarzborg mergitur in cloaca. 48.

Fridericus Dux Suevia declaratur Rex Rom. 25. Regi Daniæ circulum regium concedit. Ib. Romæ consecratur. 27. Polonos subjugat & Burgundiam Imperio recuperat 30. Duci Bohemiæ circulum & nomen regis confert. 31. Concilium Papiæ indicit 33. Mediolanum destruit Ib. Prosternit se pedibus Alexandri Papæ 42. Expeditionem in Palæstinam suscipit. 53. Turciam ingreditur 55. mergitur in flumine. 56.

Fridericus II. consecratur ab Honorio III. 136. contra Ottonem triumphat, 268.

G.

Gedinck placitum. 176.
Gerhardus Vberbein. 69.
Gero Archiepiscopus Colonienſis. 36.
Gero Dux & Marchio fundator monasterij Gerenrode. 36.
Gernotus Nienburgenſis Abbas misere habitus 132. Ejus somnium calamitatem prænuncians. 133.
Givenkenstein castrum. 18.52.
Gosuvinus Comes de Leige. 242.
Goseke monasterium fundatur per Albertum Archiepisc. Bremenſem & fratres ejus. 207. subjectum est Ecclesiæ Bremenſi 208. ejus status miserabilis. 236. reformatio. 239.
Groningen castrum destruitur. 17. 259.
Günzelinus de Crozuck. 188.

H.

Halberstadt exusta est. 43. 263. ejus Ecclesia major consecratur 41. annis post exustionem. 136.
Halberstadenſes Episcopi:
Conradus, qui ex Constantinopolitana præda Halberstad. Ecclesiam exornat. 75.
Fridericus. 36.
Gero. 32. accipit dignitatem ferendi pallium à Victore Antipapa. 32. deponitur. 42.
Otto, qui deponitur ab Honorio Papa. 7. restituitur. 12.
Rodolphus. 20.
Thiedericus de Crozuck. 45.
Vlricus. 31.
Haldesleve obsidetur sed frustra. 35. altera obsidione occupatur à Vichmanno Archiepisc. Magd. 46. 265. ejus situs. 47. reædificatur. 169.
Hartisburg reædificatur. 45.
Hatto Archiepisc. Moguntinus, homo perfidiosus. 277.
Havelberg capitur & incenditur. 14.
Havelbergenſes Episcopi: Gumbertus. 3. Anshelmus 20. fit Archiep. Ravennenſis. 27. Walo 29. Hugbertus. 47. Hellembertus. 76. Sibodo 85.

Hemeke

Heimeke modii genus. 119.
Heinardus Cancellarius Karoli M. fundat Abbatiam Selingstad. 287. ibi cum Imma Karoli filia, uxore sua sepelitur. 288.
Helpede castrum. 40
Henricus Auceps fundat Abbatiam Quettelingeborch regalem, & in omni Saxonia præcipuam. 288.
Henricus IV. Imp. confirmat donationem factam monasterio Gōzeke.
Henricus V. Imp. 2. convocat Principes Moguntiæ. 249. Insolenter se gerit erga eosdem. 252. Calixto Papæ reconciliatur. 256.
Henricus Rex Friderici F. Erphordiæ periculum vitæ incurrit. 49. Consecratur in Imp. 58. 267. moritur. 65.
Henricus Comes Aschariæ filius Bernhardi Ducis. 132. 167.
Henricus Dux Bavarorum ducit Gertrudem filiam Luderi Imp. 6. Vlmam capit & incendit. 13. moritur & in Luttere sepelitur. 16. 259.
Henricus Leo Dux Saxonum, Ducatum Bavariæ obtinet. 30. 261. restituit regem Daniæ. Ib. accipit ab Imp. potestatem constituendi Episcopos. 31. 261. instituit in Lubeke congregationem clericorum. 33. reus majestatis declaratur. 44. 264. Folles Goslariensium incidit. 45. 264. moritur & sepelitur in Brunsvich. 65.
Henricus ejus filius, Comes Palatinus, accipit à Philippo Imp. Advocatiam Goslariensem. 76.
Henricus puer, Comes de VVitin obit. 117.
Henricus Marchio Misnensis. 3. vindicat injuriam sibi à Conrado Comite illatam. Ib. moritur & Marchiam ejus idem hic Comes obtinet. 5.
Henricus VViperi filius Marchiam Lusizensem obtinet. 12. 258. & præfecturam Magdeburgensem.
Henricus de Calathin Marschalcus Philippi regis. 72. interficit Ottonem de VVittelsbach. 85.
Henricus Comes de Regenstein. 139.
Henricus de Vrideberge castrū ædificat in confinio Quidelingēborch 139.
Henricus Minneke Præpositus in Goslar ob hæresin deponitur. 139.
Hermannus de VVintzinborg omnibus honoribus & provincia privatur. 11. 235. incarceratur in Blankenborg 257. Occiditur cum conjuge Luchardi. 25. 261.
Hermannus Camerarius de Landisberg. 78.
Hermannus Comes Palatinus Rheni. 21. 30.

Hermannus Thuringiæ Landgravius. 63. jurat fidelitatem Philippo regi. 73.
Herminoldus primus Montis-Sereni Præpositus 2. Romam dirigitur pro impetrandis eidem privilegiis. 5.
Hetwvig filia Ducis Bernhardi, conjux Vlrici Comitis de VVetin. 80.
Hidda soror Geronis Marchionis. 36. nubit Christiano Marchioni ib. Hierosolymam post obitum mariti petit, ubi adamatur à rege. Ib. nasum sibi truncat, quo posset in viduitate manere. ib.
Hildesheimenses Episcopi: Bertoldus. 11. Bernhardus. 11 Bruno. 26. Hermannus. 32. Harbertus. 76. Sifridus. 136.
Hircesberg tradit se Friderico Imp. 45.
Hogerus de Mansfeld accipit aliquot civitates ab Henrico V. in beneficium. 251. occiditur à VViperto Juniore in VVelpesholtz. 253.
Hojerus Comes de Valkenstein. 166.
Honorius Papa dat privilegium Monti-Sereno 6.
Honorij III. mandata in causa Abbatis Ilsineburg. 180.
Horneburg evertitur. 42. reædificatur. 43. 263.
Hospitum domus in monasteriis. 78
Hospitalis pauperum procuratio 79.

I.

Jerusalem capitur à Saracenis. 266.
Impudica vita Monachorum in Monte-Sereno. 112. 158.
Innocentii III. literæ ad Præpositum S. Nicolai in Magdeborg. 110.
Innocentii III. laus. 111.
Inundatio aquarum. 139.
Johannes Præpositus Montis Sereni. 78. resignat administrationem. 80. iterato eligitur. 82. moritur. 95.
Iuterbok provincia vastatur à Slavis. 43.

L.

Laici fratres nihil habent juris in electione Prælatorum. 99.
Landesberg castrum. 50.
Levvenburg urbs Henrici Leonis. 45.
Lichtenberg castrum Henrici Leonis. 264.
Lipzeke, Chamburg & Misna munitiones Marchionis Misnensis. 64.
Literæ cassatæ dentibus scindebantur. 107.
Lubeke instituitur ab Henrico Leone congregatio clericorum. 33. oppugnatur à Friderico Imp. 265.
Lubus castrum. 86.
Lucardis uxor Conradi Comitis de VVetin, senioris. 319.
Luderus Dux Saxonum. 232. fit Imperator. 3. 258 Instituit monasterium S. Ser-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [378] - -
PUBLIC DOMAIN

S. Servatii in Quidlinborg. 10. Danorum Principi Magno confert circulum aureum. 13. 258. audit variarum gentium Legatos. 14. Dux Polonorum ab eo ad curiam citatur & comparet. 258. fundat monasterium in Luttere. 14. in quo & sepelitur. 16. 259.
Luderus secundus Montis Sereni Præpositus. 15.
Ludolphus Archiepisc. Magdeburgensis adhæret Philippo Regi contra Ottonem. 74.
Ludovicus primus Comes Provincialis. 219. patrem è captivitate liberat. 232. accipit provinciam Vinziburg. 235.
Ludovicus Dux Bojoariæ facit decollari Mariam conjugem suam. 277.
Ludovicus Abbas Augiensis occiditur in Ecclesia. 13.
Luneborch, dotem suam asserit conjux Henrici Leonis. 265.
Lusizensis seu Orientalis Marchia. 14.

M.

Magdeburgenses Archiepiscipi: Albertus 76. adhuc in scholis constitutus eligitur. 1b. 13.
Conradus. 17.
Fridericus. 60.
Ludolphus. 5.
Nortbertus. 7.
Rotherus. 2.
Vicmannus. 26. inhiat Ecclesiæ Nienburgensi. 38. vir gloriæ secularis appetitu detentus. 58.
Magdeburg pene tota exasta. 52. rursum Ecclesia major ibidem igne deleta. 81.
Magnus Princeps Danorum hominium facit & Rex Daniæ declaratur à Ludero. 13.
Marckgrevendorp villa. 42.
Marchia Orientalis. 14. 39. Misnensis. 5.
Marchio de Brandenborch. 7. 76.
de Groitz. 2.
de Ilenborch 4.
de Monteferrato. 52.
de Osterreich. 261.
de Plotzke. 12.
Stadensis 243.
de Vechburg. 283.
de Vorburg. 277.
S. Mauritii caput ablatum è Magdeborch. 136.
Meinherus, tertius Montis-Sereni Præpositus. 15.
Mersburgenses Episcopi:
Eckelenus. 17.
Eckehardus. 111.
Everhardus. 69.
Johannes. 33.
Reinhardus. 17.
Tidericus. 71.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [379] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

Mindenſes Epiſcopi: Conradus. 36.
Dithmarus. 76.
Henricus. 17.
Sivvardus. 17.
VVernherus. 26.
Miſna incendio deleta. 139.
Miſnenſes Epiſcopi:
Bruno. 111.
Gerungus. 33.
Godeboldus. 17.
Martinus. 35
Rembertus. 17.
Moguntinenſes Archiepiſcopi:
Albertus. 16
Arnoldus. 26. occiditur à civibus. 32.
Chriſtianus intruſus. 34.42.
Conradus. 32.34.42.
Henricus. 17.
Luppoldus 68. Marcolphus. 17
Monaſteria, quorum mentio fit in his Chronicis, cum primis Sereni-montis:
Brene. 70.
Bruneshuſen. 155.
Cella. 54
Cillenenſe. 40
Dancmarisvelt. 36.
Doberluge. 50.
Gerenrode. 30.
Gratia Dei. 21.33.
Hagenrode. 37.
Hallenſe. 13.
Hereveldenſe. 223.
Herſe. 33.
Hilſeneborg. 103.179.
S. Johannis in Haberſtad. 155.
de Lapide S. Michaelis. 132.
Luppoldsberg. 24.
Lutere. 14.
Montis Sereni. 2.
Northringen. 37.
Novi operis. 18.254.
Nuemburg. 35 202.
Nunnick. 14.22.
Oldesleibe. 250.
Porta. 194.
Reinhardsborn. 231.
Reyndorp. 250.
Richinberg. 155.
Riddagushuſen. 132.
Stetterlingborg. 124.
Trubick. 166.
VValkinrede. 132.
VVyzenborg. 250.
Monaſterienſes Epiſcopi:
Eckbertus. 12.
Hermannus. 39.
Ludevicus. Ibid.
VVernherus. 12.
Montis-Sereni cœnobium incendio vaſtatur, quo ipſo una corruit religio in eodem. 66. 68 Obtinet renovationem privilegii exemtionis ab Innocentio PP. 70.

Mos

Mos in reliquiis jurandi. 41.
nudis pedibus & habitu nigro veniam petendi. 92.
pulsatus campanis & accensis candelis excommunicandi. 181.
nudis pedibus, scopam ferendo, supplicandi. 191.
cum vexillis & crucibus obviam procedendi. 193.

N.

Nobiles, de VValtingeroth. 46.
Scartfeld. 46. 265.
Dannenberg. 46.
Ilfeld. 46.
Crozuck. 891. 67.
Mansvelde. 89.
Nortbertus Magdeburgensis Archiepiscopus fundator monasterij de Gratia Dei. 11.
Nortringe castrum, post Niemburg dictum 36. huc à Gerone Colonienſi transfertur congregatio de Dankmarisvelde 37. ab Ottone & seqq Impp. variis donis ornatur. Ib.
Nuemburgenses Episcopi:
Bertoldus 68.
Engelhardus. 152.
Gernotus. 152.
VVicmannus. 26
Nunnicensis Ecclesia fit Abbatia. 14.

O.

Odoacrus Bohemiæ rex Philippo regi confœderatus. 66.
Ordo Prædicatorum & Fratrum minorum quando cœperit. 187.
Organi instrumentum in Monte Sereno. 81.
Othilricus Dux Bohemiæ adest Imperatori in Merseborg. 14.
Otto Magnus instituit Abbatiam S. Johannis prope Magdeborg. 288.
Otto II. dat Ecclesiæ Niemburgensi castellum Grimmisleve. 36.
Otto Pictavienſis Comes Henrici Leonis F. contra Philippum eligitur Impp. 66. 276. repetit bona Imperij 93. excommunicatur. Ib. Magdeburgenſem Episcopatum vastat. 103. cogit regem Siciliæ à se regnum accipere. Ib.
Otto Misnensis Marchio à filio captivatur. 52. 267.
Otto Bambergensis Episcopus convertit Pomeranos. 17.
Otto de Schoningen fit Abbas Stiderburgensis. 80.
Oztroë capella. 3.

P.

Panormi Palatium cum infinitis thesauris obtinet Henricus VI. 65.
Pater patrum capituli Goslarienſis. 138.
Pegavienſe monasterium fundatum à VViperto Marchione. 247. dedicatum

tum per Hartvvicum Magdeburg. 248. ejus privilegia. 145. 147.
Petrus impostor ad imaginem crucifixi in Hallensi Ecclesia hominibus sanitatem putatur conferre. 108.
Philippus Friderici Imp. F. fit Imp. 66. Occiditur à Palatino de VVidelingesbach. 85.
Philippus Colonienſis Epiſc. 262. repetit ab Henrico Leone hæreditatem Comitis de Asse, nepotis sui. 43. obtinet ducatum VVestphaliæ eidem ereptum. 264.
Pipinus fundat instinctu angeli monasterium Prumiense. 287
Pipinus Karoli M. filius Dux Bojoariæ, autor familiæ Comitum & Principum de Andechs. 279.
Pontifices Romani: Caliſtus II. 2. Honorius II. Innocentius II. Anacletus antipapa 1b. Cælestinus. 17. Lucius. 1b. Eugenius 19. Anastasius. 26. Nicolaus. 26. Adrianus 27. Alexander. 31. Victor Antipapa. 31. cui in Antipapatu succedit Paschalis. Innocentius. 110. Honorius tertius. 111.
Poppo Hallensis Præpositus excommunicat Tidericũ Montis Sereni. 136.
Posna civitas. 20
Potus variatio mira in Monte Sereno 159.
Præpositi nomen & officium. 97.
Privilegium Capitulo Goslariensi datum. 137.
Prutenorum genti prædicatur Evangelium. 87.
Pugna in VVelpesholtz. 3. 230. 253.
Pythonissa infelix. 86.

R.

Raspo Henricus F. Ludovici Comitis. 219. moritur. 234.
Ratisborgenses Episcopi:
Evexmodus. 32.
Philippus. 88.
Ravenspurg castrum destruitur. 73.
Regẽstein urbs Henrici Leonis. 45. 264.
Reidenburg Bavariæ monasterium, unde Ordo Canonicorum regulariumin Saxoniam derivatus. 18.
Reinhardus Episcopus Halberstadensis. 233. Saxones hortatur viriliter se gerant in VVelpesholtz. 253.
Reinhardus de Rinestede. 216.
Reliquiæ de Hugisborg. 27.
Reliquiarum venerationi deputatur solemnis dies in Ecclesia Halberstadensi. 75.
Richiza uxor Ludèri Imp. 5.
Rinecke castrum. 33.
Rudolphus Sereni-montis Præpositus. 80.
Ruggerus Siciliæ Comes subtrahit Imperio Apuliam & Calabriam. 258.

Rugiani

Rugiani recipiunt fidem Christi, sed doctorum defectu relabuntur. 262.

S.

Saladinus Damasci rex, Hierosolymitanam terram victis Christianis obtinet. 51.
Saxones fœdus ineunt contra Henricum V. 252.
Schisma grave inter Alexandrum & Victorem Papas. 31.
Severius corripere, exponitur excommunicare. 138.
Siciliæ Rex accipit regnum ab Ottone Imp. 93.
Sigeberg castrum dolo capitur. 45. 264.
Sigfridus Palatinus Comes de Orlamunde. 252.
Sigfridus Comes in VVallebeke. 259.
Sigfridus Abbas Ilsineburgensis. 179.
Sigfridus Abbas Pegaviensis opponit se Mersburgensi Episc. 144. ejus varii casus. 147. & seqq. Encomion. 153.
Simeon de Dibile miles. 84.
Simonia velata quid. 197.
Slavi vastant provinciam Iuterkock. 43. & provinciam Tiderici Marchionis. 44.
Sophia Quedlinburgensis Abbatissa deponitur. 166. restituitur. 193.
Stratagema regis Bohemiæ. 75. Friderici de Groitz. 148. Sigfridi Abbatis Pegaviensis. 150.
Stufenburg tradit se Imperatori. 45.
Sveno Daniæ rex accipit circulum ab Imp. Friderico. 25.
Svvorbia provincia. 256.
Synodus generalis apud Leodium. 12. Romæ, mille ferme Episcoporum & Abbatum. 43. Ibidem CCCXII. Episcoporum. 109.

T.

Tangermunde. 243.
Tassilo Dux Bavariæ. 279.
Terræ motus magnus. 141.
Theodoricus & Vdalricus de Dedeleibe occidunt Fridericum Palatinum Juniorem. 216.
Thiemo de Colditz. 145.
Tidericus Comes de Sommerschenburg. 81.
Tidericus de Beyerstorp. 44.
Tidericus Orientalis Marchio Conradi F. 49. 137.
Tidericus de Landisberg Præpositus Montis Sereni. 100. obtinet indulgentiam XX. dierum die dedicationis monasterium visitantibus. 140. Ad subsidium terræ Pruciæ cruce signatus. 141. male præst monasterio. 158 & seqq.
Tidericus de Sladebach. 100. 115.
Torneamenti lusus exitiosus. 40.
Tuch castrum. 136.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [383] - -
PUBLIC DOMAIN

V.

Vdo Comes de Franckeleve. 11.
Vdo Marchio Stadensis, Princeps potens sub Henrico III. 243.
Vlma evertitur. 13. 258.
Vlricus Comes de VVetin, F. Henrici, F. Conradi Senioris. 80.
Verona Germ. Bern. 222.
Viterbium impetit Otto Imp. 93.
Vizo de VVizenborch. 250.
VVallebeck castrum. 252.
VValtherus Sereni-montis Præpositus 77. ejus vitæ terminus isti Ecclesiæ multorum malorum initium. 78.
VVelpho Dux Bavariæ, plurium monasteriorum fundator. 282.
VVerle castrum Slavorum. 32.
VVernerus de Veltheim gener VVicperti Marchionis. 30. 242.
VVicmannus ex Episc. Nuenburgensi Archiepiscopus Magdeburgensis. 26. capit Brandenborch. 30. Romam pro impetrando pallio proficiscitur. 27. de ejus obitu miranda. 59.
VVicpertus Marchio de Groitz. 2. Pigaviensis Ecclesiæ fundator. 205. 247. cum Henrico IV. vadit in Italiam. 244. ejus fortitudinem immisso in eum Leone tentat Imp. 222. accipit uxorem Regis Bohemorum filiam. 245. Romam proficiscitur pro salute animæ suæ, atq; hinc in Hispaniam. 246. fundat monasterium Luzcke. 249. Obtinet pro Pegavv privilegium exemtionis. 249. varia ejus fortuna. à pag. 252. ad 256.
VVicspertus Junior reducit Bosvvi in regnum Bohemiæ. 251. cum eodem ab Henrico. V. captivatur. Ib. Inbeneficiatur municipio Ekersberg. Ib. reus majestatis judicatur. 252.
VVintzenborch castrũ destruitur. 11.
VVirben castrum. 150.
VVizensee obsidetur. 75.
VVolffus Pomeranorum Princeps. 242.
VVratislaus Bohemiæ Dux exaltatur in regem. 244. adipiscitur lanceam regalem Rudolphi. 245.
VVulradus de Griez. 39.
VVyndolffus primus Abbas Pegaviensis. 248.

FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [384] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [385] - -


PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [386] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 828 130
XIII 244a
H. Germ. X. 17
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [387] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85;Leibn. Marg. 85, Stück 2, [388] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 85,Leibn. Marg. 85, Stück 2, [389] · ·